S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

# OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN VII

## ADVENTUS

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXLII

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

**Prodierunt:**

| | | | |
|---|---|---|---|
| Vol. I. | *Mariale* | | L. 90 |
| » II. | *Lutheranismi Hypotyposis:* | | |
| » » | Pars I. *Hypotyposis Martini Lutheri* | | » 90 |
| » » | » II. *Hypotyposis Ecclesiae et Doctrinae Lutheranae* | | » 90 |
| » » | » III. *Hypotyposis Polycarpi Laiseri* | | » 70 |
| » III. | *Explanatio in Genesim* | | » 90 |
| » IV. | *Quadragesimale Primum* | | » 80 |
| » V. | *Quadragesimale Secundum* - | Pars I. | » 95 |
| » » | *Quadragesimale Secundum* - | » II. | » 85 |
| » » | *Quadragesimale Secundum* - | » III. | » 90 |
| » VI. | *Quadragesimale Tertium* | | » 130 |

*NB.* - Pro subscriptoribus et Ecclesiasticis pretium minuitur ad 20 %

IN PRAEPARATIONE:

DOMINICALIA

OPERUM OMNIUM VOL. VIII

**Pretium huius voluminis L. 115**

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

# OPERA OMNIA



Auctor Ignotus saec. XIX — In Conv. Cap. Aesis

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

# OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN VII

## ADVENTUS

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXLII

FR. DONATUS A WELLE

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

*Praesentium virtute annuimus ut editio Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, iam sub Praedecessore nostro incoepta, servatis de iure servandis, publici iuris fieri possit.*

*Datum Romae ex Curia Nostra generali,*
*die 28 Iulii 1942*

(L S.)

FR. DONATUS A WELLE
*Min. Gen.lis Cap.*

*Attente perlegimus volumen septimum Operum Omnium Sancti Laurentii Brundusini, quo continetur eiusdem « Adventus ». Nihil in eo invenimus a mente Ecclesiae alienum, at omnia fidei et morum dogmatibus consona.*

*Friburgi Helvetiorum, die 24 Iulii 1942*

† FR. HILARINUS FELDER O. F. M. Cap.
*Episc. Tit. Ger.*

FR. CRISPINUS AB APPENZELL O. F. M. Cap.
*Lect. Theol. emeritus*

Nihil obstat quominus imprimatur

*Patavii, die 1 Augusti 1942*

Can.cus Doct. OLIVUS LUISETTO
*Cens. Eccl.*

Imprimatur

*Patavii, die 2 Augusti 1942*

† CAROLUS AGOSTINI - Episcopus

SEGRETERIA DI STATO

DI SUA SANTITÀ

*Dal Vaticano, 25 Ottobre 1941*

*REV.MO PADRE GENERALE,*

Le dico tutta la mia riconoscenza per il pensiero gentile che Ella ha avuto di inviarmi in omaggio i volumi sinora pubblicati di " Opera Omnia " di S. Lorenzo da Brindisi.

La grande ammirazione che nutro verso l'illustre Santo, che altamente onora l'Ordine minorita cappuccino, mi ha reso oltremodo gradita questa opportunità da Lei procuratami di poter conoscere più profondamente la dottrina multiforme, lo zelo apostolico, l'attività insonne, l'eloquenza infiammata, che si rivelano negli scritti del Santo. È una lettura questa che fa bene all'anima, che sostiene il coraggio e apre allo sguardo interiore orizzonti vasti di verità e di bellezza morale sorprendente.

Faccio voti che la preziosa pubblicazione sia quanto prima completata e che il successo corrisponda alle aspettative e compensi le fatiche di coloro che si sono accinti all'ardua impresa.

Coi sensi di religioso ossequio poi mi confermo

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE

# PRAEFATIO IN ADVENTUS

Septimo hoc volumine Operum Omnium S. Laurentii a Brundusio duos Adventus edimus. Primus in codice brundusino continetur una cum Quadragesimali praecedenti volumine edito. [1] Secundus in codice continetur qui in elencho Operum S. Laurentii in *Praefatione in Editionem Universam* exhibito, sub. n. 8 recensetur. [2]

Codex hic, magnitudine externa 34 × 24, interna autem descripta 28 ½ × 17 ½, constat fol. 102, sive pag. 204. Scriptionis forma densa valde, solita S. Auctoris. Eadem membrana qua ceteri religatus est. In eius dorso inscriptio legitur: « Adventus P. Laurentii a Brundusio manu propria eiusdem », et super schedula in margine inferiore secundi folii agglutinata: « Adm. Rev. P. Laurentii a Brundusio Concionatoris Capuccini Adventus manu propria eiusdem ». In tegumenti exteriore parte legitur: « In Decreto sub numero III », deinde consuetum sigillum rubri coloris impressum: « IHS (†); Archiv: A; Colto: P-5; Busta: —; Fascic: 8º ».

Optimo ordine in hoc codice omnia disposita sunt. Incipit a Dominica Prima Adventus, desinit Dominica Sexta post Epiphaniam; desunt tamen

1) Cf. *Quadragesimale Tertium*, vol. 6, Praefat., pag. VII-VIII.
2) Cf. *Mariale*, vol. 1, Praefat., pag. XI.

homiliae pro Dominicis Prima, [3] Secunda [4] et Quarta post Epiphaniam. Sermones pro diebus Ss. Andreae, Thomae, Stephani, Ioannis et Innocentium in hoc codice contentos in *Sanctorali* edendos remisimus; sermones vero pro die Conceptionis B. Mariae V. in *Mariali* iam editi fuerunt. [5]

Tertium codicem praecedentibus addimus, qui in elencho Operum S. Laurentii sub n. 14 recensetur. Codex, magnitudine externa 32 × 22, in dorso inscribitur: « Silva Isagogica in conciones Adventus P. Laurentii a Brundusio manu propria eiusdem »; rectius autem dicendus est inordinata et confusa collectio foliorum et fragmentorum concionum. [6] Aliqua enim folia Dominicae Primae Adventus post Dominicam Secundam, quae incompleta relinquitur, inveniuntur; deest Dominica Quarta; ad fol. 17-19, post tertiam homiliam Dominicae Primae Adventus, fragmenta quaedam ponuntur Feriae Secundae post Pascha; alia pro die Natalis, Ss. Stephani, Ioannis et Innocentium necnon Circumcisionis et Epiphaniae permixtim collecta fuerunt.

Constat fol. 65, sive pag. 130, sed plura vel alba relinquuntur vel aliquas tantum lineas conscriptas exhibent. Insuper non omnia folia eiusdem sunt magnitudinis: alia maiora, alia autem minora; item forma scriptionis dissimilis: nunc densa, nunc vero latissima, semper tamen, et quidem evidentissime, eadem manu S. Auctoris exarata.

Sermones de Sanctis Andrea, Thoma, Stephano, Ioanne et Innocentibus in hoc codice contentos, in *Sanctorale* inseremus; sermones De Immaculata Conceptione B. Mariae V. in *Mariali* iam editi fuerunt. [7] Cum haec fragmenta

3) Huius Dominicae solus titulus ponitur fol. 32: « Dominica Prima post Epiphaniam quae est infra Octavam », deinde quattuor folia alba relinquuntur.

4) Etiam huius Dominicae solus titulus legitur fol. 36 duobus foliis albis relictis.

5) Cf. *In Conceptionem Immaculatam*, serm. 2, pag. 422-437; serm. 5, pag. 453-460; serm. 6, pag. 461-467; serm. 10, pag. 494-496; serm. 11, pag. 497-503.

6) In parva charta avulsa et in prima pagina codicis collocata haec nota legitur: « Il presente Libro quantunque intitulato Sylva Isagogica in Conciones Adventus, viene però chiamato nel Decreto super examine et approbatione cunctorum Opusculorum sotto il titolo: Concionum pro Sancto Adventu nel numero III ».

7) Cf. serm. 3, pag. 438-448; serm. 4, pag. 449-452; serm. 8, pag. 479-485.

opus completum non sint, ea in appendice publicavimus, ne codex licet imperfectus et parvi momenti, ineditus remaneret.

Difficultates prosequendae editionis in dies ingravescunt, ut omnibus compertum est. Faxit Deus ut, temporum malignitate sedata, ad finem editionis universae, ad quem properamus, feliciter perveniamus.

*Patavii, in Festo S. Laurentii a Brundusio*
*Compatroni Principalis Provinciae Venetae Capuccinorum 1942.*

Patres Editores

# ELENCHUS AUCTORUM

## QUI A S. LAURENTIO ET A NOBIS CITANTUR[1]

ADRICHOMIUS CHRISTIANUS *Theatrum Terrae Sanctae et Biblicarum Historiarum*, Coloniae Agrippinae, apud Iodochum Henricum Kramer sub signo arboris anno 1682.

AELIANUS * *Varia Historica*, Lugduni, apud Sebast. Gryphium 1535.

AESOPUS *Fabulae* apud Hervieux.

ALDOVRANDUS ULYSSES *De Quadrupedibus Solidipedibus*, Bononiae, apud Victorium Benatium 1616.

ALEXANDER AB ALEXANDRO *Geniales Dies*, Iac. Mazochius, Romae 1522.

AMAMA apud *Criticos Sacros*.

ARISTOTELES * Opera Omnia, Isaaci Casauboni, Lugduni, apud Guillelmum Laemarium 1590.

ATHENAEUS * *Diphnophistarum sive Coenae Sapientum*, Natale de Comitibus Veneto vertente, Venetiis, apud Andream Arrivabenum 1556.

BELLARMINUS ROBERTUS S. *Controversiae Christianae Fidei*, Venetiis 1721, apud Malachinum.

BEZA THEODORUS *Testamentum Novum* e Graeco in Latinum versum, Amstelodami, apud Guil. Ianssonium 1633.

BEYERLINK LAURENTIUS *Theatrum Vitae Humanae*, Coloniae Agrippinae, sumptibus Ant. et Arnoldi Hieratorum 1631.

*Biblia Rabbinica Masoretica*, Venetiis 1568, cura Io. De Gara.

*Biblia Sacra* Univ. Lovaniensis, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini 1574.

BONAVENTURA S. *Alphabetum Religiosorum*, editio Vaticana, Romae 1596.

*Breviarium Romanum*.

CAELIUS LUDOVICUS * *Lectionum Antiquarum Libri*, Francofurti et Lipsiae, Dan. Fievetti 1666.

CALMET AUGUSTINUS *Commentarium Litterale in omnes et singulos tum Veteris tum Novi Testamenti Libros*, Venetiis, apud Sebast. Colletti 1730 sqq.; *Dictionarium Historicum Sacrae Scripturae*, Lucae 1725, Typis Sebast. Dom. Cappuri.

1) Signum * denotat Auctores a S. Laurentio citatos.

CALVINUS IOANNES *Institutiones Christianae Religionis*, sine loco, 1561.

CATO DIONYSIUS * *Carmen de Moribus*, Mediolani, Petr. Mart. de Montegatiis 1506.

CHASSANAEUS BARTHOLOMAEUS *Catalogus Gloriae Mundi*, Lugduni, apud Ant. Vincentium in Veronica 1546.

CICERO M. TULLIUS * Opera Omnia, Ludguni, Sybilla a Porta 1588.

CLARIUS apud *Criticos Sacros.*

CLAUDIANUS CLAUDIUS * *De Quarto Consulatu Honorii Augusti ; De Raptu Proserpinae*, Amstelodami, ex officina Elzeviriana 1665.

CLAVIUS CHRISTOPHORUS S. I. * *In Sphaeram*, Romae, ex officina Dom. Basae 1585.

CONIMBRICENSES *Commentarii Collegii Conimbricensis in Libros Aristotelis*, Venetiis, Iac. Vincentium et Ricciardum Amadiscum 1602.

CORNELIUS A LAPIDE *Commentaria in Sacram Scripturam*, Venetiis, apud Hier. Albrici 1700.

*Critici Sacri sive Annotationes Doctissimorum Virorum in Vetus ac Novum Testamentum*, Amstelodami, Guil. Van der Vater 1698.

CURTIUS Q. RUFUS *Historiae*, Venetiis, in aedibus Aldi 1520.

DE LA HAYE IOANNES *Biblia Maxima Versionum*, Lutetiae Parisiorum 1660.

DENZINGER-BANNWART *Enchiridion Symbolorum*, Friburgi Brisgoviae 1928.

*Dictionarium Historicum, Geographicum, Poeticum*, Lugduni, apud Io. Pillehotte, sub signo nominis Iesu 1603.

DIOGENES LAERTIUS * *De Vita et Moribus Philosophorum*, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini 1566.

DIONYSIUS HALICARNASSUS *Antiquitatum Romanarum Libri*, ex officina Ant. de Harsy 1590.

DU CANGE C. DUFRESNE *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis*, Parisiis, Firmin-Didot 1846.

ERASMUS ROTERODAMUS Opera Omnia, Lugduni Batav., cura P. Vander AA. 1705.

EURIPIDES * Quae extant omnia, opera et studio Iosue Barnes, Cantabrigiae, ex officina Io. Hayes 1644.

FLAVIUS IOSEPHUS * *De Bello Iudaico* Amstelodami 1726.

FORCELLINI AEGIDIUS *Lexicon Totius Latinitatis*, Patavii, typis Seminarii 1940.

GALATINUS PETRUS Opera *De Arcanis Catholicae Veritatis ex Iudaicis Codicibus nuper excerptum*, Hervagius, Basileae 1550.

GALENUS Omnia quae extant, studio Io. Bap. Rosarii emendata, Venetiis, apud Ant. Pinellum 1609.

GATTINONI GREGORIUS (ROSOLINO) *Il Campanile di S. Marco*, Venezia, Stabilimento grafico G. Fabris 1910.

GELLI IACOBUS *Divise Motti Imprese*, Ulrico Hoepli, Milano 1916.

HERVIEUX LEOPOLD *Les Fabulistes Latins depuis le siécle d'Auguste*, Paris, Librairie de Firmin-Didot 1894.

HOMERUS * *Poemata*, cum interpretatione Henrici Stephani, sine loco, 1588.

HORATIUS Q. FLACCUS * Opera, Veronae, apud Hier. Discipulum 1585.

HYGINUS IULIUS *Fabularum Liber*, Basileae, per Io. Hervagium 549.

LINUS * apud *Stobaeum.*

LUCANUS M. ANNAEUS * *Pharsalia* sive *De Bello Civili*, Lugduni Batavorum, apud Franc. Hackium 1658.

LUCRETIUS TITUS CARUS * *De Rerum Natura*, Patavii, Iosephus Cominus 721.

LYRANUS NICOLAUS *Commentarium in Psalmos*, Venetiis, 1588.

MACROBIUS AURELIUS *Commentarium in Somnium Scipionis*, *Saturnalia*, Patavii, Iosephus Cominus 1736.

MANNUCCIUS PAULUS *Adagia*, Venetiis, apud Dominicum de Farris 1591.

MERCURIUS TRISMEGISTUS * *Asclepius*, Lugduni, apud Io. Tornaesium 1577; *Pimander*, cum Commento F. Hannibalis Rosselli, Cracoviae, Lazari 1584.

*Missale Romanum* Pii V Pont. Max. iussu editum, Parisiis, apud Iac. Kerner 1584.

MOSES BEN MAIMON *Liber Praeceptorum* apud *Ugolinum Blasium.*

MULLACHIUS FRANCISCUS *Fragmenta Philosophorum Graecorum*, Parisiis, Firmin-Didot 1860-1881.

MUSAEUS * apud *Diogenem Laertium.*

NATALIS COMES *Mythologiae*, Gabriel Carterius, sine loco, 1596.

OCELLUS LUCANUS * *De Universi Natura*, Venetiis, Io. Gryphium 1559.

ORPHAEUS * *Orphica*, apud *Mullachium.*

OVIDIUS * Opera, Lypsiae, typographia Caroli Tauchnitii 1828.

PAGNINI SANCTES *Thesaurus Linguae Sanctae* sive *Lexicon Hebraicum*, Lugduni, apud Ant. Gryphium 1577.

PERIN IOSEPH *Onomasticon Totius Latinitatis*, Patavii, typis Seminarii 1940.

PHILO IUDAEUS * Opera, Lugduni, Ant. Vincentius 1561.

PICUS IO. MIRANDULANUS *Apologia Quaestionum*, Venetiis, Guliel. de Fontaneto de Monteserra 1519.

PIERIUS VALERIANUS IO. *Hieroglyphica seu De Mysteriis Aegyptiorum*, Venetiis, apud Io. Ant. et Iac. De Franciscis 1604.

PLATO * Opera omnia, translatione Marsilii Ficini, Venetiis, apud Hier. Scotum 1571.

PLINIUS C. SECUNDUS * *Historia Naturalis*, Venetiis, apud Hier. Scotum 1571.

PLUTARCHUS CHAERONEUS * *Graecorum Romanorumque Illustrium Vitae*, Basileae, apud Mich. Isingrinum 1542; *Ethica Opera*, interprete Hermanno Cruserio, Basileae, apud Thomam Guarinum 1573.

POZZOLI GIROLAMO *Dizionario d'ogni Mitologia*, Milano, Battelli e Fanfani 1822.

*Sacra Bibliotheca Sanctorum Patrum seu Scriptorum Ecclesiasticorum*, per Margarinum De La Bigne, Parisiis 1589.

SALLUSTIUS C. CRISPUS *Coniuratio Catilinae*, Aldus Manutius, Venetiis 1567.

SCALIGERUS IOSEPH *De Emendatione Temporum*, Coloniae Agrippinae 1629.

SCOTUS FR. IO. DUNS *In quattuor Libros Sententiarum*, apud Io. Bap. et Io. Bernardum Sessam, Venetiis 1597.

SENECA L. ANNAEUS * Opera, Parisiis, apud Hadrianum Perier 1613.

SIBYLLAE * *Oracula Sibyllina* apud *Bibliothecam Sanctorum Patrum.*

STATIUS P. PAPINIUS *Thebais*, excudebat Horatius Hart, Oxonii, e typographeo Clarendoniano, sine data.

STOBAEUS IOANNES *Eclochae Physicae*, ex officina Christophori Plantini, Antuerpiae 1575.

SUAREZ FRANCISCUS *De Angelis*, Lugduni, sumptibus Iacobi Cardon 1620.

SUETONIUS C. TRANQUILLUS * *Duodecim Caesares*, Lugduni Bat., apud Samuelem Luchtmans 1751.

SUIDAS * Opera Historica, Basileae, 1581.

*Talmud Babylonense, Makkoth.*

TERENTIUS * *Comoediae*, Brixiae, apud Lud. Britannicum 1536.

THOMAS AQUINAS S. Opera Omnia, Ioseph Bettinelli, Venetiis 1748.

UGOLINUS BLASIUS *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*, Venetiis 1747.

VALESIUS FRANCISCUS * *De iis quae scripta sunt physice in Libris Sacris, sive De Sacra Philosophia*, Lugduni, in officina A. Porta 1592.

VIRGILIUS MARO * Opera, Bassani, ex typographia Remondiniana 1804.

ZANOLINI ANTONIUS *Lexicon Hebraicum*, Patavii, typis Seminarii 1732.

# ADVENTUS

# ADVENTUS PRIMUS

## DOMINICA PRIMA

*Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione,* etc.[1]

**Agitur in hodierno Evangelio de fine mundi.**

I. Agitur in sacrosancto hodierno Evangelio de fine mundi signisque praecedentibus extremum saeculi diem.[2] Cum autem sacra divinaque theologia veritatem hanc inconcussa fide teneat doceatque, opponit se ei et procaciter contradicit humana philosophia, quam Paulus *fallacem* appellat dicens: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.*[3] Quare sunt theologia et philosophia veluti duae illae mulieres coram Salomone: altera quidem verax, pro qua Salomon sententiam tulit, altera vero mendax et fallax, quam a se repulit rex sapientissimus.[4] Docet sacra theologia mundum a Deo per creationem habuisse principium finemque habiturum; philosophia negat utrunque, sed aeternum docet, principio et fine carentem, Deo coaeternum.

**Hanc veritatem etiam ethnici philosophi docuerunt**

Sed, ut verum fatear, non omnis philosophia sacrae theologiae adversatur circa divinam hanc veritatem, nam praeter peripateticam sectam, omnis ethnicorum philosophia tenet docetque mundum a Deo genitum et a Deo posse dissolvi. Diogenes Laer-

1) Pericope huius Dominicae Lc 21, 25-33. 2) In margine haec adiecta fuerunt: « Mundus hic, qui propter ornatum et mirabilem pulcritudinem splendoremque Graecis cosmos dicitur et eandem ob causam Latinis mundus, unde mundus muliebris, hebraice dicitur *holam*, (ms.: *idest*) et similiter chaldaice *halma*, idest absconditus, non solum quia rerum causae et formae propriaeque rerum differentiae ignorantur, unde non possunt haberi verae definitiones, nec cognitiones reurm – quapropter Socrates aiebat: « Hoc unum scio, quod nihil scio », et Salomon: *Cunctae res difficiles; non potest eas homo explicare sermone*, – sed etiam quia naturali rationi ignotus est mundi ortus et interitus. Hinc contra theologiam, veram nunc matrem, insurgit philosophia dicens quod aeternus est mundus, quod natura operatur, quoniam Deus ipse auctor et servator mundi ignotus est: *Vere tu es Deus absconditus; Posuit tenebras latibulum suum* ». 3) Col 2, 8. 4) Cf. 3 Rg 3, 16 sqq.

tius 1 *De Vitis Philosophorum* 1 ait philosophiam Aegyptiorum tradere mundum genitum mortalemque et ad sphaerae similitudinem rotundum.[5] Plutarchus 2 *De Placitis Philosophorum* tradit sententiam Pythagorae et Platonis, quod mundus, eorum arbitratu, a Deo sit factus interitui obnoxius, Deo autem continente servari.[6] Et quidem totus plane *Timaeus* Platonis est de creatione, ubi manifeste docet quod Deus in principio operis ignem, idest coelum terramque creavit, et quod dissolvi non potest mundus, nisi ab eo a quo conditus est.[7] Thales Milesius, inter septem sapientes primus, idem docuit. Nam, referente Laertio in ipsius vita, interrogatus quidnam esset antiquissimum, respondit: « Deus, quoniam ingenitus »; quid pulcherrimum, respondit: « Mundus, quoniam a Deo factus est ».[8]

et poetae. Antiquissimi poetae Homerus,[9] Musaeus,[10] Orpheus[11] et Linus[12] cosmogoniam, mundi genituram clarissime cecinerunt. Mercurius Trismegistus integro opere fere in suo *Pimandro* idem docuit.[13] Stoici philosophi, ut Plutarchus tradit, docebant mundum conflagrandum tandem ac iterum nasciturum.[14] Seneca etiam in *Epistolis* docuit mundum hunc tandem habiturum finem,[15] sicut etiam Sibyllae praedixerunt.[16] Ovidius 1 *Metamorphoseon*, cum cecinisset mundi genituram, ait:

« Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus correptaque regia coeli
Ardeat et mundi moles operosa laboret ».[17]

Lucretius etiam poeta libro 5:

« Una dies dabit exitio multosque per annos
Sustentata ruet moles et machina mundi;
Nec me animi fallit quam res nova miraque menti
Accidat exitium coeli terraeque futurum ».[18]

5) Pag. 10-11. 6) Pag. 382. 7) Lib. 32, pag. 403-422. 8) *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 1, pag. 20. 9) Cf. *Iliad.*, lib. 18, vrr. 484-486.
10) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 1, pag. 8. 11) *Orphica I*, vr. 8: « Unus est, ex se procreatus, et ab uno omnia orta sunt ». Cf. Mullachius *Fragmenta Philosophorum Graecorum*, lib. 1, vol. 1, pag. 166. 12) Cf. Io. Stobaeus *Eclochae Physicae*, lib. 1, cp. 13, pag. 25; Conimbricenses *Physic.*, lib. 8, cp. 2, q. 3, a. 1; Mullachius *Fragmenta Philosophorum*, lib. 1, vol. 1, pag. 156-157. 13) *Pimander* cum Comment. F. A. Rosselli.
14) *Adversus Stoicos*, pag. 489; *De Oraculorum Defectu*, pag. 529. 15) *Ad Polybium Consolatio*, t. 1, cp. 20, pag. 116; *Ad Marciam Consolatio*, ibid. cp. 26, pag. 170.
16) *Sacrae Bibliothecae Sanctorum Patrum*, *Sibyllinorum Oraculorum*, lib. 8, t. 8, col. 58.
17) Vrr. 256-258. 18) *De Rerum Natura*, vrr. 96-99. Ms.: *Accidit exitium*.

L u c a n u s etiam idem cecinit libro 1 *Bellorum Civilium.*[19] Quare apud ethnicos etiam philosophos et sapientes constans erat opinio et fides de mundi fine et interitu.

Aristotele excepto.

II. Unus tantum A r i s t o t e l e s , instar Ismaelis, de quo scriptum est: Unus contra omnes et omnes contra unum,[20] hac in re contrarius esse voluit omnibus theologis atque philosophis.[21] Nec possum non mirari quomodo ad talem tantamque devenerit in philosophia auctoritatem, ut eius verba tanquam coelestia oracula ab omnibus fere nunc philosophis habeantur. Eum tanquam dementati sequuntur, ut Simonem illum Magum Samaritani.[22] Nescio an Simonis huius magiam habuerit vel circeam virgam artemque veneficiorum ad dementandos homines;[23] sed diaboli arte factum existimo, quoniam peripatetica philosophia, cum mundi creationem Deique providentiam neget[24] et animorum immortalitatem in dubium revocarit,[25] omnis religionis et pietatis divinae fundamenta evertit.

Aristoteles vita pessimus fuit, eius philosophia plena est contradictionibus et erroribus.

Fuit nanque Aristoteles homo idolorum cultor, vitiis deditissimus, etiam turpissimis,[26] potentissimum aptissimumque diaboli instrumentum organumque contra omnem divini cultus pietatem, unicus fere haereticorum omnium patriarcha. Ab eo didicerunt haeretici ut nihil credere velint, nisi vel sensibus vel naturalibus rationibus comprobatum ac luce clarius demonstratum, cum tamen nec ipse naturalis philosophiae dogmata veris rationibus et demonstrationibus doceat. Vix reperitur in universa ipsius philosophia vera demonstratio, sed sophismatibus et cavillis tota plena est milleque obscuritatibus, mille repugnantiis et contradictionibus, mille

19) Vrr. 72-74:

« Sic, cum compage soluta
Saecula tot mundi suprema coegerit hora
Antiquum repetent iterum chaos omnia ».

20) Cf. Gn 16, 12. 21) Cf. *Physicorum*, lib. 8, cp. 1-3, t. 1, pag. 251-255; *De Coelo*, lib. 1, cp. 10-12, ibid. pag. 275-279; lib. 2, cp. 1, ibid. pag. 279. 22) Cf. Act 8, 8-12. 23) Alludit ad fabulam de Circe venefica eximia, quae homines, quibus cibos porrigebat et poculum, eos virga quadam tangens cum quibusdam magicis verbis, in feras vertebat. Cf. Homerus *Odys.*, lib. 10, vrr. 230-244; Virg. *Aeneid.*, lib. 7, vrr. 10 sqq.; Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 6, cp. 6, pag. 482-483. 24) *Metaphysic.*, lib. 11, cp. 9, t. 2, pag. 346. 25) *De Anima*, lib. 2, cp. 2, t. 1, pag. 388; cp. 5, ibid. pag. 402; *Metaphysic.*, lib. 12, cp. 3, t. 2, pag. 559-560. 26) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 5, pag. 183; Suidas *Historica*, col. 138. 217.

paradoxis, mille sycophantiis, calumniis mendaciisque; et tamen ei tantopere creditur! Deus ne est Aristoteles ut ei magis quam philosophis et poetis, theologis Prophetisque omnibus magis credatur?

Ita ut ab ipsis ethnicis philosophis contemptui habitus sit.

Quemnam fuisse existimatis? Homo fuit, medici et pharmacopolae filius, qui, ut Aelianus tradit, pharmacopolam egit;[27] discipulus Platonis viginti annis, hinc a Philippo rege accersitus fuit ut Alexandri paedagogus esset.[28] A Platone mulus dicebatur,[29] non solum ob ingratitudinem, sed forte etiam ob mentis inopiam, nam a Theocrito Chio, ut Laertius tradit, κενόφρων[30] est appellatus, idest vacuae mentis homo, et a Timaeo historico homo non sapiens et tardae disciplinae, ut Suidas refert.[31] Suam autem philosophiam ex alienis laboribus ingeniisque confarcinavit, ita ut etiam errores, quibus phantasticam chimaericamque mundi aeternitatem probavit, ab Ocello Lucano pythagorico philosopho desumpserit.[32] Athenaeus libro 8 delirum pharmacopolam appellat.[33]

Humana philosophia cedat necesse est divinae theologiae.

Et quidem, si permitteremur saltem errores expendere et examinare, quibus mundi aeternitatem nisus est persuadere, videremus profecto deliramenta potius esse quam digna philosopho argumenta. Sed, quaeso, missa haec faciamus, ne cum insanis et mente captis, quos Deus excaecavit et in reprobum sensum tradidit,[34] nos quoque insaniamus. Cedat necesse est philosophia humana divinae theologiae, sicut homo Deo, sicut luna soli, sicut noctuae oculus aquilae visui.

Humana ratio non capit mundi ortum nec interitum.

Fateor non posse nos capere mundi ortum nec interitum; sed quis est qui capere possit cuiusvis animalculi vel herbulae generationem ex semine vel ex putri? Si naturae opera, imo aliquando nec artis quidem humanae, nam sunt pleraeque artes mirabiles, intellectu capere non possumus, quomodo Dei opera nos posse capere arbitramur? Salomon pro vera matre, pro veracе muliere sententiam tulit; mendacem autem impostricem repulit. Peripatetica philosophia in multis reperta est falsa et fallax; novit Galenus, norunt

27) *Varia Historia*, lib. 45, f. 40b. 28) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 5, pag. 185-186. 29) Cf. Aelianus *Varia Historia*, lib. 4, f. 35b. 30) *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 5, pag. 186. Ms.: *Chenophron.* 31) *Historica*, col. 138. 217. 32) *De Universi Natura*, pag. 12 sqq. 33) *Dipnophistarum sive Coenae Sapientum*, lib. 8, cp. 8, pag. 144. 34) Cf. Rom 1, 8.

medici, sciunt omnes philosophi in Galaxia, in circulo lacteo.[35] In sacra theologia nunquam vel minimus deprehensus est error.

Deus mundum destruet ad ostensionem iustitiae suae, iterum aedificabit ad gloriam electorum.

III. Praedicit igitur Christus in hodierno Evangelio mundi finem et interitum ad ostensionem divinae iustitiae. Nam sicut Deus ad ostensionem potentiae et sapientiae suae mundum fabricavit, ita ad ostensionem iustitiae suae eum destruet, iterum ad gloriam suam et electorum suorum aedificaturus. Symbolum fuit mundi huius arca Noe tribus partibus ac interstitiis distincta;[36] symbolum tabernaculum Moysi,[37] templum Salomonis,[38] civitas Ierusalem, statua Nabuchodonosor[39] et arbor illa procerrima eidem in somnis ostensa veluti imperii sui hieroglyphicum.[40] Tribus partibus constat hic mundus: terra, coelo et empyreo; domus Dei est, habitatio hominum, Dei imago, hominis regnum: *Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.*[41] Sed perierunt omnia illa, quoniam finem habiturus est mundus.[42]

Mundus moriturus est, sicut et homo propter peccatum.

Homo ipse veluti imago et compendium mundi est. Si homo parvus est mundus, profecto mundus magnus est homo,[43] magna Dei imago. Homo factus est ob peccatum mortalis, sic et mundus; si enim homo non peccasset, non iudicaretur, non periret mundus. Septem aetates habet homo: infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuventutem, virilitatem, et senectutem, et tandem decrepitam aetatem. In hac necessario moriturus est, licet diem ignoret et horam; sic mundus septem diebus conditus[44] septem veluti habet aetates:

35) Modus proverbialis de re notissima inter sapientes. 36) Cf. Gn 6, 14 sqq. 37) Cf. Ex 25, 1 sqq. 38) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq. 39) Cf. Dn 2, 31-35. 40) Cf. ibid. 4, 7-14. 41) Gn 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus*, etc. 42) In margine haec adiecta fuerunt: « Universum saeculi tempus Regius Vates uno veluti describit anno dicens: *Benedices coronae anni benignitatis tuae.* Annus duodecim habet menses, dum sol peragit duodecim signa Zodiaci incipiens a capricorno ad aquarium diluvii, hinc ad pisces populi in mari Rubro et Iordane, hinc ad arietem ducem ovium David, hinc usque ad taurum Christum et ad gemini coniunctionem duorum populorum per Evangelii praedicationem, postea ad cornum tempore haereticorum, ad leonem tempore Martyrum, ad virginem tempore Confessorum, ad libram tempore Religiosorum, ad scorpionem cum scorpionibus habitans; tandem veniet sagittarius iudex ».

43) Philo Iudaeus: « Hoc est quod quidam ausi sunt universo mundo aequare hominem, cum viderent utrunque constare ex corpore et rationali anima, ut permutatis nominibus hominem quidem mundum parvum, mundum vero magnum hominem dicerent ». *Quis Rerum Divinarum Heres*, t. 1, pag. 433; Macrobius: « Physici mundum magnum hominem et hominem brevem mundum esse dixerunt ». *Comment. in Somnium Scipionis*, lib. 2, cp. 12, pag. 145.

44) Cf. Gn 1, 3 sqq.

primam ab Adam ad Noe, secundam usque ad Moysen, tertiam usque ad David et Salomonem, quartam usque ad Christum, quintam usque ad Constantinum, sextam usque ad renovationem tempore Sanctorum Dominici et Francisci, septimam usque ad finem mundi.

et Christus hodie signa dat finis mundi.

Iam sumus in ultima aetate. Moriturus homo dat prius signa et indicia mortis: deficiunt vires corporis et sensus, maxime visus et auditus, incurvatur homo ut in terram aspiciat baculoque opus sit, superveniunt infirmitates mortaliaque accidentia, et sic tandem inevitabili morte claudit extremum diem. Hoc est quod Christus ait: Ante mundi interitum *erunt signa in sole et luna et stellis.* Signa sunt mortis. Quis non videt nunc, fratres, mundum vere in aetate decrepita constitutum, senio iam confectum? Decrepitus est instar Berzellai, qui ob multam senectutem viribus et sensibus destitutus erat, [45] sicut David decrepitus, naturali calore veluti totaliter extincto, [46] ita ut nonnisi mortem expectaret. Ubi nunc sunt vires virtutum? fortitudo spiritus? ubi calor caritatis? *Refrigescet caritas,* inquit Christus. [47] Ubi vitalis humor devotionis? ubi visus cognitionis Dei? ubi auditus obedientiae? ubi rectitudo iustitiae? ubi fidei vigor? *Cum veniet Filius hominis, putas inveniet fidem super terram?* [48]

Deus mundum destruet in vindictam peccati,

IV. Sed ad quid, quaeso, Deus mundum hunc, opus manuum suarum, destruet? Utique in vindictam et execrationem peccati. Mandavit in lege ut summus populi princeps, cognita veritate quod civitas aliqua ab impiis seducta, impietate idololatriae, Deo vero deserto, infecta esset, omnes habitatores civitatis illius gladio animadverteret totamque civitatem cum universa supellectili igni concremaret et a fundamentis everteret in execrationem impietatis. [49] Sic utique in die iudicii aget, sicut voluit ut civitas Iericho, transmisso Iordane, a Iosue succenderetur cum omni populo omnique supellectili. [50] Sic magna erit ira Dei contra universum orbem in die iudicii; incendio nanque consumet omnia: *Ignis ante ipsum praecedet et* devorabit omnes *inimicos eius,* [51] sicut factum legimus in incendio universae Pentapolis; [52] diluvium pluet de coelo ad consummanda

45) Cf. 2 Rg 19, 31-35. 46) Cf. 3 Rg 1, 1. 47) Mt 24, 12. 48) Lc 18, 8. Vulg. *Filius hominis veniens... in terra ?* 49) Cf. Dt 13, 12 sqq. 50) Cf. Ios 6, 1-19. 51) Ps 96, 3. 52) Cf. Gn 19, 24-25.

omnia, non aquarum sed ignium voraciumque flammarum: *Ignis accensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima devorabitque terram cum germine suo et montium fundamenta comburet.* [53] Erit tunc totus mundus instar babylonicae fornacis, cuius flamma in coelum usque pertingere videbatur. [54]

Sicut autem Vates ille ait, destructo templo Domini: *Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae,* [55] ita in mundi renovatione accidet, nam *erit lux lunae sicut lumen solis et lux solis . . . septempliciter, sicut lux septem dierum.* [56] Sic enim tabernaculo Moysi successit templum Salomonis multo augustius multoque magnificentius atque stabilius, nam illud veluti tentorium erat. *Magna* igitur *erit gloria domus istius novissimae magis quam primae.* sed postea magnificentius illum renovabit.

V. *Erunt signa in sole et luna et stellis :* signa interitus mundi, mortis magni huius hominis. Duos enim veluti homines creavit *ad imaginem et similitudinem suam :* [57] parvum et magnum, et utrunque mortalem vel immortalem. Si stetisset in iustitia homo, in aeternum vixisset, nec mundus interitui esset obnoxius. Quoniam vero propter hominem mundus est conditus, ab interitu hominis consequitur interitus mundi, sicut aeternitatem hominis consecuta fuisset aeternitas mundi. Si homo non peccasset, mundus nunquam periisset.

Isaias 1 capite suarum *Revelationum,* de iudicio Dei verba faciens ait: *Audite, coeli, et auribus percipe, terra, quia Dominus locutus est: Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui, Israel autem me non cognovit ... populus meus non intellexit. Vae genti peccatrici !* [58] Haec, inquit, est causa divini iudicii: peccatum et iniquitas. Unde subsecutum est quod *terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igni . . . et derelinquetur filia Sion sicut umbraculum [in] vinea . . . sicut tugurium in cucumerario . . . sicut civitas quae vastatur,* et *nisi Dominus . . . reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus.* [59] Succendetur, inquit, civitas ignique comburetur propter iniquitatem, sicut Sodoma. Sed hoc intererit quod propter iustos Hoc est quod Isaias etiam praedicat.

53) Dt 32, 22. Vulg.: *Ignis succensus,* etc. 54) Cf. Dn 3, 22. 55) Agg 2, 10. Vulg.: *Plus quam primae.* 56) Is 30, 26. Vulg.: *Sicut lux solis,* etc. 57) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 58) Vrr. 2-4. Vulg.: *Quoniam Dominus locutus,* etc. 59) Ibid. vrr. 7-9. Vulg.: *Ut umbraculum,* etc.

non relinquetur in aeternum, sicut Sodoma, sed iterum reaedificabitur. Sic enim Ierusalem per Chaldaeos exusta fuit soloque aequata,[60] sed postea, Deo propitio, iterum reaedificata fuit et pristinae magnificentiae, imo multo maiori restituta.[61] Sic erit, etc.

**Christus a destructione Ierusalem vaticinatur de fine mundi**

Dominus autem in Evangelio a destructione Ierusalem coepit vaticinari et prognosticari de interitu et fine mundi. Nam civitas illa tribus partibus distincta: infima, media et suprema, regio palatio temploque nobilissima, mundi huius veluti simulacrum erat, sicut et templum ipsum. Dicebatur Ierusalem *civitas Dei*,[62] propter admirabilem ac pene incredibilem civitatis magnificentiam. Sed quid mundo hoc magnificentius? Hinc coelum hebraice dicitur שָׁמַיִם, a voce שָׁמַם,[63] quod stuporem significat, quia opus est manuum Dei supra modum stupendum: *Videbo coelos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas quae tu fundasti.*[64] Igne exusta fuit civitas; Petrus autem ait quod coeli calore et ardore ignis solventur, *terra autem et quae in ea sunt opera exurentur.*[65] Abdias ait: *Erit domus Iacob ignis et domus Ioseph flamma et domus Esau stipula, et succendentur in eis;*[66] et Sophonias: *In igne zeli ... devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.*[67]

**et praecurrentia signa denunciat ut homines convertantur.**

*Erunt signa in sole*, etc., signa irae et vindictae, sed ut homines convertantur: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui.*[68] *Deus iudex iustus, fortis et patiens, nunquid irascitur per singulos dies ? Nisi conversi fueritis ... arcum suum tetendit et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis,* idest instrumenta mortem inferentia, *sagittas suas ardentibus effecit.*[69]

**Figura finis mundi destructio Babylonis, de qua loquuntur Isaias**

Isaias 21 capite suarum *Revelationum*, praevidens in spiritu destructionem civitatis et regni babylonici, totus exterrefactus ait: *Visio dura nunciata est mihi ... propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis ; corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem ; emarcuit cor meum, tenebrae stupefecerunt me.*[70] Nam audivit vocem dicentem: *Cecidit,*

60) Cf. 4 Rg 25, 1-17; 2 Par 36, 17-19. 61) Cf. 1 Esr 4, 1-6, 1 sqq. 62) Cf. 2 Rg 10, 12; Tob 13, 11; Ps 47, 2; 86, 3. 63) Ms.: *Scamaim* et: *Scamam*. 64) Ps 8, 4. 65) 2 Petr 3, 10. Vulg.: *Et quae in ipsa*, etc. 66) Vr. 18. 67) 1, 18. 68) Ps 59, 6. 69) Ps 7, 12-14. 70) Vrr. 2-4.

*cecidit Babylon et omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram.* [71] Ioannes autem in *Apocalypsi* alludens ad hoc mysterium, ait quod vidit *Angelum volantem per medium coeli, habentem evangelium aeternum* et dicentem omnibus habitantibus in terra voce magna: *Timete Dominum et date illi honorem, quia venit hora iudicii eius;* alius autem Angelus post eum dixit: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quae a vino irae fornicationis suae potavit omnes gentes.* [72] Capite autem 17 veluti declarans quidnam sit Babylon ista, ait: *Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terrae.* [73] Et capite 18 alius Angelus de coelo clamat iterum: *Cecidit, cecidit Babylon* illa *magna et facta est habitatio daemoniorum;* [74] deinde ter audivit Angelum dicentem: *Vae, vae civitas illa magna Babylon, civitas... fortis, quoniam una hora venit iudicium tuum!* [75] Et iterum: *Vae, vae civitas illa magna, quae amicta erat purpura et bysso et cocco et deaurata... auro et lapide pretioso et margaritis, quoniam una hora destitutae sunt tantae divitiae!* [76] Et tandem tertio: *Vae, vae civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes qui habebant naves... de pretiis eius, quia una hora desolata est!* [77] Tunc ait quod vidit Angelum proicientem in mare magnum lapidem et dicentem: *Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna et ultra... non invenietur.* [78] et D. Ioannes.

Designat igitur Babylon confusionem mundi huius, qui *totus in maligno positus est;* [79] quare monet Angelus dicens: *Exite de Babylone, populus meus, et ne participes sitis delictorum eius et de plagis eius non accipiatis, quoniam pervenerunt peccata eius usque ad coelum et recordatus est Dominus iniquitatum eius.* [80] Sic enim et per Ieremiam Dominus monet: *Fugite de medio Babylonis et salvet unusquisque animam suam... subito cecidit Babylon et contrita est.* [81] Praevidens igitur Isaias in spiritu Babylonis huius extremam ruinam ait se adeo exterrefactum et timore ac tremore concussum, nam tunc arescent homines prae timore. [82]

VI. Arborem fici proposuit Dominus in exemplum: *Ab arbore autem fici discite parabolam,* [83] quoniam universa mundi aetas anno

Christus proponit in exemplum arborem fici.

71) Ibid. vr. 9. 72) 14, 6-8. 73) Vr. 5. 74) Vr. 2. 75) Ibid. vr. 10. 76) Ibid. vrr. 16-17. Vulg.: *Bysso et purpura et cocco,* etc. 77) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Quoniam una hora,* etc. 78) Ibid. vr. 21. 79) 1 Io 5, 19. 80) Apc 18, 4-5. Vulg.: *Exite de illa, populus meus, ut,* etc. 81) 51, 6-8. 82) Cf. Lc 21, 26. 83) Mt 24, 32.

quia aetas mundi anno veluti continetur.

veluti continetur: in fine autumni senectus est arborum, maxime ficulnearum; in anni autem initio, ipso ianuario, in calidis regionibus qualis est Palaestina incipiunt tenerescere gemmasque proferre. Producit ficulnea suaves fructus, sed, sicut apud I e r e m i a m legimus, vel ficus bonas valde vel malas valde. [84] Transacto hieme, tempore valde frigido, aderit aetas iudicii. Hoc est quod S a l o m o n in *Canticis* ait: *Iam... hiems transiit, imber abiit et recessit; surge, amica mea... et veni. Flores apparuerunt in terra nostra... ficus protulit grossos suos;* [85] Ecclesiam vocat ad coelestem gloriam. Mundus hic veluti ager est terrae maledictae, quae nonnisi spinas et tribulos germinat. [86] Deus autem tanquam diligens agricola sategit semper spinas evellere, tribulos malasque herbas resecare, tandem ad siccandas penitus radices, ne unquam pullulare possint nec semina germinare, totum vult campum adhibito igne incendere; sic ignem conflagrationis mittet.

Admodum terribilis erit aspectus iudicis venientis ad iudicandum;

*Arescentibus hominibus prae timore et expectatione, quae supervenient universo orbi*, etc. [87] Ostendit his verbis Dominus quod supra modum terribilis ad iudicandum veniet. Nam praeterquam quod Dei maiestas suapte natura tremenda hominibus est, instar leonis, ignis maximi marisque flante austro agitati: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus,* [88] hinc, cum venit ad dandam legem Hebraeis in deserto, universus populus exterrefactus fuit ac timore pene exanimatus fuit. [89] Sed conscientia laesa hominem facit timidum et pusillanimem; [99] sic Adam post peccatum, audiens *vocem... Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem*, timuit abiitque et *abscondit se* in arborum silva. [91] Si homo, cum unum tantum admisisset peccatum, tantopere Deum timuit venientem cum mansuetudine, quid faciet mundus, qui *totus in maligno positus est*, cum sentiet venientem Deum cum ira et indignatione maxima in vindictam peccati et iniquitatis? *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna*, idest cum maximo ac innumerabili Angelorum exercitu, *et maiestate*, [92] idest gloria divinitatis circumdatus, nam facies eius sicut sol fulgebit.

84) Cf. 24, 2-3. 85) 2, 11-13. Ordine inverso affert hos vrr. 86) Cf. Gn 3, 18. 87) Lc 21, 26. 88) Ps 92, 4. 89) Cf. Ex 19, 16-20, 1 sqq. 90) Proverbium familiare S. Auctori. Cf. *Explanatio in Genesim*, pag. 276; *Quadragesimale Secundum*, part. 1, pag. 280. 91) Gn 3, 8-9. 92) Lc 21, 27.

*Videbunt Filium hominis* glorificatum, sedentem ad dexteram Dei, *venientem*, quoniam mittetur a Patre ad iudicandum mundum, sicut missus fuit Moyses a summitate montis Sinai ad puniendos idololatras, sicut missus fuit Saul rex ad puniendos Amalecitas. [93] Cum populus adorasset vitulum aureum in deserto, dixit Deus Moysi, qui secum erat supra montem: *Vade, descende*, quia *peccavit populus tuus quem eduxisti de terra Aegypti; recesserunt cito de via, quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum conflatilem et adoraverunt atque immolantes ei hostias dixerunt : Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* [94] Licet autem tunc Moyses natura mitissimus, [95] videns Deum iratum contra populum, precibus placare studuerit advocatumque egerit, postea tamen, descendens de monte una cum Iosue vidensque populum idololatriae impietate foedatum, armata manu una cum contribulibus suis levitis, ministris Domini, viginti tria millia idololatrarum de medio tulit. [96] Sic utique Christus aget. Nam videns Deus populum christianum a servitute diaboli et peccati a Christo liberatum – *Exhibuistis membra vestra servire iniustitiae et iniquitati ad iniquitatem ;* [97] *Qui facit peccatum, servus est peccati ;* [98] *Venit . . . princeps mundi huius,* [99] – videns, inquam, hunc populum vitiis deditum, superbiae, libidini et avaritiae, quae *est idolorum servitus,* [100] operam dantem, mittit Christum ad iudicandum mundum a summo coelorum habitaculo; sic veniet et omnes peccatores internicioni dabit. Sicut enim Deus regem Saul misit contra Amalecitas dicens: *Recensui quaecunque fecit Amalec Israeli . . . nunc ergo vade et percute Amalec et demolire universa eius, non parcas ei ;* [101] omnes, inquit, penitus Amalecitas perdas, a maximo usque ad minimum; sic contra omnes penitus peccatores mittetur Christus.

**Christus enim mittetur a Patre ad puniendum peccatum**

**et omnes peccatores internicioni dandos.**

VII. Dignum autem consideratione est quod cum Moyse levitae quoque, ministri Domini, armantur ad vindictam malefactorum: *Veniet Dominus* ad iudicandum *et omnes Sancti* eius *cum eo*, ait Zacharias ; [102] et Iudas apostolus : *Ecce veniet Dominus cum Sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes* impios,

**Venient etiam cum Christo omnes Sancti contra peccatores armati,**

93) Cf. 1 Rg 15, 1-3. 94) Ex 32, 7-8. 95) Cf. Nm 12, 3. 96) Cf. Ex 32, 9-28.
97) Rom 6, 19. Vulg.: *Servire immunditiae et iniquitati*, etc. 98) Io 8, 34.
99) Ibid. 14, 30. 100) Eph 5, 5; Col 3, 5. 101) 1 Rg 15, 2-3. 102) 14, 5.
Vulg.: *Omnesque Sancti cum eo.*

dicens hanc esse prophetiam Enoch.[103] Sed Sancti qui cum Christo venient, licet piissimi sint, armati tunc venient contra peccatores. Ait enim: *Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis; exultationes Dei in faucibus eorum et gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis;*[104] adeo ut, sicut Israelitae videntes Aegyptios in mari Rubro cum Pharaone a Deo submersos vehementer laetati fuere,[105] sic Sancti omnes in die iudicii: *Laetabitur iustus cum viderit vindictam.*[106] Sic igitur veniet Dominus *cum potestate magna,* cum innumerabili exercitu Angelorum et Sanctorum omnium, instar arcae foederis Domini in medio exercituum Israel.[107]

et tunc iniqui maximo terrore afficientur;

Veniet etiam cum *maiestate,* fulgens sicut sol inter astra. O qualis tunc erit omnium iniquorum tremor et stupor! Paulus audiens vocem Christi a gloria coelesti: *Saule, Saule, cur me persequeris?*[108] totus tremuit et obstupuit. Quis tunc tremor et stupor occupabit omnes videntes Christum venientem tanta cum potestate et maiestate? Deum videre iratum res est infiniti terroris. Aman videns Assuerum contra se iratum, prae timore pene exanimatus fuit iram regis sustinere non valens.[109] *Arescentibus hominibus prae timore.* Talis tantusque, inquit, tunc timor erit, ut homines veluti in exanimes statuas lapidesque convertat.

sicut enim Christus misericordissimus apparuit in primo adventu, ita in secundo severissimus apparebit,

Sicut enim in primo adventu suo Christus infinitam, incomprehensibilem, inexcogitabilem misericordiam ostendit, humilians seipsum propter hominem usque ad mortem crucis,[110] sic in secundo adventu infinitam et inexcogitabilem ostensurus est contra peccatores omnes iustitiam, ita ut Petrus dicat quod *iustus vix salvabitur,*[111] sicut severitatem iustitiae suae in ficulneam foliis multis vernantem ostendit, eo quod sine fructibus eam invenit: *Omnis... arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.*[112]

nam omnia instrumenta misericordiae

Tunc enim omnia instrumenta misericordiae non erunt nisi severissimae instrumenta iustitiae. Nam cum apparuerit signum Filii hominis, tunc homines timore arescent, tunc plangent, tunc sanguineas lacrimas fundent. Cur, quaeso? An non crux Christi instru-

103) Vrr. 14-15. Vulg.: *Venit... in Sanctis millibus,* etc. 104) Ps 149, 5-7. Vulg.: *Exaltationes Dei in gutture,* etc. 105) Cf. Ex 14, 30-15, 1-21. 106) Ps 57, 11. 107) Cf. Ios 6, 8-13. 108) Act 9, 4. Vulg.: *Quid me persequeris?* 109) Cf. Est 7, 6. 110) Cf. Phil 2, 7-8. 111) 1 Petr 4, 18. 112) Mt 3, 10.

mentum divinae pietatis et misericordiae est? Sed tunc instrumentum erit iustitiae, flagellum in manu Dei, sicut virga Dei in manu Moysi flagellum erat Aegyptiorum,[113] sicut arca Dei, ex qua salus Hebraeorum pendebat, multa millia Bethsamitarum percussit;[114] quare eis terribilis admodum et formidabilis extitit sicut Philisthaeis.[115] Sicut columna nubis per diem in deserto, nocte convertebatur in ignem,[116] ita crux ex instrumento misericordiae tunc convertetur in instrumentum iustitiae.

**tunc non erunt nisi instrumenta iustitiae.**

*Arescentibus hominibus prae timore.* Populi Chananaei audientes adventum Israelis ad Iordanem, nimio terrore correpti dicuntur, sicut Rahab exploratoribus dixit: *Pertimuimus et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad adventum vestrum.*[117] Si Veneta Respublica audiret quod potentissimus Turcarum imperator expeditionem maximam terra marique pararet copiosissimasque copias colligeret classemque formidabilem instrueret, ut veniret ad rempublicam occupandam funditusque evertendam, quis timor Venetos omnes invaderet? Cum tamen omnis mundana potentia nihil sit Deo comparata, gutta aquae oceano marique universo collata, nos tamen corde tam impavido sumus, ut audientes Deum contra nos expeditionem parare, nihil timemus ac si somnium esset aut puerile terriculamentum!

**Hunc diem terribilissimum quam maxime timere debemus.**

VIII. Et tunc arescent homines *prae timore et expectatione quae supervenient universo orbi... His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra,* etc.[118] Paradoxum videtur in hodierno Evangelio, nunc enim timendum, nunc exultandum dicit in die iudicii. Sed paradoxum non est. Si principes christiani cum Summo Pontifice colligati, maximis collectis copiis classeque instructa, contra Turcas recta pergerent ad capiendam urbem regiam Constantinopolim, Turcae quidem in ea habitantes, audientes adventare classem, nemine resistente, timerent valde; christiani autem, qui ibi veluti captivi sunt, exultarent et magno desiderio classem expectarent. Ita, ait Christus, timebunt impii, servi mundi, carnis et satanae in die iudicii,

**Soli iusti diem illum cum exultatione expectare possunt.**

113) Cf. Ex 7, 8 sqq. 114) Cf. 1 Rg 6, 19-20. 115) Cf. ibid. 5, 1 sqq.
116) Cf. Ex 13, 21 sqq.; Dt 1, 33. 117) Ios 2, 11. Vulg.: *Ad introitum vestrum.*
118) Lc 21, 26-28.

non iusti, servi Dei et Christi, qui spiritu Dei ducuntur; non timebit Iacob dilectus, sed Esau odio habitus.[119]

Pie ergo et iuste vivamus in hac vita, ne in die iudicii timere debeamus.

Fratres mei, conscientia laesa facit hominem timidum: *Qui male agit, odit lucem.*[120] Vide, homo: si Iacob es, noli timere sed exulta, nam non veniet contra te Christus, sed pro te: *Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem, ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator;*[121] si autem Esau es, time, nam contra te venit in perniciem tuam. Dices: Quomodo sciam an sim Iacob vel Esau? *A fructibus eorum cognoscetis eos.*[122] Vide an Iacob vel Esau vitam ducas; vide ne appetitu sensuali victus ob modicam voluptatem primogenituram coelestis hereditatis contemnas vilissimoque pretio vendas, nam carnalia desideria *militant adversus animam.*[123]

*Arescentibus hominibus.* In lignis aridis facile accenditur ignis, facile ea comburit. Peccatores ligna sunt arida, iusti autem viridia: *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?*[124]

*

Fragmentum.

*Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione,* etc. Celebratura Sancta Mater Ecclesia primum Christi adventum, qui totus fuit in mansuetudine et humilitate, proponit nobis ante oculos hodie secundum Christi adventum in gloria et terribili maiestate; sicut antequam Deus appareret Eliae super montem sanctum Horeb in sibilo aurae suavis, terruit eum turbine et commotione magna subvertente montes igneque plane omnia devorante.[125] Sic nanque Deus ante Evangelium legem dedit terribilem, minis et terroribus plenam, sicut multis cum terroribus lata fuit; et ante Christum misit Ioannem *in spiritu et virtute Eliae,*[126] severissimum vitiorum ac peccatorum omnium correptorem, ad commovendos animos et concutienda peccatorum corda timore divinae vindictae: *Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis . . . arbor, quae non facit,* etc.[127]

119) Cf. Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 120) Io 3, 20. 121) Zach 9, 9. Vulg.: *Veniet tibi.*
122) Mt 7, 16. 123) 1 Petr 2, 11. 124) Lc 23, 31. 125) Cf. 3 Rg 19, 9-13.
126) Lc 1, 17. 127) Mt 3, 10. Vulg.: *Ad radicem arborum,* etc.

## DOMINICA SECUNDA

*Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, etc.* [1]

Ioannes in vinculis positus mittit discipulos suos ad Christum ut eum agnoscerent verum Messiam;

I. Sicut Ioseph ob persecutionem sceleratae mulieris in vincula coniectus,[2] ibi Divino Spiritu afflatus aperiebat concaptivis suis divina mysteria,[3] et Ieremias propheta sanctissimus ob praedicationem veritatis constitutus in tetro carcere ab impio rege Ioacimo, cum Dei zelo plenus non valeret ipse praedicare populo verbum Dei, misit Baruch discipulum suum ad praedicandum in templo Domini ea quae sibi a Domino fuerant revelata et ab ipso Baruch ex ore Ieremiae conscripta;[4] ita Ioannes, innocentior Ioseph et sanctior Ieremia, propheta et plus quam propheta:[5] *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista,*[6] a scelerata Herodiade et ab impio Herode ob veritatis et iustitiae praedicationem passus persecutionem et in vincula coniectus, in tetro carcere constitutus,[7] non cessabat praedicare discipulis suis divina mysteria; et cum non posset per seipsum ad Christum accedere, misit ad eum discipulos suos, legationem hanc faciens loco praedicationis. Ostendit nanque talem esse Dominum, ut simplici eius verbo dictoque firma esset adhibenda fides, si diceret se esse Messiam, credendum omnino esset.

Christus autem multis laudibus Ioannem cumulat.

Sic Ioannes Christum laudat atque commendat; Christus autem Ioannem cumulat multis laudibus: de vitae asperitate, de animi constantia, de excellentia spiritus prophetici et de angelica vitae sanctitate. Quare sunt hodie Christus et Ioannes veluti duo cherubim

1) Pericope huius diei Mt 11, 2-10. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 39, 7-20. 3) Cf. ibid. 40, 1 sqq. 4) Cf. Ier 36, 1 sqq. 5) Cf. Mt 11, 9. 6) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* Affert ex Breviario Rom., die 24 Iunii, in Festo S. Io. Bapt., antiph. 4 ad *Laudes.* 7) Cf. Lc 3, 19-20.

in divino sanctuario, qui se invicem respiciebant versis vultibus ad propitiatorium;[8] et veluti duo Seraphim apud Isaiam, qui se invicem laudabant, divinis laudibus et encomiis Deum celebrantes.[9]

Christus et Ioannes a Malachia *Angeli* sunt appellati illustrissimo vaticinio.

Angelus enim Christus est et angelus Ioannes. Sic enim a Malachia angelico propheta illustrissimo vaticinio Christus et Ioannes sunt appellati. Ait enim: *Ecce ego mitto Angelum meum* ante te, qui *praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum* sanctum *suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus... et quis poterit cogitare diem adventus eius? Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans et sicut herba fullonum; et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi et colabit eos quasi aurum et quasi argentum; et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda et Ierusalem, sicut dies saeculi et sicut anni antiqui.*[10] O mirabile vaticinium! Expendamus, quaeso, diligenter verba divini huius vaticinii, quoniam ex eo pendet hodierni Evangelii clara et perspicua veraque intelligentia.

Expenditur hoc vaticinium.

II. *Ecce ego mitto Angelum meum.* De Ioanne interpretatur Christus: *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum;*[11] *Et statim veniet ad templum* sanctum *suum Dominator,* הָאָדוֹן,[12] *Dominus ille,* verus Deus, *quem vos quaeritis.* Ad hoc alludit Ioannes dicens: *Tu es* ille *qui venturus es, an alium expectamus?*[13] *Expectamus,* inquit, quoniam fideles omnes ardentissimis desideriis Christum expectabant, sicut de Simeone iusto legimus[14] et de Anna prophetissa, quae, viso Christo, *loquebatur de eo omnibus qui expectabant redemptionem Israel.*[15] Nec tantum dicitur hic Christus הָאָדוֹן, ὁ Κύριος,[16] *Dominus* absolute, verus Deus, qui in templo illo sanctissimo colebatur, sed etiam *Angelus testamenti,* tum quia ad evangelicam legem praedicandam missus a Patre fuit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me;*[17] sive quia missus est ut mediator ad componendam pacem inter Deum et homines;

Christus hic dicitur *Angelus,* quia missus fuit ad praedicandam legem et componendam pacem inter Deum et homines.

8) Cf. Ex 25, 18-20. 9) Cf. 6, 2-3. 10) 3, 1-4. 11) Mt 11, 10. 12) Ms.: *Haadon.* 13) Mt 11, 3. 14) Cf. Lc 2, 25-32. 15) Ibid. vr. 38. Vulg.: *Loquebatur de illo.* 16) Ms.: *Haadon o kirios.* 17) Lc 4, 18. Vulg.: *Propter quod unxit,* etc.

sive quia tandem in lege divina et Prophetis promissus est atque praefiguratus. Hinc ait Ioannes: *Tu es* ille *venturus ?* Nam, sicut Deus Moysi dedit exemplar tabernaculi[18] et Davidi archetypas formas totius templi,[19] ita Christus Dominus praefiguratus fuit in Scripturis Sanctis, imo, inquit Petrus, praecognitus *ante mundi constitutionem,*[20] sicut mundus hic ante creationem in archetypis exemplaribus in divina mente et intellectu totus efformatus erat:

« Pulcrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens similique in imagine formans ».[20a]

Nam sapiens architectus facturus magnum aliquod aedificium, prius totius aedificii format ideas.

Ex admiratione et stupore loqui videtur Ioannes,

Cum igitur sciret Ioannes promissiones de Christo factas Patriarchis, revelationes Prophetis manifestatas, praefigurationes et praedescriptiones in mysteriis et sacramentis Antiquae Legis, quare *Angelus testamenti* est appellatus, ait: *Tu es* ille *venturus?* Ubi ex admiratione et stupore animi videtur Ioannes loqui. Nam Vates divinus sequitur: *Quis poterit cogitare,* idest mente et cogitatione comprehendere *diem adventus eius ? Et quis stabit ad videndum eum?* Fulgebit, inquit, divinitatis instar lucis inaccessibilis, splendoribus sicut fulgidissimus sol, cuius splendorem vix aquilini oculi ferre possunt. Sic enim idem Vates ait: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae.*[21]

quia tot visis Christi miraculis homines in eum adhuc non credebant.

Et in hoc vaticinio comparatur divino igni: *Ipse enim quasi ignis conflans,* nam *Deus noster ignis consumens est;*[22] *Deus lux est ;*[23] *Lucem habitat inaccessibilem ;*[24] in Christo autem *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*[25] Sed ad quid venit Christus? *Purgabit filios Levi et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum,* igne praedicationis evangelicae: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?*[26] igne Spiritus Sancti, qui per fidem datur credentibus in Baptismo: *Fide purificans corda eorum.*[27] Praedicabat Christus, coruscabat miraculis, et tamen non credebant, non convertebantur homines. Hinc miratur Ioannes,

18) Cf. Ex 25, 40. 19) Cf. 1 Par 28, 11-19. 20) 1 Petr 1, 20. 20a) Boetius *De Consolatione Philosophiae,* lib. 3, metrum 9, (P. L. 63, 758-759). 21) Mal 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis timentibus,* etc. 22) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 23) 1 Io 1, 5. 24) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Inhabitat inaccessibilem.* 25) Col 2, 9. 26) Lc 12, 49. Vulg.: *Nisi ut accendatur ?* 27) Act 15, 9.

cum divinitas eius abscondita esset.

sicut Moyses videns quod ardebat rubus et non comburebatur, ait: *Ibo et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.*[28] Si, inquit, ignis est, quomodo effectum ignis non operatur? Et si ignis non est, quomodo ardet? *Ibo et videbo visionem hanc magnam.* Sic Ioannes vere dicere poterat Christum[29] *visionem magnam*, quoniam Deus ibi erat; ait enim illi: *Ego sum Deus . . . Ego sum qui sum.*[30] Dicitur *Angelus Domini : Apparuit ei . . . Angelus* Domini *in igne flammae rubi*,[31] quoniam Filius ei apparuit, qui Dominus est et Angelus Domini: *Veniet . . . Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* In igne autem apparuit, quoniam Deus ignis est.

O magnam visionem! Quid maius Deo, cuius comparatione coelum universum indivisibile punctum ac nihil est? Et tamen talis ac tantus ignis ardens in rubo, in spinis, non comburebat eas, tali tantoque igni resistebant spinae illae. Per spinas autem in Divinis Litteris peccatores intelliguntur et peccata ipsa, carnis concupiscentiae et saeculi voluptates: *Spinas et tribulos germinabit tibi*[32] terra maledicta; Semen *cecidit inter spinas*, in cordibus hominum saecularibus, qui *a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus saeculi euntes, suffocantur.*[33] Mysterium illud fuit quod Deus de coelo descensurus erat in terram, sed spinosam et senticosam rubum synagogae Iudaeorum, quae Spiritui Sancto restitit semper,[34] non erat conversurus ad fidem.

Opera autem Christi clare manifestant illius divinitatem;

Hoc est quod miratur Ioannes. Videt enim Christum verum Deum in terra, in medio synagogae, videt divinum hunc ignem ardentem, splendentem divinis operibus: *Cum audisset . . . opera Christi . . . Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.*[35] O infinitam potentiam! Quis potest illuminare caecos? Respondet Regius Vates: *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat caecos, Dominus erigit elisos;*[36] sed prius dixerat: *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt,*[37] quoniam

28) Ex 3, 3. Vulg.: *Vadam et videbo*, etc. 29) Ms.: *Moysem*, loco: *Christum*.
30) Ex 3, 6-15. 31) Act 7, 30. Vulg.: *Apparuit illi*, etc. 32) Gn 3, 18.
33) Lc 8, 7. 14. Vulg.: *Voluptatibus vitae*, etc. 34) Cf. Act 7, 51. 35) Mt 11, 5.
36) Ps 145, 7-8. 37) Ibid. vrr. 5-6.

ad illuminandos caecos Dei requiritur omnipotentia, qua mundum universum creavit. *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt:* haec sunt flammae ingentes, splendores maximi divini huius ignis in rubo synagogae ardentis.

et tamen Iudaei in ipsum non credebant, imo ipsum contemnebant, quia humilem eum videbant.

Et tamen ardet rubus et non comburitur, non in ignem convertitur; resistunt spinae divino huic igni: *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me,* [38] nam ait quod *scandalizabantur in eo,* [39] existimantes satanae spiritu, virtute et arte, non Dei potentia miracula operari. Videntes etiam Christi humilitatem aspernabantur tanquam fabri filium, eo quod venit non in gloria et maiestate. [40] A Messia enim, sensu carnis imbuti, non expectabant spiritualia, coelestia, aeterna bona, sed temporalia, mundana; haec enim desiderabant, haec ambiebant. Ecce spinae rubi; has non potuit divinus ignis comburere, cum liberum hominis arbitrium cogi non possit. Persuaderi quidem potest, convinci potest, sed cogi non potest. Sic homo libero arbitrio et mala voluntate potest Deo Spirituique Sancto resistere; neque enim Deus vult homines cogere, sed spontaneos ad se trahere *in vinculis Adam... in funiculis caritatis.* [41]

Legatio Ioannis interpretari etiam potest veluti petitio Christo facta, ut seipsum mundo manifestaret.

III. In hac autem missione Ioannis alius quoque sensus mihi illucescit. Functus fuerat Ioannes officio suo, nam missus erat *in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per ipsum;* [42] hinc ipse ait: *Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego.* [43] Sed cum in vincula coniectus non posset amplius praedicare, nec tamen in Christum crederent Iudaei, nec satis illum agnoscerent, mittit discipulos suos ad Christum, rogans ut ipse seipsum mundo manifestaret. Hinc ait: *Tu es* ille *venturus... an alium expectamus ?* Hoc est: Adhuc, Domine, ignorat mundus an tu sis verus Messias a Deo promissus; *manifesta teipsum mundo,* [44] nam ego his vinculis impeditus fungi officio meo non possum amplius. Hinc Dominus intelligens mentem Ioannis, audita legatione discipulorum Ioannis, ut L u c a s ait, multa operatus fuit miracula coram discipulis missis; [45] et tunc ait illis: *Ite, renunciate Ioanni quae audistis et vidistis.* [46]

38) Mt 11, 6. 39) Ibid. 13, 57. 40) Cf. Mc 6, 2-3. 41) Os 11, 4. Vulg.: *In funiculis Adam... in vinculis caritatis.* 42) Io 1, 7. Vulg.: *Crederent per illum.* 43) Ibid. vr. 31. 44) Ibid. 7, 4. 45) Lc 7, 21. 46) Mt 11, 4; Lc 7, 22. Vulg.: *Euntes renunciate,* etc.

Non desinam, inquit, manifestare meipsum mundo, ut cognoscat mundus quia ego sum ille venturus, nam: *Haec est... vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum... et quem misisti, Iesum Christum.* [47] Hinc ait: *Beatus... qui non fuerit scandalizatus in me*, beatus qui me vere agnoverit, qui in me vere crediderit, nam fides Christi principium et fundamentum est salutis: *Fides... te salvam fecit.* [48]

Hac legatione Ioannes ad multa etiam alludit mysteria et vaticinia de Christo,

IV. In eo autem quod dicit Ioannes: *Tu es* ille *venturus*? ad multa alludit Divinarum Scripturarum mysteria et vaticinia de Christo. Sicut enim Deus, antequam mundum crearet, mundi totius archetypum exemplar in sua mente formavit, quemadmodum Moysi dedit exemplar totius tabernaculi et Davidi exemplar templi, quemadmodum etiam in synagoga praecessit figura Ecclesiae et figura quidem multiplex, sic Christus in Lege et Prophetis multipliciter est praefiguratus ac multis prognosticis et vaticiniis descriptus; quis, qualis et quantus futurus erat, quidve acturus in mundo; Patriarchis fuit promissus et Prophetis revelatus divinitusque in spiritu manifestatus. Hinc ait: *Tu es* ille *venturus?* Salvator ille et redemptor mundi, Deus humanatus? Summus ille pontifex, summus rex et summus propheta, auctor naturae, fons gratiae, thesaurus et sol gloriae omnisque boni principium et causa? Deus ille Patriarchis et Prophetis visus in humana specie et forma, [49] de quo Regius Vates: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, hebraice: *Benedictus ille veniens in nomine Domini, Deus Dominus*, sive *potens Deus illuxit nobis,* [50] apparuit nobis, visus est instar solis mane orientis? De quo Malachias: *Veniet ad templum suum Dominator... et Angelus testamenti*, Deus et homo missus a Deo? Et Zacharias: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator?* [51] De quo Moyses ad Deum: *Mitte quem missurus es,* [52] Redemptorem et Salvatorem populi, iuxta promissa patribus sanctis facta? De quo sanctus patriarcha Iacob: *Salutare tuum expectabo, Domine,* [53] sive: *Iesum tuum expectavi, Domine ?*

quae continentur in Divinis Scripturis,

Ab omnibus enim Patriarchis et Prophetis et sanctis fidelibus

47) Io 17, 3. 48) Mt 9, 22; Mc 5, 34; Lc 7, 50; 8, 48. 49) Cf. Gn 18, 1 sqq.; 32, 24-30; Ex 33, 11; 3 Rg 22, 19; Is 6, 1-6; Ez 10, 8 sqq.; Dn 7, 13 sqq. 50) Ps 117 (hebr. 118), 26-27. 51) 9, 9. Vulg.: *Veniet tibi*, etc. 52) Ex 4, 13. 53) Gn 49, 18.

ardentissimis desideriis expectatus fuit Christus, tanquam unicus Salvator et bonorum omnium largitor perpetuaeque felicitatis per Adami peccatum amissae reparator et restitutor. Hinc dicitur *desideratus cunctis gentibus*, sive *desiderium cunctarum gentium*, [54] quoniam omnes homines natura felicitatem desiderant summisque votis exoptant, quasi natura suggerente ac dictante quod ad aeternam felicitatem conditi natique sumus.

**ab omnibus enim Patriarchis et Prophetis Messias expectatus fuit tanquam unicus Salvator.**

V. Alludit vero singulariter ad illustrissimum illud vaticinium Iacob patriarchae: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium:* [55] *donec veniat* שִׁילֹה, [56] *prosperitas, felicitas;* hinc ait ipse: *Expectatio gentium, desiderium cunctarum gentium*, nam de hoc ait in benedictione Ioseph: *Donec veniat desiderium collium aeternorum.* [57] Christus enim infinitus thesaurus est omnium desiderabilium bonorum, sicut in hodierno Evangelio ostenditur: caecis visus est, surdis auditus, mortuis vita.

**Sed singulariter alludit ad vaticinium patriarchae Iacob,**

Sic optime respondit Ioanni se illum esse qui venturus erat, salvator et bonorum omnium largitor Deus, thesaurus infinitus omnis felicitatis. Hinc enim ait: *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* His enim verbis manifeste ostendit se largitorem esse beatitudinis, quae, ut ille ait, «status est omnium bonorum cumulatione perfectus», [58] veluti est in corpore sanitas; necesse nanque est ut integra sit in omnibus corporis partibus, tum internis tum externis. Et quidem cum Deus Moysi venturum Christum declarare vellet, ait: *Ostendam tibi omne bonum.* [59] Vidit autem Moyses Deum ante se transeuntem in humana specie atque figura. [60] Deus autem humanatus Christus est: *Ostendam tibi omne bonum.* Quid Christus est? *Omne bonum.* Ecce *omne bonum : Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* [61] Quid est *pauperes evangelizantur*, nisi beati praedicantur? beatificantur? Pauper autem hebraice dicitur אֶבְיוֹן, [62] idest d e s i d e r a t u s ; nam qui bono aliquo eget, facile illud desiderat; pauperes autem,

**et consonanter respondet Christus ostendens se bonorum omnium largitorem,**

**cum sit verus Deus dans veram beatitudinem,**

54) Agg 2, 8. 55) Gn 49, 10. 56) Ms.: *Siloh.* 57) Gn 49, 26. Vulg.: *Donec veniret*, etc. 58) Boetius *De Consolatione Philosophiae*, lib. 3, prosa 2, (P. L. 63, 724). 59) Ex 33, 19. Vulg.: *Ostendam omne bonum tibi.* 60) Cf. ibid. vrr. 21 sqq. 61) Mt 11, 5. 62) Ms.: *Ebion.*

cum bonis omnibus egeant, omnia desiderant. Sed *pauperes evangelizantur*, beatificantur; omnia ergo desideria optatis bonis implentur. Ecce vera beatitudo, tunc enim beatus dici potest homo, cum omne desiderium cordis sui adimpletum fuerit.

quia continet omne bonum.

O felices qui Christum vere agnoscunt, qui in Christum vere credunt, qui vere ex animo ei adhaerent! Nam: *Mihi . . . adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* [63] *Bonum est*, inquit, mihi, quia in Deo omne bonum, a quo omne bonum. Christus autem verus Deus est, ergo adhaerere Christo bonum est: *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.*

Hoc autem noverat Ioannes,

Sciens itaque Ioannes quod Christus erat tanquam thesaurus absconditus in agro, ab omnibus quidem desideratus, sed tamen a nemine cognitus, et cupiens ex divina caritate, quae in ipsius pectore ardebat, revelare thesaurum hunc, misit discipulos suos ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es ?* interrogans non solum de primo Christi adventu, sed etiam de secundo, quo in maiestate venturus est ad iudicandum mundum, sicut prius venit ad salvandum. Dum autem Christus respondet: *Ite, renunciate Ioanni* quod *caeci vident*, etc., ostendit opera quae Christus egit in mundo non tantum corporaliter, sed etiam, imo maxime in spiritualibus. Nam ob peccatum homo factus est caecus ignorantia, claudus impotentia, leprosus concupiscentia carnis, surdus malitia, mortuus Deo, pauper, bonis omnibus privatus, nam ex paradiso eiectus ob peccatum homo fuit; [64] sed per Christi gratiam illuminatus est, rectificatus, mundatus, auditu praeditus, vitae restitutus, bonis coelestibus ditatus.

et Christus eius legationi respondet opera ostendendo.

Ex operibus agnoscitur quinam Christi sint.

His ergo signis cognosci potest opus Christi ab opere diaboli, quisnam homo opus Christi sit et quis opus diaboli. *A fructibus eorum cognoscetis eos*, [65] ab oculis, ab auribus, a pedibus, a sanitate vel infirmitate, a vita vel morte, a paupertate vel copia spiritualium bonorum. Qui oculis videt, auribus audit, qui spiritu Deo vivit, hic opus Christi est; qui autem spiritualibus hisce bonis et virtutibus caret, caecus est, mortuus est, non est opus Christi, nam *Dei perfecta sunt opera ;* [66] adhuc opus diaboli est, sicut et natus est filius irae et perditionis.

63) Ps 72, 28. 64) Cf. Gn 3, 6 sqq. 65) Mt 7, 20. Vulg.: *Ex fructibus*, etc.
66) Dt 32, 4.

VI. Duos de discipulis suis misit Ioannes ad Christum, *ut in ore duorum . . . testium stet omne verbum.* [67] Sic quilibet nostrum necesse est ut ad Christum mittat intellectum suum et affectum, ad Christum simul cognoscendum et diligendum: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus : beatus vir qui sperat in eo.* [68] O nos beatos, si quandiu spiritus noster adhuc in corporis huius carcere vinctus detinetur, duos hos discipulos, qui liberi sunt, ad Christum mittat auctorem bonorum omnium, qui venturus est iudicare universum mundum!

**In obsequium Christi captivandus est intellectus et affectus,**

Discant patresfamilias et parentes omnes a Ioanne hodie mittere filios suos ad Christum, ut Christum agnoscant, ut Christi opera videant, ut doctrina Christi imbuantur, nam doctrina Christi scientia salutis est, via salutis.

**nam doctrina Christi scientia salutis est.**

Cherubim illi gloriae ex auro purissimo erant, [69] quod est omnium metallorum excellentissimum; sic Christus et Ioannes Sanctorum excellentissimi sunt. Christus enim *Sanctus sanctorum* [70] est, *Sol iustitiae;* [71] de Ioanne autem ait: Plus quam propheta est; *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* [72] Interpretatur Cherub p l e n i t u d o s c i e n t i a e. Christus est *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [73] Dei. Sic ostendit hodie se cognoscere secreta conscientiae et excellentiam meritorum Ioannis, quae solus Deus, cordium scrutator, cognoscit. Vaticinium etiam M a l a c h i a e et Sacram Scripturam interpretatur: *Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum.*

**Ostenditur hodie divina Christi scientia**

Ioannis etiam sapientia ostenditur in legatione missa ad Christum: *Tu es qui venturus es ?* etc. Erat fere communis omnium opinio de Ioanne quod ipse erat Messias. Sic enim L u c a s ait: *Existimante autem populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus,* [74] ad tollendam opinionem hanc publicam mittit legationem ad Christum, simulans sanctam quandam et doctam ignorantiam ad Christi gloriam, quasi certo nesciret an Christus verus esset Messias, sed cupere ab ipso veritatem scire et intelligere illique summam fidem praestandam esse, quoniam ipsius opera indicabant ipsum esse Messiam; sed rogabat ut manifeste diceret, eo quod talis ac tantus erat, ut dictis ipsius magis quam operi-

**et Ioannis sapientia, humilitas et zelus ut Christus agnosceretur;**

67) Dt 19, 15; Mt 18, 6; 2 Cor 13, 1. 68) Ps 33, 9. 69) Cf. Ex 37, 7.
70) Dn 9, 24. 71) Mal 4, 2. 72) Cf. supra, not. 6. 73) Col 2, 3. 74) 3, 15.

bus integerrima praestanda sit fides. Ostendit etiam se scire quaecunque de Messia in Lege et Prophetis scripta erant, propterea ait: *Tu es* ille *venturus ?*

non quaerit enim gloriam suam, sed Christi.

Intuebantur cherubim divinum propitiatorium stantes expansis alis, veluti ad volandum ad exequendam divinam voluntatem. Haec fuit semper vita Ioannis in deserto, haec vita Christi: contemplatio divina et summa animi promptitudo ad exequendam in omnibus et per omnia divinam voluntatem, cum in prosperis tum etiam in adversis. Hinc Ioannes in vinculis non quaerit quae sua sunt, sed quae Iesu Christi, [75] et facto docet simplici verbo Christi in omnibus credendum esse nullique rei maiorem adhibendam ac praestandam esse fidem quam simplici verbo Christi.

Christus vere est desiderium hominum, omnia bona in se continens.

VII. *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus... quem vos vultis,* idest quem summopere desideratis: *Veniet desideratus cunctis gentibus,* hebraice: *Venient desiderium cunctarum gentium.* Paralogizare videtur Vates: *Venient desiderium,* sed venient, inquit, bona omnia cum Christo, quae sunt hominibus desiderio. Nam felicitas multa videtur requirere bona, veluti opes ingentes, honores, delicias cum sanitate et diuturnitate vitae. Sic in *Canticis* ubi legimus: *Totus* ipse *desiderabilis,* [76] hebraice est: *Totus ipse desideria,* idest in seipso complectitur bona omnia desiderabilia. Sic ipse est *desiderium collium aeternorum.* Supra terram sunt montes et colles, in mundo universo Angeli et homines, ambo aeterni, ambo immortales; illi altiores videntur, quoniam in coelo supra terram sunt collocati. Non expectabant Angeli Christi adventum ad felicitatem consequendam, nam felices erant; expectabant homines; hinc *desiderium collium aeternorum.*

75) Cf. Phil 2, 21. 76) 5, 16.

## II. ALIA HOMILIA

*Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, etc.* [1]

I. •Proponitur Ioannes tanquam verum ac perfectum christiani hominis exemplar, forma vitae et regula morum. Nam Ioannes gratia interpretatur, eo quod Deo gratissimus erat et plenus gratia Spiritus Sancti *adhuc ex utero matris suae.* Sic enim Angelus de eo ait: *Erit . . . magnus coram Domino . . . et Spiritu Sancto replebitur . . . ex utero matris suae.* [2] Est autem in vinculis, quoniam christiano homini mundus hic, corpus hoc carcer est. Hinc Paulus ait: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* [3] En homo in vinculis dissolvi cupiens. Sic enim homo vere christianus vitam aeternam cupit, sicut captivus in carcere et vinculis detentus libertatem; quandiu autem in vinculis detinetur, audit opera Christi, non mundi, fide et auditu divinorum operum delectatur mittitque per orationem ad Christum in coelum *duos de discipulis suis,* [4] intellectum et affectum; his enim partibus oratio et contemplatio constat: cognitione et desiderio. Hinc iuxta altare incensi erat candelabrum cum lucernis ardentibus et mensa cum panibus propositionis. [5] Lux visus obiectum est, panis appetitus; desiderabilis enim lux est oculis et cibus appetitui.

**Proponitur Ioannes perfectum exemplar hominis christiani.**

Sed, bone Deus, quam vere dixit Angelus: *Erit enim magnus coram Domino!* Videmus hodie quam magnus sit Ioannes in oculis Christi. Omnis homo carne et spiritu constat, corpore et anima, sensu et ratione. Ioannes autem homo erat, nam: *Fuit homo missus a Deo.* [6] Sed qualis homo! Superhumanus, coelestis, angelicus, divinus, inquit Christus, non mundanus homo, vento fortunae expositus, sed omni fortuna mundi superior, tanquam columna immobilis, tanquam mons in medio maris; non homo carnalis, deditus deliciis et voluptatibus sensus et carnis, sed vitam ducebat asperrimam, incredibili abstinentia, poenitentia, carnis maceratione, cilicio, ieiunio, vigiliis, chameunia, idest humi cubatione in asperrimo deserto; totus spiritus erat, propheta, plus quam propheta, [7] homo sanctissimus,

**Ioannes homo erat plane mirabilis poenitentia et sanctitate;**

1) Mt 11, 2. Vulg.: *Ioannes . . . cum audisset in vinculis,* etc. 2) Lc 1, 15. 3) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens dissolvi,* etc. 4) Mt 11, 2. 5) Cf. Ex 40, 20-25. 6) Io 1, 6. 7) Cf. Mt 11, 9.

angelus in carne, qui dicere poterat: *Nostra ... conversatio in coelis est ;* [8] *Ecce ego mitto Angelum meum;* [9] alter Elias *in spiritu et virtute,* [10] imo multo maior Elia.

talem oportet esse verum christianum qui vitam coelestem in terra vivere debet.

Hoc igitur exemplar est et forma hominis christiani: totus gratia est, nam fides, qua christianus est, donum Dei est supra naturam; templum Spiritus Sancti est, totus vitae aeternae desiderio ardet; non vivit secundum carnem, sed secundum spiritum, non secundum mundum, sed secundum Deum. In hoc differt christianus homo a pagano, ab infideli, quod hic non alium agnoscit paradisum, non aliam vitam, non alia bona nisi praesentia et mundana, ideo nonnisi secundum appetitum carnis vitam ducit. Sed, heu! ubi nunc Ioannes? Ubi coelestis conversatio? Ubi vita angelica? Christianus homo, si vere talis est, spiritu Dei plenus, vitam ducit in terris coelestem, angelicam; paganus autem animalem, sicut Paulus ait: *Animalis ... homo non percipit ... quae sunt spiritus Dei.* [11]

Christus etiam signa ostendit hominis christiani,

In eo autem quod Christus ait: *Caeci vident,* etc., [12] ostendit signa hominis vere christiani; nam paganus nec oculos habet ad videndum quae Dei sunt, nec aures ad audiendam vocem Dei; totus leprosus et immundus est, totus claudus, propensus, inclinatus ad carnem non ad spiritum, ad terram non ad coelum, ad mundum non ad Deum; mortuus est quoad Deum. Sic legimus quod oculos habent et non vident, aures et non audiunt, *neque ... est spiritus in ore ipsorum.* [13]

quem spiritu suo implet, illuminat et vivificat.

Christus autem, cum christianum hominem spiritu suo impleat, implet prudentia et fide, virtutibus omnibus et donis Spiritus Sancti. Sic quamvis ob peccatum Adami homo natus sit caecus, imo mortuus spiritu, illuminatur et vivificatur a Christo.

In sua responsione Christus se ostendit plenum Spiritu Dei,

II. *Quid existis in desertum videre ? Prophetam? ... Plus quam prophetam.* [14] In hoc ostendit Dominus se Spiritu Dei plenum, quemadmodum Isaias ait: *Requiescet super eum spiritus Domini : spiritus sapientiae et intellectus,* etc.; *non secundum visionem oculorum iudicabit ... sed iudicabit in iustitia pauperes.* [15] Si secundum visionem oculorum iudicasset Christus Ioannem, quomodo eum tantopere

8) Phil 3, 20. 9) Mal 3, 1. 10) Lc 1, 17. 11) 1 Cor 2, 14.
12) Mt 11, 5. 13) Ps 134, 17. 14) Mt 11, 9. 15) 11, 2-4.

exaltasset? Erat tunc Ioannes pauper captivus, ab Herode rege in carcere et vinculis detentus, [16] ab omnibus fere derelictus atque despectus. Tamen videns qualis erat Ioannes in oculis Dei secundum spiritum, non in oculis mundi secundum carnem, eum tam illustri encomio laudat et super astra extollit: *Prophetam... et plus quam prophetam: Ecce ego mitto Angelum meum.*

Commendans hodie Christus Ioannem non respexit externa quae mundus respicit, sed interna quae respicit Deus, nam *quod altum est apud homines*, uti erat Herodes, *abominatio est apud Deum.* [17] Samueli dixit Deus, cum misit ad ungendum David in regem Israel: *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturae eius; neque* enim *iuxta intuitum hominis ego iudico; homo enim videt ea quae parent, Deus autem intuetur cor.* [18] Sic Christus egit hodie: interiora Ioannis intuitus est, nam: *Omnis gloria eius... ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietate* [19] virtutum omnium, coelestium gratiarum et donorum Spiritus Sancti.

**non enim respicit ut mundus externa Ioannis, sed interna, quae respicit Deus.**

III. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi.* Cum prius Ioannes ad ripam Iordanis baptizaret, videns Christum ad se venientem eumque indice demonstrans, certissime asseverasset dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* [20] docere volens his verbis quod ipse Agnus esset verus Messias, nunc dubitare videtur: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* [21] Forte in tribulatione positus vacillare coepit, nam Regius Vates ait quod iusti videntes in mundo prosperitatem impiorum et adversitates cultorum Dei, dicere aliquando solent: *Quomodo scit Deus? et si est scientia in excelso? Ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias.* [22] En Ioannes in vinculis et Herodes in regali solio, Pharao regnans in Aegypto et Moyses exul in terra Madian fugiens persecutionem. [23]

**Non quasi dubitans, ut videtur, Ioannes ad Christum legationem mittit,**

Sed non fuit Ioannes arundo vento agitata, [24] ut vacillaret in fide, ut mutaret propositum; animum habuit omni fortuna superio-

**sed simulat ignorantiam,**

16) Cf. Mt 14, 3; Mc 6, 17. 17) Lc 16, 15. Vulg.: *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* 18) 1 Rg 16, 7. Vulg.: *Nec iuxta... Dominus,* etc. 19) Ps 44, 14-15. 20) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* ex Liturgia Ecclesiae. 21) Mt 11, 3. 22) Ps 72, 11-12. 23) Cf. Ex 2, 15. 24) Cf. Mt 11, 7.

ut Christus verus Messias clare agnosceretur.

rem, sicuti est superna aeris portio coelo propinqua, quae[25] nunquam ventis agitatur, nec terrenis vaporibus sursum ascendentibus deturpatur. Homo erat totus coelestis. Sed sicut Christus pro salute discipulorum euntium in Emmaus *finxit se longius ire,*[26] ita nunc Ioannes doctissimam ac divinissimam quandam ignorantiam simulat. Sicut tamen non vere Christus finxit, nam si non tenuissent eum, procul dubio abiisset, sic nec Ioannes; sed docuit se non esse Messiam, sed quod miracula a Christo patrata ostendebant ipsum esse Messiam et quod certitudo huius fidei a Christi ore petenda erat tanquam a veritate infallibili.

Multi sunt mali principes Herodi similes.

IV. *Cum audisset Ioannes in vinculis.* Malum signum est cum gratia Dei, sanctitas vitae, virtus et iustitia patitur persecutionem a principibus, qui fideles se esse dicunt, qualis erat Herodes ad Herodiadis instantiam. In *Apocalypsi* legimus ligatum fuisse satanam ab Angelo, qui Christi personam gerebat, sed quod tandem solvendus erat.[27] Utinam, fratres, non modo solutus sit, cum totus mundus videtur in *maligno positus,*[28] cum tot haereses grassantur, tot vitiorum monstra, tot scelerum portenta! Nunc regnat Herodes; quotusquisque enim nunc reperiatur princeps, non loquor de infidelibus, qui[29] non sit Herodi similis? cui non dominetur libido carnis et mentis? qui non cum Herode paria redderet Ioanni praedicanti: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui?*[30] Princeps quisque omnia sibi licere arbitratur ac si deus esset. Hanc vocem audire non potest Divi Ioannis: *Non licet tibi,* quisque cum rege Tyri dicit in corde suo: *Deus ego sum.*[31]

His verbis celebrat Christus Ioannis inconcussam virtutem.

V. *Quid existis... videre? Arundinem vento agitatam?*[32] Significat Dominus his verbis quod Ioannes erat confirmatus in gratia per Spiritus Sancti plenitudinem. Hoc est quod Regius Vates summopere cupiebat petebatque a Deo summis precibus: *Spiritu principali,* sive spontaneo, aut spiritu principum, qui solent esse magni spiritus, *confirma me;*[33] *et spiritum rectum,* novum, firmum,

25) Ms.: *Qui.* 26) Lc 24, 28. Vulg.: *Se finxit,* etc. 27) Cf. 20, 1-2. 28) 1 Io 5, 19. 29) Ms.: *Quis.* 30) Mc 6, 18. 31) Ez 28, 2. 32) Mt 11, 7 33) Ps 50, 14.

stabilem, *innova in visceribus meis,*[34] ut sim tanquam firmissima columna in templo Dei. Sic, inquit, spiritu hoc firmo et inconcusso praeditus erat Ioannes, ita ut a iustitia et rectissima virtutis regula nec latum unguem dimoveri unquam potuerit tentamentis satanae malignorumque spirituum instigamentis; nam si Christus tentatus fuit in deserto,[35] etiam Ioannes fuit tentatus.

**quae nullis tentationibus unquam victa fuit.**

*Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Arundo hieroglyphicum est infirmitatis ac fragilitatis humanae. Non sic Ioannes, sed columna est templi Domini, sicut in *Apocalypsi* dicitur: *Faciam illum columnam in,* etc.,[36] sicut Apostoli a Divo Paulo dicti fuere *columnae: Videbantur columnae esse.*[37] Sed specialiter columna Ioannes, hieroglyphicum fortitudinis, cum inscriptione: « Frangar, non flectar »;[38] fractus est martyrio, non flexus vitio ad iniquas Herodis voluntates; hieroglyphicum firmitatis, cum inscriptione: « Onere firmior; »[39] columna recta ad perpendiculum supra basim solidam, hominem designans constantissimo animo praeditum. O magnum onus super hanc columnam! onus dignitatum a Deo, honorum a mundo, tribulationum ab Herode et tentationum a satana! Tamen nihilo mota est unquam firmissima haec columna.

**Ioannes terminus fuit inter Vetus et Novum Testamentum.**

Quod si aliquando statui solet columna pro termino, Ioannes terminus est inter Vetus Testamentum et Novum, inter legem et Evangelium, synagogam et Ecclesiam, aurora inter noctem et diem, columna mirabilis ignis et nubis, semper elevata a terra, ut Hebraeos in terram promissionis duceret.[40] Ad hoc missus fuit Ioannes, ut Hebraeos ad Christum converteret. Duas columnas videmus in hoc Evangelio, sicut *Iachim* et *Bohaz* ante fores templi Salomonis:[41] *Iachim* columna firmitatis, Ioannes; *Bohaz* columna fortitudinis, Christus.[42]

34) Ibid vr. 12. 35) Cf. Mt 4, 1-10; Mc 1, 13; Lc 4, 1-12. 36) 3, 12.
37) Gal 2, 9. 38) Emblema haraldicum aliquarum nobilium familiarum. Cf. Iac. Gelli *Divise Motti Imprese*, pag. 294, n. 778. Ulrico Hoepli, Milano 1916. 39) Aliud emblema simile priori, de quo tamen exempla reperire non potuimus. 40) Cf. Ex 13, 21 sq.
41) 3 Rg 7, 21. Vulg.: *Booz*. *Bohaz* ex hebraico. 42) Sic enim latine haec nomina interpretantur.

## DOMINICA TERTIA

*Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum: Tu quis es?* [1]

**Ostenditur hodie infinita excellentia Christi,**

I. Ostenditur in hodierno Evangelio Christi Domini infinita dignitas et super omnes creaturas excellentia, nam ipse est verus ille Deus qui in humana specie et figura apparuit patriarchae Iacob in summitate scalae illius, quae in terris posita coelos penetrabat. [2] Deus enim in humana forma quid est nisi Christus Deus et homo? Scala autem illa, quam domum Dei esse Iacob ipse interpretabatur, [3] mundum designat, Ecclesiam, paradisum. Nam mundus Dei domus est, in quo habitat per naturam; Ecclesia, in qua per gratiam; paradisus, in quo per gloriam. Tum autem natura, tum gratia, tum gloria plures habent gradus, plures rerum ordines; Christus autem semper in capite, quoniam *sedet a dextris Dei,* [4] aequalis Deo est; non solum verus homo, sed et verus Deus.

**quae magis agnoscitur comparatione magnitudinis Ioannis, qui Messias putabatur,**

Voluit autem Spiritus Sanctus hodie ut Christi magnitudinem Ioannis comparatione agnosceremus; nam sicut luna plena, sereno coelo, sol quidam nocturnus videri potest, orto tamen sole, omnis ipsius splendor pallescit et deficit. De Ioanne dixit Gabriel Angelus: *Erit... magnus coram Domino... Spiritu Sancto replebitur... ex utero matris suae... praecedet ante* Dominum *in spiritu et virtute Eliae.* [5] Dominus ipse Ioannem prophetam et plus quam prophetam, veluti coryphaeum Prophetarum appellavit, et Angelum Domini; [6] et ob divinam vitae sanctitatem ab universo populo Messias putabatur. [7] Hinc venit ad eum hodie tam illustris Iudaeorum legatio,

1) Pericope huius diei Io 1, 19-28. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 28, 12-13. 3) Cf. ibid. vr. 17. 4) Mc 16, 19. 5) Lc 1, 15-17. 6) Cf. Mt 11, 9-11. 7) Cf. Lc 3, 15.

ad sciendum ab eo an ipse esset Messias, vel an Elias, maximus Prophetarum, an unus ex antiquis Dei Prophetis, vel forte singularis ille propheta Moysi similis, promissus a Deo universo populo. [8]

Sed tamen lucifer est solem praecedens atque praenuncians, non sol ipse est: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine... Erat lux vera quae illuminat omnem hominem,* [9] idest potens ad omnes illuminandos homines mundi totius, omnium aetatum. Hinc Ioannes Christo comparatus ait: *Qui post venit... ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamentorum.* [10]

**cum esset simplex praecursor illius.**

II. Homo a Deo magnus et in magna gloria conditus fuit, sed Dei comparatione nihil erat; hinc dicitur *imago et similitudo Dei;* [11] imago, צֶלֶם, [12] u m b r a , et similitudo, דְּמוּת, a דּוּמָה, s i l e n t i u m , veluti pictura muta. Distabat etiam tunc a Deo sicut imago picta regis in tela vel charta ab ipso vero rege et monarcha potentissimo. Videbatur Ioannes mirandum prodigium: *Tu quis es? Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* [13] Novam et insolitam vitam ducebat; non homo videbatur, sed angelus in carne. Magnus Ioannes testimonio I s a i a e : *Ego vox clamantis in deserto;* [14] magnus testimonio Angeli Gabrielis: *Erit enim magnus coram Domino;* magnus testimonio E v a n g e l i s t a r u m : *Fuit homo missus a Deo,* [15] tanquam unicus Dei nuncius et legatus; magnus testimonio Spiritus Sancti per os Zachariae, nam *pater eius repletus... Spiritu Sancto... prophetavit dicens:... Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, praeibis... ante Dominum parare vias eius;* [16] magnus testimonio Christi: *Ipse est Elias,* [17] propheta et plus quam propheta, [18] *inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista;* [19] magnus tandem testimonio ipsius Dei: *Ecce ego mitto Angelum meum et prae-*

**Magnus quidem videbatur Ioannes, sed Christo comparatus nihil est.**

8) Cf. Dt 18, 18. 9) Io 1, 7-9. 10) Ibid. vr. 27. Vulg.: *Qui... post me venturus est... corigiam calceamenti.* In margine haec adiecta fuerunt: « David, licet a Deo unctus esset et electus rex et regis Saul gener esset, tamen coram Saul constitutus pronus in terram dicebat se regis comparatione canem mortuum esse et pulicem unum. Quid mirum si Ioannes Christo tantopere se submittit, tantopereque se deicit coram eo: *cuius ego non sum dignus,* etc.? » 11) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 12) Ms.: *Zelem* et infra: *Demuth* et: *Dumah.* 13) Lc 1, 66. 14) 40, 3. Refert ex Io 1, 23. 15) Io 1, 6. 16) Lc 1, 66-76. Vulg.: *Ante faciem Domini parare,* etc. 17) Mt 11, 14. 18) Cf. ibid. vr. 9. 19) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Non surrexit inter natos mulierum maior,* etc.

*parabit viam ante faciem meam.* [20] Sed tamen Christo comparatus nihil est Ioannes: *Ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamenti.*

Christus et Ioannes duo sunt luminaria magna in Evangelio.

Divus Moyses in sua cosmopoeia introduxit Deum creantem duo luminaria magna, sed ad invicem comparata alterum multo minus, multo inferius est: *Fecit ... Deus duo luminaria magna: luminare maius ut praeesset diei, et luminare minus ut praeesset nocti.* [21] Sic sunt Christus et Ioannes duo luminaria magna splendentia in sacro Evangelio; sed Ioannes luminare minus est; luna est sole multo inferior, quae nonnisi ab ipso sole lumen accipit, a sole omnis ipsius virtus, splendor et gloria dependet.

Omnes Sancti templa sunt Dei, sed specialiter Christus et Ioannes;

Duo specialia Dei habitacula reperiuntur in Scripturis Sacris: prius quidem tabernaculum Moysi, [22] posterius vero multo maius, multo augustius multoque gloriosius, templum Salomonis in Ierusalem. [23] Omnes electi et Sancti templa sunt Dei, templa Spiritus Sancti; specialiter tamen Ioannes et Christus, qui Sanctorum sunt coryphaei: Ioannes princeps Sanctorum omnium Veteris Testamenti, Christus princeps Sanctorum Novi Testamenti singulariter, licet Sanctus sit Sanctorum omnium; Ioannes templum Spiritus Sancti, nam ait: *Spiritu Sancto replebitur ... ex utero matris suae ;* Christus templum Spiritus Sancti, nam: *Requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus;* [24] *Spiritus Domini super me, eo quod unxit ... me.* [25] Sed Christus templum multo maius et augustius, quoniam in eo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* [26]

Ioannes tamen agnoscit infinitam Christi superioritatem.

Nec tamen existimandum est non vera esse quae dicit Ioannes, sed ex modestia et animi summa demissione ac humilitate dicere se indignissimum esse Christi servum; nam hoc est: *Non sum dignus,* ut Matthaeus habet, eius *calceamenta portare,* [27] vel, ut Marcus habet: *Procumbens solvere corigiam calceamentorum eius;* [28] nam veluti adagium hoc erat, sicut antiqui dicebant: indignus qui matellam sive matulam illi porrigat, [29] proverbiali hyperbole ad designandum sordidissimum ministerium, et nunc vulgo dici solet: indignus est qui calces illi detrahat. [30]

20) Mal 3, 1. 21) Gn 1, 16. 22) Cf Ex 25, 1 sqq. 23) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq. 24) Is 11, 2. 25) Ibid. 61, 1. Vulg.: *Unxerit... me.* 26) Col 2, 9. 27) 3, 11. 28) 1, 7. 29) Cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 334. 30) Proverbium vulgatissimum

Omnes creaturae mancipia vilissima sunt Deo compositae;

III. Humillime quidem haec dicebat Ioannes, ita ut ex hoc gestu desumi possit appositissimum humilitatis hieroglyphicum; sed tamen verissime haec enunciabat. Nec tantum Ioannes, sed quilibet etiam Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, Angelorum, Cherubim, Seraphim, si interrogetur: *Tu quis es ?* responderet: Indignissimus Christi servus, *cuius non sum dignus.* Hoc est quod insinuare voluit Dominus Moysi, cum apparuit ei in rubo ardenti. Ait enim: *Ne appropies... huc, solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* [31] Humillimam ab eo reverentiam requisivit, sicut et Angelus Domini qui apparuit Iosue. [32] Moyses autem, cum cognovisset Deum sibi apparuisse, statim pallio operuit faciem suam, indignum se arbitratus qui faciem Dei videret et coram Deo staret. [33] Elias etiam, cum ei apparuit Deus in monte sancto Horeb, post mirabile ieiunium et iter quadraginta dierum, pallio faciem suam operuit. [34] Imo Seraphim apud I s a i a m stant coram Domino opertis vultibus et pedibus, sed duabus tantum alis volitabant. [35]

hoc testatur Ioannes legatis Iudaeorum respondens,

In quo designatur summorum etiam Angelorum tum humilitas tum caritas erga Deum, erga Christum; sicut Ioannes his verbis duo significat: se quidem desiderare servum Christi esse, sed indignum se agnoscere. Apud M a t t h a e u m , [36] M a r c u m [37] et L u c a m: [38] Οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς, [39] *non sum aptus,* idoneus; apud I o a n n e m vero: Οὐκ εἰμὶ ἄξιος, [40] *non sum dignus,* quasi dicat: Ἀν-άξιος, [41] *indignus sum.* Ad serviendum, inquit, magno principi, summo regi duo requiruntur: dignitas, quae pendet ex animi sanguinisque nobilitate, et aptitudo ad munus aliquod pro dignitate exercendum. Sic enim hodie Iudaeorum respublica destinavit ad Ioannem nuncios et oratores, viros nobiles et eruditos, sacerdotes et levitas ex Pharisaeis; ad fungendum enim hoc munere is quidem ineptus erit, cum nulla praeditus sit vel naturali eloquentia vel arte dicendi; alius vero indignus ob generis obscuritatem, qui nulla est virtutis laude clarus atque conspicuus. Ioannes inquit se et ineptum et indignum esse.

dum se indignum declarat Christi servum esse.

nostris quoque diebus. In margine haec adiecta fuerunt: « Sic Abraham patriarcha regum summus aiebat: *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis;* sic Iacob: *Minor sum, Domine, cunctis miserationibus tuis* ». 31) Ex 3, 5. Vulg.: *Calceamentum*, etc. 32) Cf. Ios 5, 13 sqq. 33) Cf. Ex 3, 6. 34) Cf. 3 Rg 19, 3-13. 35) Cf. 6, 2. 36) 3, 11. 37) 1, 7. 38) 3, 16. 39) Ms.: *Uch imi hicanos.* 40) 1, 27. Ms.: *Uch imi axios.* 41) Ms.: *Anaxios.*

Sic et angelici seraphici spiritus coram Deo facies suas operiunt quasi indigni sint divino ministerio; pedes etiam opertos habent ac veluti colligatos tanquam inepti,[42] nam ineptus ad ambulandum est homo pedibus obvolutus ac veluti colligatus; sic vere Ioannes ait: Οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς, οὐκ εἰμὶ ἄξιος:[43] *non sum aptus, non sum dignus* vel humillimum ac sordidissimum praestare ei ministerium.

Etiam Angeli se indignos profitentur servos Dei, sed tamen promptissime obediunt,

Angeli quoque supremi ineptos se et indignos profitentur, sed tamen promptos animo, imo promptissimos. Hoc est enim quod stant expansis ac veluti alis volitantibus tanquam paratissimi ad divina quaeque exequenda mandata, ut Christo regi ac Domino ad nutum pareant et in omnibus morem gerant: *Qui facit Angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis;*[44] idest volant Angeli sicut venti et sicut flammae ignis ad exequenda et opere complenda Christi Domini iussa. Hinc legimus: *Ite, Angeli veloces.*[45] Nam Angeli motu suo etiam mentium nostrarum ac cogitationum velocitatem longe superant et excedunt; in ictu nanque oculi ascendunt et descendunt de coelo, sicut Iacob ascendentes vidit in spiritu ac descendentes per scalam coeli.[46]

sic etiam Isaias, Ieremias, Moyses;

Isaias mittendus a Domino ad praedicandum dicit se tali munere indignum: *Quia vir pollutus labiis ego sum;*[47] unde descendit Seraph ad eum purgandum calculo ignito: *Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur.*[48] Ieremias ad idem munus destinatus se dixit ineptum: *A, Domine... ecce nescio loqui, quia puer ego sum;*[49] sed Dominus manu sua tetigit os ipsius deditque verba sua in ore ipsius.[50] Moyses indignum simul et ineptum se esse professus fuit dicens: *Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem?*[51] *Obsecro, Domine, non sum eloquens; ab heri et nudiustertius... ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae sum.*[52]

sic et Ioannes cum cognovisset in Iordane infinitam Christi magnitudinem.

Sic Ioannes indignum simul et ineptum se dicit ad praedicandum divinae incarnationis mysterium Christumque in lege et Prophetis absconditum manifestandum eique vel in minimis ac vilissimis ministeriis serviendum. Sicut autem Isaias, postquam Deum vidit Chri-

42) Cf. Is 6, 2. 43) Ms.: *Uch imi icanos, uch imi axios.* 44) Ps 103 (hebr. 104), 4. Affert ex Hebr 1, 7. 45) Is 18, 2. 46) Cf. Gn 28, 12-13. 47) 6, 5. 48) Ibid. vr. 7. 49) 1, 6. 50) Cf. ibid. vr. 9. 51) Ex 3, 11. 52) Ibid. 4, 10.

stique magnitudinem et gloriam agnovit, indignitatem suam confessus fuit, quoniam tunc vere seipsum cognovit, sic Ioannes, postquam in Iordane Christum agnovit, quoniam dum baptizaretur super eum aperti sunt coeli descenditque Spiritus Sanctus et vox Dei audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui,* [53] tunc plane seipsum agnovit, quod omnis creatura Deo comparata nihil est.

...

Difficile admodum est noscere seipsum puram vanitatem Dei comparatione.

IV. Difficilis plane philosophia, antiquitus tantopere celebrata Apollinis oraculo, noscere seipsum: Γνῶθι σεαυτὸν [54] Unde interrogatus Thales Milesius: Τί ἐστί δυσχαλὸν? Ἔφι: ἑαυτοῦ γνώμη. [55] Quid est difficile? respondit: Seipsum nosse. [56] Si enim parentes nostri seipsos vere novissent, non appetivissent, diabolo suggerente, divinae gloriae altitudinem: *Eritis sicut dii* ; [57] nec Lucifer, si vere seipsum agnovisset, in Deum elatus fuisset dicens: *Similis ero Altissimo,* [58] quoniam omnis creatura vanitas ac nihil est: *Vanitas vanitatum,* idest maxima vanitas, *et omnia vanitas ;* [59] *Universa vanitas omnis homo vivens.* [60] Hinc *Psalmo 61,* ubi habemus: *Quoniam vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi in vanitate in idipsum,* hebraice est: *Certe vani filii hominis, mendaces filii viri, in stateris si ascendant ipsi, pariter leviores sunt vanitate.* [61] Elegantissima hyperbole ostendit omnes homines tum ignobiles tum nobiles ipsissimam vanitatem esse: *Omnis homo mendax,* [62] mendacium ipsum est, quoniam, cum nihil sit, existimat et ostendit se aliquid esse. [63]

Ex hac ignorantia Iudaei pluris faciebant Ioannem quam Christum.

Non sic Ioannes, sed *non sum,* inquit, *non sum, non sum, non sum dignus ;* existimabat se nihil esse, quoniam vere omnis creatura nihil est Dei comparatione. Et tamen, o deplorandam caecitatem nostram! nos pluris facimus creaturam quam Creatorem; similes utique Iudaeis, qui legatos et oratores miserunt non ad Christum, sed ad Ioannem, existimantes Ioannem Christo maiorem esse, luciferum sole, servum domino suo, hominem Deo, pygmaeum maximo

53) Mt 3, 17; Lc 3, 22. 54) Cf. Plato *Alcibiades*, pag. 24; Plutarchus *Ethica*, Orat. ad Apollonium pag. 181; *De Garrulitate*, pag. 336. Ms.: *Gnoth seauton.* 55) Ms.: *Ti esti discalon ? Ephi eautou gnome.* 56) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 1, pag. 20. 57) Gn 3, 5. 58) Is 14, 14. 59) Eccle 1, 2; 12, 8. 60) Ps 38, 6. 61) Hebraice 62, 10. 62) Ps 115, 11. 63) Cf. Gal 6, 3.

gigante. Hoc autem quoniam ignorabant, non cognoscebant Christum: *Medius... vestrum stat quem vos nescitis.* [64] Si sciretis, inquit, si vere cognosceretis Dominum gloriae, qui stat medius vestrum, qui inter vos conversatur, non ad me venissetis, sed ad illum utique suscipiendum et adorandum ivissetis; ipse enim talis ac tantus est, ut ego nec dignus quidem sim inter minimos eius servos adscribi et numerari. Sed *medius... vestrum stat quem vos nescitis.*

Sic cum Deus ignoratur, mundus magis quam Deus aestimatur,

Sic nos, fratres, Deum ignorantes pluris facimus mundum, homines, quae mundana sunt, quam ipsum Deum omnium conditorem, servatorem, largitorem bonorum. Sed quia Deus oculis non videtur nec sensu percipitur, ita vivimus ac si omnino non esset Deus. Expectabant Iudaei Messiam felicitatis largitorem, sed verum Christum verae felicitatis auctorem noluerunt agnoscere, sed existimantes Ioannem esse Messiam, ad eum abierunt. Sic nos mundum hunc existimamus esse datorem felicitatis, cum tamen mundus dicat cum Ioanne: *Non sum ego Christus,* [65] non ego Deus qui possim homines felicitate donare. Cum enim in mundo nemo sit sua sorte contentus, quoniam mundana omnia occupare quidem possunt humanum cor, non autem implere, quid hoc est nisi ipsius mundi vox, quae manifeste dicit: Non sum ego qui possim vos optata animi felicitate donare?

qui solus cor humanum implere potest.

Bona mundi sunt veluti cibus qui comestus stomachum gravat, sed nec famem nec sitim levat, sicut hydropicis accidit: semper bibunt et semper ardentiori siti tenentur ac cruciantur. O nos felices, si tanti faceret mundus Deum quanti facit pecuniam! Ab hac existimant omnes omnem pendere felicitatem, quoniam haec principatum tenere videtur in mundo, reginam agere, omnia posse, omnipotens reputatur. Sed Ioannes ait: Ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ἰσχυρότερός μού ἐστιν: [66] *Qui... post me venit, fortior,* potentior *me est.* [67] Quis enim pecuniam, quis aurum, quis argentum creavit? *Meum est argentum et meum est aurum.* [68]

V. *Cuius ego non sum dignus.* Isaias capite 40, ubi de Ioanne vaticinatur: *Vox clamantis in deserto,* [69] cum Ioannis adventum prae-

64) Io 1, 26. Vulg.: *Stetit quem vos nescitis.* 65) Ibid. vr. 20. 66) Ms.: *O de opiso mu erchomenos ischirotheros mu estin.* 67) Mt 3, 11. Vulg.: *Qui... post me venturus est*, etc. 68) Agg 2, 9. 69) Vr. 3.

dixisset, statim de Christi adventu sermonem instituit: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet et brachium eius dominabitur, ecce merces eius cum eo est et opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit, fetas ipse portabit,* [70] sive adducet. Quibus verbis ostendit quod Deus infinitae maiestatis venturus erat in mundum, sed in mansuetudine et humilitate tanquam pastor humilis, non tanquam rex superbus, ob summam ipsius erga nos caritatem.

Praedixit Isaias adventum Christi in humilitate et mansuetudine.

Ut sciremus tamen verum esse Deum sub tanta humilitate, infinitam eius magnitudinem, potentiam, et sapientiam declarat: *Quis mensus est pugillo aquas et coelos palmo ponderavit,* sive mensuravit? *Quis appendit tribus digitis molem terrae et libravit in pondere montes et colles in statera? Quis adiuvit Spiritum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit et ostendit illi? Cum quo iniit consilium et instruxit eum et docuit eum semitam iustitiae et erudivit eum scientiam et viam prudentiae ostendit illi? Ecce gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt... Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei,* hebraice est: *Plus quam nihilum et inane.* [71] Si omnes gentes, si totus mundus nihil est coram Deo, comparatione Dei, quid mirum si Ioannes dicit se indignum ac nihili servum Christi esse? Tam magnus est, inquit, Deus, ut coelum universum palmo ac pugillo comprehendat, ut universum mare veluti modicum aquae sit in vola manus, ut orbis et globus terrae sit veluti modicum pulveris qui extremis digitis capitur. O infinitam Dei magnitudinem et immensitatem! Talis ac tantus Deus Christus est in cacumine scalae. Nam in mundo hoc superiora elementa semper sunt multo maiora et ampliora, ita ut terra nihil sit coelo collata; ita mundus Deo.

sed simul declarat eius magnitudinem, potentiam et sapientiam.

VI. *Cuius ego non sum dignus.* Serenissimus et sanctissimus rex David humiliabat se coram arca Domini: *Vilior fiam plus quam factus sum et ero humilis in oculis meis.* [72] Placuit enim semper Deo vera humilitas; hinc *humilibus... dat gratiam,* [73] humiles exaltat, [74] sicut David minimum inter fratres suos exaltavit et ad regni fasti-

Semper Deo placuit vera humilitas et semper eam exaltat.

70) Ibid. vrr. 10-11. 71) Ibid. vrr. 12-17. 72) 2 Rg 6, 22. 73) Iac 4, 6.
74) Cf. Est 11, 11; Iob 5, 11; Lc 1, 52.

gium evexit.[75] Ita Ioannes ante Christum pro viribus sese humiliat; quo magis autem ipse se humiliat et magis Christus ipsum exaltat. Ait ipse: *Non sum* Elias;[76] Christus: *Ipse est Elias,*[77] *in spiritu et virtute.*[78] Ioannes: *Non sum* propheta;[79] Christus: Plus quam propheta: *Inter natos mulierum non surrexit* propheta *maior Ioanne Baptista; hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum.*[80]

Ioannes vivum exemplar est verae humilitatis,

Elucet in Ioanne christianae humilitatis insigne: *Non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamenti;* non mereor, inquit, vel novissimum locum inter Christi servos tenere; servus inutilis sum: *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.*[81] Sic voluit Dominus ut in fidelibus suis humilitas quam maxima reluceret. Magna enim arbor necesse est ut magnas ac profundas habeat radices, magna domus magnum, stabile et firmum fundamentum: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*[82]

quae hodie maxime in omnibus desideratur.

Sed nunc quonam abiit christiana humilitas? quonam relegata est? Christianam humilitatem veluti depingit Regius Vates dicens: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei,* sed *humiliter sentiebam . . . sicut ablactatus . . . super matrem suam,*[83] qui nihil sibi arrogat, de se nihil praesumit, nihil se valere existimat. Sic Ioannes minimo ministerio et famulatu Christi indignum se reputat. Nunc autem quotusquisque reperitur qui principatu, sacerdotio, episcopatu, pontificatu indignum se existimet? Ubi sunt vasa vacua propria aestimatione, quae a vidua Elisei oleo mirabili divinae gratiae impleantur?[84]

*Non sum dignus.* Accidit Ioanni sicut homini qui, cum fixis oculis aspexerit solem, postmodum nihil videt nisi obscuritatem, et est Ioannes sicut Iacob ad pedes scalae, Christus autem in cacumine.

75) Cf. 1 Rg 16, 8-13. 76) Io 1, 21. 77) Mt 11, 14. 78) Lc 1, 17. 79) Io 1, 21. 80) Mt 11, 10-11. Vulg.: *Non surrexit inter natos mulierum maior,* etc. Ordine inverso affert hos vrr. 81) Lc 17, 10. 82) Mt 11, 29. 83) Ps 130, 1-2. Vulg.: *Super matre sua.* 84) Cf. 4 Rg 4, 1-7.

## II. ALIA HOMILIA

*Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum: Tu quis es?* etc. [1]

I. Magnus honor exhibitus fuit hodie Ioanni a Iudaeis. Non enim solet Venetorum respublica legationem et oratores mittere, nisi ad magnos principes, nec Romana Curia vel Summus Pontifex. Hodie tamen Iudaeorum respublica, Ierosolymorum senatus, qui tunc erat sicut nunc Curia Romana, erat enim Ierusalem caput totius synagogae, sicut nunc Roma caput Ecclesiae, summus tunc pontifex publicam misit legationem, nobilissimos destinavit oratores ad Ioannem: sacerdotes et levitas ex Pharisaeis.

**Magnus honor exhibetur hodie Ioanni,**

Ioannes tamen tanto honore hodie nihil vel elatus aut laetatus fuit, sicut Ezechias rex, cum rex Babylonis misit ad eum honoris causa legatos cum litteris et muneribus. [2] Honorem hunc nihili pendit Ioannes, nec Iudaeis gratias habuit vel egit nullaque urbanitate usus est cum his nunciis et legatis Iudaeorum, sed cum eis gessisse se visus est sicut Diogenes Cynicus cum Alexandro Magno. Philosophus enim tantum regem nec respicere quidem dignatus est; quare admiratus rex animi magnitudinem, optaturum se ait esse Diogenem, ni Alexander esset. [3] Contempsit ex alto Ioannes mundanum hunc honorem, quoniam ab humanis affectibus Spiritu Sancto plenus longissime distabat.

**quem tamen Ioannes nihili pendit, quia ab humanis affectibus longe distabat,**

Si quis in coelo esset, in orbe lunae aut solis, terra haec nostra tam parva videretur, ut ne discerni quidem possit. Hinc ait Ieremias totus coelestis: *Aspexi terram et ecce vacua erat et nihili.* [4] Hinc sol cum tam magnus sit, nobis tamen tam parvus videtur, quoniam maxime distat. Ioannes autem in coelo semper mente et animo erat: *Nostra ... conversatio in coelis est;* [5] hinc terrena omnia nihili faciebat.

**quippe qui in coelo semper mente et animo esset.**

Quoniam vero animus noster est instar iustissimarum bilancium in amore et odio, desiderio et abominatione, aequa enim lance dili-

**Tales et nos esse debemus,**

1) Io 1, 19. Vulg.: *Ad eum, ut interrogarent eum.* 2) Cf. 4 Rg 20, 12-14.
3) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 3, pag. 228; Plutarchus *Ethica sive Moralia, De Alexandri Fortuna*, orat. 1, pag. 274. 4) 4, 23. 5) Phil 3, 20.

gimus bona et odio habemus opposita mala, hinc Ioannes nihili pendit mundanos honores et humanas laudes, nihili etiam pendebat iniurias: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta ?* [6] Erat non arundo vento agitata, [7] sed columna firmissima, inconcussa, immobilis, scopulus et mons in mari. O nos beatos, si Ioanni similes essemus!

ut divinum iudicium securi adire possimus.

*Tu quis es ?* Hodie Ioannes a principibus Ierosolymae veluti ad calculos vocatur, ad reddendam vitae suae rationem: *Quid . . . baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta ?* Qua auctoritate hoc facis? Quis dedit tibi hanc auctoritatem? Sic nobis quoque reddenda ratio est omnium actionum nostrarum coram tribunali tremendo divini iudicii in hora mortis nostrae: *Tu quis es ?* Quomodo hoc et hoc egisti? hoc et hoc dixisti? hoc et hoc cogitasti? Quomodo egisti hoc quod professioni, statui et conditioni tuae minime conveniebat? Beatus quisquis tunc Ioannes erit, Dei gratia plenus omnibusque virtutibus ornatus.

Pharisaei Ioannem interrogant eum tentare volentes;

II. *Tu quis es ?* Messias es tu? Indecens plane videtur interrogatio, stellam interrogare an sit sol, hominem an sit Deus. Sed haec quidem interrogatio non ex animo facta est a legatis Iudaeorum. Cum enim essent in lege et Prophetis doctissimi, sciebant Ioannem non esse Christum, cum nulla in eo veri Messiae signa cernerentur; sed hoc dixerunt vel tentare volentes Ioannem, vel ut ipsiusmet Ioannis testimonio falsam de illo populi opinionem famamque compescerent, omnes enim existimabant ipsum esse Christum. [8] Hinc Ioannes, ne divinum sibi honorem et gloriam quoquo modo usurpare videretur, *confessus est et non negavit et confessus est, quia non sum ego Christus.* [9]

Ioannes tamen maximo studio removere conatur opinionem ne ipse putaretur Messias;

Non censenda est battologia haec verborum eorundem replicatio, sed hac forma dicendi usus est E v a n g e l i s t a ad ostendendum studium Ioannis, quo non simpliciter negavit se esse Christum, sed persuadere etiam conatus fuit ad removendam omnino opinionem hanc ex hominum animis, ne omnino crederent ipsum esse Christum. Non secus ac si homo criminis reus vel suspectus,

6) Io 1, 25. 7) Cf. Mt 17, 7; Lc 7, 24. 8) Cf. Lc 3, 15. 9) Io 1, 20.

coram iudice constitutus et interrogatus de crimine, omnibus quibus potest modis conatur innocentiam suam probare. Sicut etiam legatus regis missus ad aliquam rempublicam ad negotium aliquod peragendum, si forte in opinione hominum deveniret quod ipse esset rex, eo quod illi similis valde esset, interrogatus an rex esset ut regales ipsi exhiberentur honores, vir prudens, ne cum iniuria domini sui regium sibi usurparet honorem, nullum non moveret lapidem ad opinionem hanc compescendam et removendam, dicens se nequaquam regem esse, sed ministrum se esse regis.

**Sciebat enim iram Dei incurrere qui divinos sibi usurpat honores.**

Tanta cum asseveratione Ioannes negat se esse Christum ac si interrogatus fuisset an homo esset, qui lata iam sententia, capitis periculum subiturus esset. Quoniam Dei iram timebat Ioannes, sciens quod potens est Deus *corpus et animam perdere in gehennam.* [10] Si enim patibulis suspenduntur qui aliena rapiunt, extremo afficiuntur supplicio qui regis bona surripiunt, et reus est laesae maiestatis qui regis nomen sibi usurpat falsis litteris, sigillis et monetis, adulterina pecunia, sic iram Dei incurrunt qui divinos sibi usurpant honores. Hanc enim ob causam homo de terrestri paradiso [11] et Angelus de coelesti propulsati sunt. [12]

**Hac eadem interrogatione quisque adorietur in districto examine divini iudicii.**

III. Sicut autem interrogatus fuit Ioannes an Messias esset, Deus humanatus, sic in districto examine divini iudicii amara quadam ironia interrogabitur quisque an in mundo Deus fuerit, sicut de Adam post peccatum dictum fuit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* [13] Quomodo ergo Deum quodammodo te cogitatione constituisti, ponens *cor tuum quasi cor Dei ?* [14] Solius enim Dei proprium est nemini esse subiectum, nullis legibus teneri, a nullius vel potentia vel voluntate pendere, cui summus debetur amor, honor, reverentia, cultus ab omni creatura; ipse ultimus rerum finis ad quem ordinata sunt omnia, sicut prima omnium causa et origo, principium a quo dependent omnia. Solus Deus nullum superiorem agnoscit, sed pro libito suae voluntatis agit omnia. Tu ergo quomodo haec appetivisti? Quomodo divinas leges contempsisti? Quomodo vixisti ac si non esset Deus? Voluisses ut ipse etiam Deus tibi serviret et pro li-

10) Mt 10, 28. 11) Cf. Gn 3, 6 sqq. 12) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6.
13) Gn 3, 22. 14) Ez 28, 2.

bito voluntatis tuae omnia ageret? Quomodo nonnisi tuum honorem, tua commoda quaesivisti?

Nemo potest carni simul et spiritui servire.

*Vox clamantis in deserto.* Mundus iste in Scripturis Sanctis nunc *desertum* dicitur, nunc *paradisus.* Desertum est Pharan, quem inhabitavit Ismael cum matre Agar eiectus de domo patris sui Abraham; [15] paradisus vero sicut Pentapolis et terra Aegypti. [16] Sed et Ecclesia nunc *desertum* dicitur, nunc *paradisus.* Desertum, quod ingressus fuit populus Israel ex Aegypto egressus, transmisso mari Rubro, et paradisus deliciarum: *Hortus conclusus . . . emissiones tuae paradisus.* [17] Sed mundus quidem carni paradisus est, spiritui aridum et horridum desertum; e contra, Ecclesia desertum incultum et asperum carni est, spiritui vero paradisus Dei. *Nemo* autem *potest duobus dominis servire,* [18] nec simul iuxta carnis et spiritus placita vitam ducere, nam: *Caro . . . concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur.* [19]

Via coeli valda arcta est et difficillima.

IV. *Parate viam Domini,* viam salutis, [20] viam coeli. Finxit H o m e r u s auream quandam catenam ab Iove a coelo in terram demissam, per quam animae sursum in coelum ascenderent, cuius meminit P l a t o in *Theaetheto;* [21] M o y s e s vero scalam per quam Angeli in coelum ascendebant ostendit; sed Christus docens paratam esse viam per quam ad vitam aeternam in coelum eundum nobis est, ait viam hanc arctam valde esse. [22] Sed quaenam via haec tam arcta est? R e g i u s V a t e s ait quod: *Coeli enarrant gloriam Dei et opus manuum eius annunciat firmamentum,* [23] annunciat eandem gloriam. Nam si tam pulcrum, tam ornatum est firmamentum hoc, quid erit paradisus? Sed quibusnam praedicant gloriam Dei? Utique hominibus. Ad quid? Ut eius desiderio capiantur satagantque ad eam assequendam. Sed quanam via eundum in coelum est? Ait: *In omnem terram exivit sonus eorum,* [24] hebraice *linea eorum,* קַוָּם: [25] funem, inquit, quendam de coelo in terram demisit atque decrevit ut per funem tentum, instar agilissimorum funambulorum in coelum tendant, sicut elapsis annis agilissimus ille funambulus Venetiis, spec-

15) Cf. Gn 21, 14-21. 16) Cf. Ibid. 13, 10. 17) Ct 4, 12-13. 18) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 19) Gal 5, 17. 20) Ms.: *Saluti.* 21) Lib. 13, vel *De Scientia,* pag. 82. 22) Cf. Mt 7, 14. 23) Ps 18 (hebr. 19), 2. 24) Ibid. vr. 5. 25) Ms.: *Kauam.*

tante infinito populo, per tentam funis veluti lineam ascendit in altissimam turrim campanarum Divi Marci. [26] Haec, inquit, est via arcta, per hanc lineam eundum nobis in coelum est. Valde igitur agiles oportet nos esse et optimis ac iustissimis aequilibriis sive aequipondiis praeditos, ut non declinemus neque ad dexteram neque ad sinistram, ne irreparabili praecipitio ad inferni barathrum ruamus.

Vae qui gravi sunt corde, qui nonnisi ad mundana et terrena propensi sunt! Nam impossibile est divites intrare in regnum coelorum. [27] Hinc: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* [28] Nam sine onere leves et agiles facile poterunt per funem hunc ambulare et ad coelum usque ascendere, licet semper usque in finem praesens sit periculum praecipitii, unde: *Beatus homo qui semper est pavidus;* [29] *Qui ... perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* [30] sicut qui in acie positus vel in agone contendit et duello cum fortissimo hoste confligit, necesse est ut in finem usque legitime decertet, nec, nisi hoste prostrato partaque victoria, deponat arma ut coronam accipiat. [31]

et nonnisi a mundanis rebus et affectibus exuti per eam ambulare possunt.

Cogitemus, fratres, quod per funis subtilissimi inambulationem eundum nobis in coelum est. Levitate pecuniarum animi cum agilitate opus nobis est, magna animadversione quomodo pendet ponamus, magna passuum et ponderum aequalitate!

V. *Qui post me venturus est ... ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut solvam corigiam,* etc. [32] His verbis ostendit Ioannes ardentissimum animi desiderium ad serviendum Christo et humillimam submissionem qua ineptum indignumque se existimat ad ministrandum Christo in humillimo etiam ministerio. Sicut idipsum in Seraphim ostenditur qui alis operiebant facies pedesque suos, sed tantum medias alas extensas ad volandum tenebant, agnoscentes infinitam Christi maiestatem et gloriam, qua supra templum sedens, fimbriis suis, extrema parte vestimenti sui replebat templum: [33] *Qui induit lumen sicut vestimentum.* [34] Lux symbolum bonitatis est: *Vidit ...*

His verbis ostendit Ioannes humilitatem suam et ardentissimum animi desiderium Christo serviendi.

26) Cf. Gattinoni Gregorius (Rosolino) *Il Campanile di S. Marco*, Appendice *Li svoli del zobia grasso a la presentia di Sua Serenità*, pag. 335-344. 27) Cf. Mt 19, 23-24; Mc 10, 25; Lc 18, 25. 28) Mt 5, 3. 29) Prv 28, 14. 30) Mt 10, 22; 24, 13. 31) Cf. 1 Cor 9, 25. 32) Io 1, 27. 33) Cf. Is 6, 1-2. 34) Ps 103 (hebr. 104), 2.

*lucem quod esset bona.* [35] Vestimentum solis lux est; Deus autem sol est: *Sol et scutum Dominus Deus,* [36] Pater luminum. [37] Sed quid est templum fimbriis repletum? Templum Dei est mundus, Ecclesia, paradisus. In mundo habitat per naturam, in Ecclesia per gratiam, in paradiso per gloriam. Mundum Deus replet bonitate naturali, Ecclesiam supernaturali gratia,[38] paradisum supernaturali gloria.

Nulla creatura digna est Deo infinitae maiestatis et potentiae servire.

Sed minimo, ut ita dicam, gradu potentiae suae omnia creavit Deus: *Verbo Domini coeli firmati sunt,* facti sunt, *et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* [39] Quae enim virtus requiritur in homine ad verbum proferendum aut flatum ex ore emittendum? Minima utique. O infinitam Dei potentiam! Minimo gradu potentiae suae universa creavit! Quis non cuperet tam potenti Domino, omnipotenti Deo servum se exhibere? Et quis tanto ministerio dignus aut aptus esse poterit? Nec Angeli supremi digni sunt; ardentissimo tamen desiderio flagrant, promptissimo sunt animo ad ministrandum Christo in omnibus, sicut Isaias promptum se exhibuit iam seraphico ministerio purgatus. Cum enim audisset Deum dicentem: *Quem mittam et quis ibit nostrum ?* statim respondit: *Ecce ego mitte me.* [40]

Christus est ante omnia et omnia in ipso constant.

VI. *Ante me factus est; fortior me est.* Super haec verba Paulus *ad Colossenses* veluti paraphrasim agit dicens: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso,* idest propter ipsum, *condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates ; omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant ; et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens ; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* [41] Sicut, inquit, corporeum hunc mundum cum omnibus quae in eo sunt propter hominem Deus creavit, ita universum propter Christum, *ut sit in omnibus ... primatum tenens,* sicut homo in paradiso, sicut sol inter astra in coelo, sicut propter arcam testamenti [42] aedificatum fuit augustissimum templum Salomonis. [43]

35) Gn 1, 4. 36) Ps 83 (hebr. 84), 12. 37) Cf. Iac 1, 17. 38) Ms.: *Gratiae.*
39) Ps 32, 6. 40) 6, 8. Vulg.: *Quis ibit nobis ?* etc. 41) 1, 15-19.
42) Ms.: *Testamentum.* 43) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.

# DOMINICA QUARTA

*Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto. Et venit,* etc. [1]

Ioannes Divino Spiritu afflatus, a Deo ad praedicandum mittitur.

I. Sicut Ezechiel propheta trigesimo aetatis suae anno, Divino Spiritu afflatus, missus fuit a Deo ad praedicandum post revelationem coelestium arcanorum, [2] sic Ioannes in eadem aetate constitutus et eodem Spiritu multo abundantius repletus atque refertus, missus fuit ad praedicandum Iudaeis Christi adventum. Sic I o a n n e s E v a n g e l i s t a de ipso ait: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes; hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* [3] *Missus,* inquit, nam: *Quomodo ... praedicabunt nisi mittantur?* [4] Non abiit Moyses ad praedicandum Hebraeis in Aegypto, nisi missus a Deo et Divino Spiritu afflatus; [5] non Isaias, nisi missus et seraphico ministerio purgatus; [6] non Ieremias, nisi missus et divina eloquentia praeditus: *Tetigit os meum et dixit ... mihi : Ecce dedi verba mea in ore tuo.* [7]

Duo proponuntur: magnus praedicator, magna eius concio.

Duo autem proponuntur nobis in hodierno Evangelio: magnus praedicator divini verbi et magna quam ad populum habuit concio. *Factum est verbum Domini ad Ioannem Zachariae filium in deserto; et venit ... praedicans :* [8] en magnus praedicator; *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae prophetae : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas eius ... et videbit omnis caro salutare Dei:* [9] en magna concio.

1) Pericope huius Dominicae Lc 3, 1-6. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ez 1, 1 sqq. 3) 1, 6-7. 4) Rom 10, 15. 5) Cf. Ex 3, 6 sqq. 6) Cf. Is 6, 6-9. 7) Ier 1, 9. Vulg.: *Dixit ... ad me,* etc. 8) Lc 3, 2-3. Vulg.: *Super Ioannem,* etc. 9) Ibid. vrr. 4-6.

Magnus Ioannes testimonio Dei et Prophetarum, magnus generis nobilitate et vitae sanctitate.

II. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium.* Commemorat L u c a s nativitatem Ioannis, quoniam miraculo natus fuit, unde dicebant: *Quis putas puer iste erit ? Etenim manus Domini erat cum illo.* [10] Magnus Ioannes, qui ab I s a i a dictus est *vox Dei ;* [11] ab E v a n g e l i s t a I o a n n e *missus*, idest apostolus Dei, nuncius et legatus summi Dei; a Spiritu Sancto per os Zachariae *propheta Altissimi ;* [12] ab Angelo Gabriele *magnus Domini praecursor: Erit enim magnus coram Domino ... praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae ;* [13] a Christo *plus quam propheta* [14] et *lucerna ardens et lucens ;* [15] a Deo per M a l a c h i a m *Angelus divinus : Ecce ego mitto Angelum meum.* [16] Magnus utique Ioannes generis nobilitate, quia Zachariae filius, ortus ex genere sacerdotali [17] et [ab] Aaron summo pontifice trahens originem; magnus virtute, quia Spiritu Sancto plenus; [18] magnus vitae sanctitate, quia in deserto sanctissimus anachoreta; [19] magnus officio, quia a Deo missus: *Factum est verbum Domini super* eum.

Magna etiam eius concio,

Dignum est igitur ut concionem audiamus tanti concionatoris: *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini.* Quonam pergit haec via? *Revelabitur gloria Domini ;* [20] *Videbit omnis caro salutare Dei.* Praedicat gloriam paradisi: *Appropinquavit ... regnum coelorum.* [21] Ioannes primus extitit regni coelorum praedicator; nullus unquam Prophetarum ante Ioannèm manifeste regnum coelorum praedicavit. Praedicat etiam Christi divinitatem, Deum verum hominem factum nobis similem, passibilem et mortalem. Quis haec credidisset nisi homo divina praeditus auctoritate ea praedicaret? Sic missus fuit Ioannes a Deo superhumana ac plane divina praeditus virtute et plenitudine Spiritus Sancti, ac si Deus ipse per ipsum loqueretur. Hinc ait: *Ego vox clamantis*, vox Dei sum, non vox hominis. Haec illa Dei vox, de qua R e g i u s V a t e s *Psalmo 28* tam mira dicit: *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia Vox Domini confringens cedros, ... confringet Dominus cedros Libani ... Vox Domini intercidens flammas ignis, vox Domini concutiens desertum ...*

10) 1, 66. 11) 40, 3. 12) Lc 1, 76. 13) Ibid. vrr. 15-17. 14) Cf. Mt 11, 9; Lc 7, 26. 15) Io 5, 35. 16) 3, 1. 17) Cf. Lc 1, 5. 18) Cf. ibid. vr. 15. 19) Cf. ibid. vr. 80. 20) Is 40, 5. 21) Mt 3, 2.

*Vox Domini praeparans cervos*, vel *parturire et parere faciens cervas.*[22] Septies replicat vocem Dei, forte respiciens ad plenitudinem Spiritus Sancti in Ioanne.

Sed prius veluti ob oculos ponit concionem Ioannis: *Afferte Domino, filii Dei . . . afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in atrio sancto eius*, sive *in decore sancto.*[23] Non praedicavit Ioannes Gentilibus, sed tantum Iudaeis, qui filii Dei dicebantur; hinc ad eos dirigit sermonem dicens: O filii Dei, de quibus scriptum est: *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes,*[24] *filii* עֶלְיוֹן,[25] *deorum potentum*, sanctorum Patriarcharum et Prophetarum, qui tanquam dii erant et videbantur in mundo, *afferte*, date Domino Deo humanato *gloriam* et potentiam, *adorate Dominum* ob decorem sanctitatis eius, quoniam venit ad vos *Sanctus sanctorum*,[26] *Sol iustitiae*[27] ad pellendas tenebras peccatorum, *Agnus . . . qui tollit*, etc.[28]

praedicat enim populo electo gloriam Dei humanati,

III. Sed quomodo Dei humanati Christi gloriam praedicabat Ioannes? Tanquam vox Dei: *Vox Domini super aquas*, sed *super aquas multas, Deus maiestatis intonuit*, tonare fecit. Erat Ioannis praedicatio veluti tonitruum; nam I o a n n e s in *Apocalypsi* refert se audisse vocem instar tonitrui de coelo dicentem: *Veni et vide.*[29] Sic Dominus Ioannem veluti tonare faciebat. Nam quando Deus legem dedit populo, vox eius audiebatur sicut vox magni tonitrui,[30] erat vox eius potentissima nimiumque terrifica. Sic nunc ait: *Vox Domini in virtute*, idest potens nimis, et *vox Domini cum magnificentia*, quoniam magnifica praedicabat et promittebat; *confringens cedros*, percutiens et humilians superbos. Regi dicebat: *Non licet tibi ;*[31] scribis et Pharisaeis, qui cedri altissimae videbantur: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ?*[32] Concutit desertum populi maximum eis timorem incutiens; intercidebat, accendebat flammas ignium in pectoribus audientium, et cervas parere faciebat, quae difficillime fetus edunt.[33] Sicut autem magnum

voce potentissima et terrifica,

percutiens et humilians superbos.

22) Hebraice Ps 29, 3-9. 23) Ibid. vrr. 1-2. 24) Ps 81 (hebr. 82), 6. 25) Ms.: *Elion.* 26) Dn 9, 24. 27) Mal 4, 2. 28) Io 1, 29. 29) 6, 1. 30) Cf. Ex 19, 16. 31) Mc 6, 18. 32) Lc 3, 7. 33) Cf. Lyranus *Comment.* in Ps 28; Clarius *Critici Biblici* in Ps 28; Amama, ibid.

tonitruum aliquando gravidas mulieres aboriri facit, sic etiam facit ut cervae partus suos enitantur; efficiet ut omnes peccata sua confiteantur, sicque ut *in templo eius omnes* dicant *gloriam*, Deum laudent et glorificent in Ecclesia, unde postea *Dominus virtutem populo suo* det et benedicat populo.[34]

Duo praecipue Ioannes praedicat: Dei adventum et Dei gloriam;

IV. Sed audiamus Isaiam: *Vox clamantis*, sive *clamans in deserto : Parate viam Domini, dirigite in solitudine semitam Deo nostro*, quoniam *revelabitur gloria Domini et videbit omnis caro*, revelabitur gloria Dei universo generi humano. Duo praedicat: Dei adventum et gloriam Dei, quoniam, inquit, *Dominus locutus est*,[35] Deus verax ipsaqua veritas, apud quem nihil est impossibile, utrunque promisit: et adventum unigeniti Filii sui in mundum et gloriam regni coelestis. Utrunque praedicabat Ioannes: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum*,[35a] et: *Veniet fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens solvere corigiam calceamentorum eius.*[36] Sic dixit pater eius: *Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, praeibis... ante Dominum parare vias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum. Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.*[37]

Ipse enim missus fuit ad annunciandum Christum

*Scientiam salutis* appellat cognitionem Christi, quod Ioannes daturus erat populo notitiam de Christo, manifestaturus erat populo Christi magnitudinem, quod Deus erat absconditus, ignotus, sicut Ioseph in carcere notificatus fuit Pharaoni a pincerna.[38] Agnitus autem Ioseph in causa extitit salutis omni populo Aegypti. Erat tunc Ioseph veluti thesaurus absconditus; sic et Christus. Sed, Ioanne indicante, inveniendus erat. Tum autem Christus tum etiam gloria paradisi thesaurus est infinitus quidem, sed absconditus; sed *revelabitur*, inquit, *gloria Domini*, quoniam *Domiu..s locutus est.* Promiserat Dominus gloriam paradisi in typo terrae promissionis, regni Israel et novae Ierusalem; Messiam vero mille figuris, mille vaticiniis. Nunc mittitur Ioannes ad annunciandum quod venit plenitudo temporis, quo Deus promissa persolveret: *Appropinquavit... regnum coelo-*

et gloriam regni coelestis;

34) Ps 28 (hebr. 29), 11. 35) 40, 3-5. Vulg.: *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri... os Domini locutum est.* 35a) Mt 3, 2. 36) Mc 1, 7. Vulg.: *Venit.* 37) Lc 1, 76-78. Vulg.: *Ante faciem Domini*, etc. 38) Cf. Gn 41, 9 sqq.

*rum; Post me venturus est qui ante me factus est.* [39] I s a i a s eodem capite, ubi de Ioanne vaticinatur, ait ad eum dirigens sermonem: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem; exalta, noli timere. Dic civitatibus Iudae: Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.* [40]

Ascendit Ioannes montem excelsum perfectionis divinaeque contemplationis Spiritu Sancto plenus. In hebraico legitur מבשרת, [41] *evangelizatrix;* sicut alibi legimus: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa,* hebraice *evangelizatricibus;* [42] sed est sicut S a l o m o n , *Ecclesiastes,* [qui] dicitur קהלת, [43] *praedicatrix,* quoniam sapientia in eo loquebatur. Sic Ioannes dicitur *evangelizatrix,* quoniam vel ad vocem refertur, vel ad gratiam Spiritus Sancti in eo, vel quia Ioannem contemplabatur ac si esset anima separata. Sic totus spiritus erat, unde etiam dictus est *Angelus Domini* ob vitam et conversationem coelestem.

ideo repletus fuit Spiritu Sancto et gratia

Sed quid ait divina haec vox? *Ecce Deus vester,* Deum indice prodit, *ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.* Hinc ait: *Parate viam Domini, dirigite semitam Deo nostro.* Hoc autem praedicat altissima praedicatione: *Exalta in fortitudine vocem tuam; Vox Domini in virtute.* Sciendum etiam quod non dicitur evangelizare ipsi Sion et ipsi Ierusalem, sed evangelizare Sion et Ierusalem, per quam anagogice designatur gloria paradisi, v i s i o p a c i s et d u p l i c i s p a c i s , [44] speculatio et contemplatio divinitatis. Hoc evangelizat *civitatibus Iudae,* idest Iudaeis, nam nonnisi Iudaeis praedicavit Ioannes, ad hoc tantum missus fuit. Praedicabat autem ac si ipsa Dei sapientia loqueretur, nam Spiritu Sancto dictante et per os ipsius loquente praedicabat, sicut de Stephano legimus: *Non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur.* [45]

et divina sapientia donatus,

V. Ioannes Baptista Iudaeis praedicans videtur mihi aureum illud candelabrum, quod septem luminibus divinum sanctuarium

vere dignus legatus pro tanta legatione,

39) Io 1, 27. 40) 40, 9-10. Vulg.: *Dic civitatibus Iuda.* 41) Ms.: *Mebassereth.* 42) Ps 67 (hebr. 68), 12. 43) Ms.: *Kohelet.* 44) Hoc enim significant ירושלים duali numero. 45) Act 6, 10.

illustrabat.[46] Nam Enoch et Elias, qui tandem in fine mundi venturi sunt ad praedicandam fidem Christi contra antichristum, in *Apocalypsi* dicuntur *duo candelabra*[47] lucentia ante Dominum. Septem luminibus candelabrum illud lucebat; Ioannes autem, quem Dominus dixit *lucernam ardentem et lucentem*, Spiritu Sancto plenus, septem utique Spiritus Sancti donis illustratus a Deo singulariter fuit.[48] Et septem sunt etiam quae de Ioanne legimus: primum, quod a Prophetis praedictus ac vaticinatus fuit: *Ego vox; Ecce ego mitto Angelum meum;* secundum, quod ab Angelo nunciatus;[49] tertium, quod Dei munere et miraculo conceptus;[50] quartum, quod in matris utero a Christo visitatus et Spiritu Sancto repletus;[51] quintum, quod miraculo natus et nominatus fuit:[52] *Quis, putas, puer iste erit?* sextum, mirabilis vita per annos triginta in solitudine, semotus ab hominibus, mente cum Angelis conversabatur in coelo;[53] tandem septimum, mirabilis praedicatio ex plenitudine Spiritus Sancti: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto. Et venit ... praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.*[54] Sic pro legationis magnitudine, quae summi ponderis erat, Dominus legatum misit dignitate et magnitudine parem, Ioannem, qui *magnus* erat *coram Domino ... spiritu* praeditus *et virtute Eliae.*[55]

**Praedicat causam et finem adventus Filii Dei.**

VI. Praedicat Ioannes adventum Filii Dei in mundum et causam finemque unde motus fuit ut veniret, quae fuit mundi immutatio et renovatio ac tandem salus: *Omnis vallis implebitur et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa et aspera in vias planas, et videbit omnis caro salutare Dei.*[56] Ecce montes et valles in Evangelio: mundi imperia, regna et principatus; vallis autem Iudaea erat, quae tunc temporis sola Deum verum agnoscebat atque colebat: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius,*[57] in Gentilium tamen potestatem redacta, tota deiecta ac fere dissipata erat. Infideles Gentiles reprobi montes erant, fideles Iudaei valles. Sed, sicut

46) Cf. Ex 37, 17-24. 47) Cf. 11, 3-4. 48) In margine haec adiecta fuerunt: « Ioannes candelabrum cum septem lucernis ardentibus, quoniam g r a t i a interpretatur, gratia autem septem continet virtutes, quoniam etiam Spiritu Sancto plenus, et septiformis gratia Spiritus Sancti ». 49) Cf. Lc 1, 11-20. 50) Cf. ibid. vrr. 24-25. 51) Cf. ibid. vrr. 39-44. 52) Cf. ibid. vrr. 57-63. 53) Cf. ibid. vr. 80. 54) Ibid. 3, 2-3. 55) Ibid. 1, 15-17. 56) Ibid. 3, 5-6. 57) Ps 75, 2.

apud D a n i e l e m legimus, lapis sine manibus de monte abscissus statuam percutiens mundanae monarchiae factus est in montem universa occupantem atque replentem:[58] *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles, esurientes replevit bonis et divites dimisit inanes,*[59] subiecit sibi Christus romanum imperium, mundi regna et principatus; sic exaltati sunt humiles Christi fideles.

idest renovationem mundi et aeternam salutem;

Verum non solum humiliandi erant montes ad valles exaltandas, sicut olim accidit in Aman et Mardochaeo,[60] in Moyse et Pharaone, Aegyptiis et Hebraeis,[61] Davide et Saule;[62] sed etiam ait: *Erunt prava in directa:* mundi pravitas in rectitudinem vertenda erat, iniquitas in iustitiam, tenebrae in lucem, idololatria in cultum Dei summa cum religione et pietate. Amplius autem: *Aspera* vertenda erant *in vias planas:* asperitas, difficultas mosaicae legis in lenitatem Evangelii: *Iugum... meum suave est et onus meum leve.*[63] Lex timoris vertenda erat in legem amoris; nihil est autem amore suavius, nihil iucundius. Sic tandem per planam facilemque hanc salutis viam omnis caro incedens, aeternam gloriam consecutura erat: *Videbit omnis caro salutare Dei; Revelabitur gloria Domini.*

et magnis clamoribus praedicat mundanis veternosis poenitentiam et viam salutis.

VII. Sed quid est quod clamat haec vox et adhuc ei dicitur: *Exalta in fortitudine vocem tuam?* et alibi: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam?*[64] Magnis clamoribus opus est ad eos qui longe distant vocandos, vel ad surdastros qui valde gravi auditu sunt, vel ad homines qui profundo somno ac veluti lethargo correpti sunt, veluti mortui iacent, vocantes facile audire non possunt. Tales plane sunt mundani homines ad ea quae Dei sunt. Cum ad mundana versum habeant aures, oculos, manus, dum regnum coelorum eis praedicatur, narratur fabula surdis, ad ventum et litus sparguntur verba; lapidibus, parietibus loqui videntur praedicatores, mortuis verba facere. Hinc Ioannes altius fortiusque clamare iubetur, sicut egit Christus ad Lazarum suscitandum.[65] Ad saecularia negotia aptissimi sunt, delphini ad natandum, aquilae ad volandum; ad spiritualia vero asini ad lyram et tibiam, et sus, non equus, ad tubam:[66] *Sapientes sunt ut*

58) Cf. 2, 31-35. 59) Lc 1, 52-53. Vulg.: *Implevit bonis,* etc. 60) Cf. Est 7, 9-8, 1-2. 61) Cf. Ex 13, 1 sqq. 62) Cf. 1 Rg 16, 1-13. 63) Mt 11, 30. 64) Is 58, 1. 65) Cf. Io 11, 43. 66) Proverbia eos significantia qui indecore tentant artificium, cuius sunt imperiti et a quo natura abhorret. Cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 245-246.

*faciant mala, bene autem facere nescierunt;*[67] asini narratur fabella et concinitur.[68] Vere magnis clamoribus opus est, nam ait: *In deserto parate viam Domini, rectam facite in solitudine semitam Dei nostri.* Poenitentiam praedicat, carnis mortificationem, contemptum mundi, ut extra Aegyptum cum populo Dei in deserto poenitentiae vitam ducamus in sanctitate et iustitia, ut sic tandem in felicissimam et optatissimam promissionis terram ingredi perpetuo inhabitandam aliquando, Deo concedente, possimus.

**quoniam tardissimi sunt homines ad spiritualia bona, quae Christus adventu suo largitur.**

*Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* Clamat in deserto eique dicitur ut vocem adhuc *in fortitudine* exaltet, quoniam Christum praedicabat et regnum coelorum. Christus mundo spiritualia afferebat bona, regnum autem coelorum invisibilia et futura bona continet, non mundi huius. Homo ea, ut ita dicam, natura est, ut surdis auribus audiat petentes, acutissimis vero offerentes, adeo ut vix opus sit aperire os. Venit Ioannes Dei nuncius et legatus offerens Christum, in quo sunt omnes thesauri gratiae Dei, et regnum coelorum, in quo omnes thesauri gloriae et felicitatis; et tamen clamare alta voce opus est, quoniam non est affectus mundus ad spiritualia bona, sed ad carnalia, non ad futura, coelestia, divina, aeterna, sed ad praesentia, terrena, mundana, temporalia. Si venisset Christus in gloria temporali, sicut Salomon rex sapientissimus et felicissimus,[69] facillimo negotio totus post eum abiisset mundus; si bona temporalia, aurum et argentum attulisset, quae desiderant homines, nullis clamoribus opus fuisset. At vero haec apud Deum nullius sunt pensi, nullius momenti; *omnis gloria* eorum, quae in divitiis et honoribus consistit, sicut flos foeni, *sicut flos agri,*[70] qui ab hominibus nihili penduntur, licet pulcri videantur.

67) Ier 4, 22. 68) Proverbium significans tam inutiliter quibusdam verba proferri ac si quis asino narret fabulam. Cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 1642. 69) Cf. 3 Rg 10, 23-24. 70) Is 40, 6. Vulg.: *Quasi flos agri.*

## II. ALIA HOMILIA

*Venit in omnem regionem Iordanis praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, sicut scriptum est,* etc. [1]

**Missus fuit Ioannes ad parandam viam Domini**

I. Unico verbo Sanctus Evangelista totum fere vaticinium Isaiae interpretatur: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius,* etc., [2] dicens quod poenitentiam praedicabat. Igitur poenitentiam agere est parare viam, dirigere semitam, humiliare montes, implere valles, *prava in directa et aspera in vias planas* redigere. [2a]

**per poenitentiam, aufer[illegible]o ignorantiam ab intellectu et pravitatem a voluntate.**

Missus dicitur Ioannes ad parandam viam Domini: *Ecce ego mitto Angelum meum,* qui *praeparabit viam ante faciem meam.* [3] Declaravit pater ipsius: *Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, praeibis . . . ante Dominum parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum.* [4] Parare viam idem est ac omnia viarum impedimenta auferre, quae viam reddunt admodum difficilem et laboriosam aut etiam impossibilem. Impedimenta autem ex parte nostra peccata sunt et ignorantia; in intellectu quidem ignorantia, in affectu autem vitia pravaeque affectiones et passiones. Tunc paratur via cum aufertur ignorantia a mentibus et pravitas vitiorum ab affectibus, sicut Samuel ait: *Praeparate corda vestra Domino . . . servite illi soli, auferte deos alienos de medio vestri.* [5] Viam requirit a nobis Dominus planam, rectam, mundam, latam et ornatam, nam sic parantur viae adventante magno aliquo principe in civitatem; per poenitentiam autem et condignos poenitentiae fructus praestandum hoc nobis est, nam haec est via salutis: *Poenitentiam agite,* etc. [6]

**Cum poenitentia autem praedicat etiam spem gloriae regni coelestis,**

Quoniam vero poenitentia amara valde est gustui et sensui carnis, sicut aquae Mara et sicut pulmentum amarissimum discipulorum Elisei, quod prae amaritudine gustari non potuit, nisi a Propheta mixtione farinae dulcoratum, [7] sicut et aqua Mara dulcis fuit effecta

1) Lc 3, 3-4. 2) 40, 3; Lc 3,4. 2a) Is 40, 4; Lc 3, 5. 3) Mal 3, 1.
4) Lc 1, 76. Vulg.: *Praeibis... ante faciem Domini,* etc. 5) 1 Rg 7, 3. Vulg.: *Servite ei soli,* etc. Ordine inverso affert hunc vr. 6) Mt 3, 2; 4, 17. 7) Cf. 4 Rg 4, 39-40.

immissione ligni, [8] Ioannes hodie dulcissima et certissima spe regni coelestis amaritudinem hanc satagit dulcem nobis efficere, et etiam mortis meditatione: *Iam... securis ad radicem arboris posita est.* [9] Hinc apud Isaiam de eodem legimus: *Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro foenum et omnis gloria eius sicut flos foeni; exiccatum est foenum et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Vere foenum est populus; exiccatum est foenum et cecidit flos, verbum autem Domini nostri manet in aeternum.* [10] Ad quod alludens Divus Iacob ait: *Sicut flos foeni transibit; exortus est enim sol cum ardore et arefecit foenum et flos eius decidit, et decor vultus eius deperiit; ita et dives in itineribus suis marcescet.* [11] Regius Vates idem ait eadem similitudine: *Homo sicut foenum dies eius, sicut flos agri sic pertransibit; quoniam spiritus pertransibit in illo et non subsistet et non cognoscet amplius locum suum.* [12] Et alibi: *Ne avertas hominem in humilitatem,* hebraice: *Reduces hominem usque ad contritionem,* idest mortem, qua in pulverem convertitur homo, *et dixisti: Convertimini, filii hominum,* poenitentiam agite, quoniam mortales estis, *quoniam mille anni ante oculos tuos sicut dies hesterna quae praeteriit, et custodia in nocte,* idest militaris vigilia tribus horulis constans, *quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt,* hebraice: *Fluxus eorum somnus erunt;* rapido fluxui fluminis et pernicitatis cursus vehementium aquarum somnioque comparat humanam vitam; *Mane sicut herba transit, mane floret, vespere decidit et arescit, quoniam omnes dies nostri defecerunt,* dilabuntur, *dies annorum ad instar sermonis* aut meditationis erunt, fugit enim irrevocabile verbum, fugit mentis fluxa cogitatio; *quoniam supervenit mansuetudo et corripiemur,* hebraice: *Tonsio velox et avolabimus velociter,* [13] herbarum instar aut pilorum resecamur, amputatur filum et stamen vitae nostrae a Parcis crudelibus, quae nemini parcunt; [14] sic instar avium volantium transimus. Cum igitur mortales simus, cum per rapidissimum flumen le-

et vanitatem vitae humanae.

8) Cf. Ex 15, 23-25. 9) Lc 3, 9. Vulg.: *Ad radicem arborum*, etc. 10) Is 40, 6-8. Vulg.: *Quasi flos agri*, etc. 11) 1, 10-11. 12) Ps 102, 15-16. Vulg.: *Tanquam flos agri sic efflorebit*, etc. 13) Ps 89 (hebr. 90), 3-10. 14) Alludit ad mythologiam, quae finxit tres sorores filias Noctis, quae fata hominum et deorum regebant vi et dominio ineluctabili, ideo Parcae dictae quia nemini parcunt. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 3, cp. 6, pag. 174-178.

vissima cymba ad mare mortis navigemus, quid agendum nobis? *Poenitentiam agite.*

**Vera poenitentia est omnia vitia in animo radicitus destruere et virtutes plantare.**

II. Sed quidnam tandem poenitentia est? *Omnis vallis implebitur et omnis mons et collis humiliabitur.*[15] Mittens Deus Ieremiam ad praedicandam poenitentiam dixit ei: *Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce constitui te hodie super gentes et . . . regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes.*[16] Haec est vera poenitentia: evellere radicitus omnia ex animo vitia maiosque destruere mores, virtutes in animo plantare, bonos aedificare mores. Postquam, transmisso Iordane, ingressi fuere Israelitae in terram promissionis, statim iussit eis Deus ut seipsos circumciderent[17] et civitatem idololatram Iericho destruerent funditusque everterent irreparabiliter, cum interminatione divinae maledictionis, ne unquam amplius in posterum reparari et reaedificari posset,[18] nam: *Nemo mittens manum . . . ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei.*[19] Uxor Loth egressa a Sodomis iussa fuit ne retro aspiceret; quoniam vero praecepti immemor retro aspexit, divinam incurrit iram exanimata et in statuam salis conversa.[20] Destruantur *opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus,* etc., *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur ;* crucifigamus carnem *cum vitiis et concupiscentiis,* demus operam spiritui, nam *fructus . . . spiritus est caritas, gaudium, pax,* etc., nam *adversus huiusmodi non est lex*[21] perditionis et mortis, sed salutis et vitae.

**Poenitentia figuratur hodie per baptismum**

III. In hodierno Evangelio poenitentia designatur per baptisma et per desertum: *Praedicans baptismum poenitentiae,* sicut etiam Isaias: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite bene agere, quaerite iudicium.*[22] Conscientia peccatrix est sicut pannus sordidus: ad eum abluendum atque mundandum aqua opus est munda, potenti liscivia, optimo sapone, ut mundus et candidus reddatur.

Designatur etiam per desertum, in quod ingressi sunt filii Israel

15) Lc 3, 5. 16) Ier 1, 9-10. 17) Cf. Ios 5, 1-3. 18) Cf. ibid. 6, 1 sqq. 19) Lc 9, 62. 20) Cf. Gn 19, 17-26. 21) Gal 5, 19-24. Ordine inverso affert hos vrr. 22) 1, 16. Vulg.: *Discite benefacere,* etc.

et per desertum.

post exitum de Aegypto et transitum maris Rubri ad serviendum Domino, ad sacrificandum ei abominationes, idest idola Aegyptiorum, nam arietes hircosque, vitulos et huiuscemodi animalia adorabant Aegyptii; haec autem ab Hebraeis Deo immolabantur: *Ibimus viam trium dierum in deserto ut sacrificemus... Deo nostro;* [23] ibi sanctuarium Domino in locum sacrificii et orationis construxerunt, [24] ibi divinam legem coelitus susceperunt [25] coelestique manna pasti nutritique fuere tanquam filii a Deo dilectissimi. [26]

Per poenitentiam nova vita designatur,

Ego vero adhuc aliud dicam. Per poenitentiam nova vita designatur, dicente Paulo: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis,* [27] *induite novum... qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* [28] Vita hominis mundani sicut Corinthus est, regio quae tota montibus et vallibus constat; [29] est autem mons terrae excessus supra planitiem, vallis defectus infra mediam aequalitatem planitiei. Homo, cum anima constet et corpore, sensu et ratione, vita animali et angelica, debitor est carni et spiritui, mundo et Deo, vitae huic temporali et aeternae; sed quandiu in peccatis vivit, in animo quidem montes habet carnalium cogitationum ac desideriorum, montes verborum saecularium, montes negotiorum, mille curas, mille sollicitudines anxias et superfluas; quoad Deum vero et spiritum mille valles vacuas. De Deo, de anima, de spiritu, de vita aeterna nihil cogitat, nihil tractat ac si non esset Deus, non expectaret vitam aeternam, non haberet animam. Dirigat ergo homo cogitationes et desideria sua in Deum, mentem suam ad Deum cognoscendum, animum ad diligendum; sic enim fiet ut via virtutis, quae nimium aspera et difficilis videbatur, plana sit et facilis: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos... et invenietis requiem animabus vestris, iugum enim meum suave est et onus meum leve.* [30] Sic plana est via salutis: *Videbit omnis caro salutare Dei.*

cum mentes abstrahat a carnalibus cogitationibus eamque in Deum dirigat.

Iacob, cum multis annis servisset Laban nihilque sibi acquisisset, ait: *Tempus est... ut aliquando provideam... domui meae.* [31] Qui domum habet in civitate et domum etiam in agro, ruri in qua tempore

23) Ex 3, 18. Vulg.: *In solitudinem ut immolemus*, etc. 24) Cf. ibid. 40, 15-32. 25) Cf. ibid. 20, 1 sqq. 26) Cf. ibid. 16, 14 sqq. 27) Col 3, 9. 28) Eph 4, 24. 29) Cf. *Dictionarium Historicum, Geographicum ac Poeticum* sub vocibus: *Corinthus* et: *Acrocorinthus*. 30) Mt 11, 28 sqq. 31) Gn 30, 30. Vulg.: *Iustum est*, etc.

messis et vindemiae paucis diebus habitatur, si forte disponeret ruri perpetuo habitare, mirum non esset si de proventibus per servos nihil in civitatem inferret; at si perpetuo habitaturus esset in civitate et paucis tantum diebus in villa, an non mirum esset si omnia ruri detinere vellet nihilque pro necessaria annona in domum civitatis praemitteret? Bone Deus, quaenam haec nostra insania est? Nihil volumus nobis thesaurizare in coelo, in paradiso; omnia in terra, in mundo hoc, ubi nonnisi quattuor diebus commoraturi sumus? Humiliemus, humiliemus, decacuminemus montes et impleamus vacuas valles, planum nobis iter in coelum paremus; discamus prudentiam formicae, aestate nanque sibi congregat victum pro hieme.[32]

**Haec est vera prudentia quae docet in coelo thesaurizare, non in terra.**

32) Cf. Prv 6, 6-8.

## DOMINICA SEPTUAGESIMAE

*Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam.* [1]

Ostendit hodie Christus gloriam regni coelestis et viam qua ad illam pervenitur,

I. Sicut ostendit Deus Iacob coelum apertum et scalam per quam ascendebatur in coelum, per quam Angeli ascendebant, [2] ita Christus in hodierno Evangelio ostendit et gloriam regni coelestis, paradisum beatitudinis, et viam qua eundum est, sicut alibi dixit: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare,* etc.; [3] et sicut alibi: *Si ... vis ad vitam ingredi, serva mandata;* [4] itemque: *Vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum* magnum *in coelo;* [5] hoc idem in sermone de beatitudinibus. [6]

idest bona opera,

Ostendit igitur Dominus quod bona opera necessaria sunt ad salutem sicut labor ad mercedem, sicut militia ad stipendium, sicut pugna in agone et victoria ad coronam, nam: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit;* [7] sicut cursus in stadio ad bravium consequendum: [8] *Voca operarios et redde illis mercedem* [9] suam, nam *dignus est ... operarius mercede sua,* [10] est merces operi tuo; *Merces tua magna nimis;* [11] *Merces vestra magna est in coelis;* [12] *Habebis thesaurum* magnum *in coelo.*

quae coniungit cum praedestinatione

Confutat hodiernum Evangelium praedestinatores et fatarios. Nam agit de effectibus divinae praedestinationis, quae, ut Paulus ait, sunt vocatio, iustificatio et magnificatio; [13] imo de ipsamet prae-

1) Pericope huius diei Mt 20, 1-16. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 28, 12. 3) Mt 25, 34-35. 4) Ibid. 19, 17. 5) Ibid. vr. 21. Ordine inverso affert hunc vr. *Omnia* lect. cod. 6) Cf. ibid. 5, 1-12; Lc 6, 20-23. 7) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur*, etc. *Coronabitur* lect. cod. 8) Cf. 1 Cor 9, 24. 9) Mt 20, 8. 10) Lc 10, 7. 11) Gn 15, 1. 12) Lc 6, 23. Vulg.: *Multa est in coelo.* 13) Cf. Rom 8, 29-30.



Dnica Septuag[me]

Simile est regnum celorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam.

FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

destinatione: *Multi ... sunt vocati, pauci vero electi;* [14] et tamen una cum praedestinatione et electione divina ad salutem consequendam opera bona coniungit atque requirit; unde Petrus: *Satagite, fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* [15] et Paulus: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate.* [16] Ideo vocat nos Deus ad operandum, ad laborandum, ad excolendam vineam suam: *Avis nascitur ad volandum et homo ad laborem.* [17]

**ad salutem consequendam.**

II. Damnat hodiernum Evangelium otium, laborem requirit: *Quid hic statis tota die otiosi? ... Ite et vos in vineam meam.* [18] Hoc primum constitutum sit nobis, fratres, quod opera bona ex fide et caritate necessaria sunt ad salutem, sicut navis ad navigandum, scala ad ascendendum, pugna ad coronam, cursus ad bravium, labor ad mercedem. Sed quaenam opera? Regius Vates aiebat: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam;* [19] *Quis ascendet in montem Domini? Aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam;* [20] *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* [21] Vita innocens, immaculata, sancta, via salutis, inquit, est.

**Bona opera ex fide et caritate necessaria sunt ad salutem.**

Ne nos ipsos decipiamus procrastinantes vitae emendationem, quoniam in hodierno Evangelio aliqui vocati sunt circa undecimam horam, [22] quod nonnulli in fine vitae, in senectute et ultima aetate convertuntur ad Deum et salutem consequuntur, quia de his ait: *Multi ... sunt vocati, pauci vero electi,* quia nos nequaquam cum eis dicere vere possumus: *Quia nemo nos conduxit.* [23] Quibus verbis ostendit Evangelium bonam illorum voluntatem, animum laborandi, non fugiendi laborem ex pigritia et inertia; quod si a summo mane ad laborem vocati fuissent et ad vineam conducti, ex tunc ad laborandum ivissent. Sed quis nostrum dicere potest se ab ineunte aetate minime vocatum esse ad exercitium virtutis et vitae sanctitatem?

**Procrastinantes vitae emendationem ex mala voluntate inexcusabiles sunt.**

14) Mt 20, 16. 15) 2 Petr 1, 10. Vulg.: *Fratres ... satagite ut,* etc. 16) Eph 1, 4.
17) Iob 5, 7. Vulg.: *Ad volatum.* Ordine inverso affert hunc vr. 18) Mt 20, 6-7.
19) Ps 14, 1-2. 20) Ps 23, 3-4. 21) Ps 118, 1. 22) Cf. Mt 20, 6.
23) Ibid. vr. 7.

Quid sunt voces praedicatorum? Quid patrum spiritualium monitiones in confessionibus?

Ne nos ergo decipiamus sperantes in finalem poenitentiam.

Otium nostrum voluntarium est, ex pigritia et inertia, quia displicet nobis labor vitae spiritualis, et tamen vana spe alimur. *Regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud;* [24] in paradisum contra fluminis cursum navigandum est, nam fluvius de paradiso egreditur. [25] Qui ad extremam horam diei vocati fuerunt, non multi, sed pauci dicuntur: *Multi... sunt vocati, pauci vero electi.* Unde nosti quod tu sis de numero paucorum? Similes multi sunt amentibus, furibus et latronibus, qui cum publice grassentur et publicam pacem perturbent, ministros iustitiae missos atque paratos ad eos capiendos, nil curant, sperantes quod, licet capiantur et in carcerem ac vincula detrudantur, ipsa die qua suspendendi sunt carceres perfringant atque effugiant, quoniam aliquando sic accidit ut nonnulli hac via mortem effugerint.

Adhuc ostenditur necessitas bonorum operum.

III. Ad designandum quam necessaria sint opera ad salutem dixit Iacobus apostolus quod, *sicut... corpus sine spiritu mortuum est, ita... fides sine operibus mortua est.* [26] Quid prodest corpus mortuum ad vitam? Ita nec fides sine operibus et caritate ad salutem. Sicut necessaria est anima corpori ad vivendum, ad sentiendum, ad operandum, ita bona opera in gratia et caritate, sine qua, inquit Paulus, *nihil sum... nihil mihi prodest,* [27] necessaria sunt ad salutem. Appellatur saepe homo in Sacris Litteris arbor, quae ad hoc plantatur, ut fructificet: *Omnis... arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* [28] Arbor illa quam Dominus sine fructu reperit, maledicta fuit et continuo arefacta, radicitus evulsa fuit. [29] Mulieres steriles secundum legem maledictae erant. [30] Multis Israelitis dixit Iosue: *Usquequo marcetis ignavia et non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dabit vobis?* [31] Sic Christus hodie: *Quid hic statis tota die otiosi? ... Ite et vos in vineam meam.*

Otium videtur proprium quodammodo vitium esse mulierum,

24) Ibid. 11, 12. 25) Cf. Gn 2, 10. 26) 2, 26. 27) 1 Cor 13, 2-3. 28) Mt 3, 10; Lc 3, 9. 29) Cf. Mt 21, 19. 30) Cf. Gn 30, 22-23; Ex 23, 26; Dt 7, 14; 1 Rg 1, 5-6; Is 4, 1; Lc 1, 25. 31) 18, 3. Vulg.: *Dedit vobis?*

Dei servum otium maxime dedecet.

unde Paulus: *Adolescentiores... viduas devita*, quia *otiosae discunt circuire domos; non solum otiosae, sed et verbosae et curiosae.* [32] Quare homo deditus otio non potest non muliebris et effeminatus esse. Qualem autem oporteat esse Dei servum, Paulus *ad Romanos* ait: *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* [33] Otium et pigritiam sapientissimus Salomon in suis *Proverbiis* quam maxime detestatur; laborem vero et diligentiam summopere commendat. [34]

Parabola haec multa alia mysteria continet:

IV. Pulcra valde et multis mysteriis philosophiae christianae plena, ornata, sicut coelum astris, est hodierni Evangelii parabola; [35] est sicut cosmographia, quam dicunt mundi mappam, in qua non quattuor mundi partes: Asia, Africa, Europa et America descriptae sunt, sed quattuor mundi: [36] Deus, qui mundus est ter maximus, paradisus, Ecclesia et mundus ipse. Videtur sicut zona obliqua in coelo, quam dicunt zodiaci circulum cum duodecim figuris distinctis in quattuor ternarios pro quattuor anni temporibus et duodecim mensibus, nam ab ea sententia incipit: *Multi... erunt primi novissimi et novissimi primi ;* et in eandem redit: *Sic... erunt novissimi primi et primi novissimi,* [37] *multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* [38]

tria de Deo, idest esse, posse et operari;

Docet autem tria de Deo: esse et naturam: *Simile est... homini patrifamilias ;* posse et naturales proprietates: *Licet mihi quod volo facere,* [39] omnipotentiam: *Quia ego bonus sum ;* [40] *Non facio tibi iniuriam,* [41] peccare non potest; tandem operari: *Exiit primo mane,* etc., divinam providentiam.

tria etiam de paradiso, idest essentiam,

Tria [42] etiam docet de paradiso: quod sit domus patrisfamilias, quod sit denarius diurnus, merces bonorum operum, praemium virtu-

32) 1 Tim 5, 11-13. 33) 12, 11. 34) Cf. 6, 1-11; 12, 11; 13, 4; 20, 4; 21, 5. 25; 24, 30 sqq.; 28, 19; 31, 13 sqq. 35) In margine haec adiecta fuerunt: « Imitatus videtur Dominus Moysi artem, qui in sua cosmopoeia, ut paradisum a Deo plantatum describeret, mundi totius creationem descripsit, multaque dixit de Deo, de mundo, de Ecclesia sub symbolo paradisi terrestris et de felicitate coelesti sub mysterio sabbati ». 36) Hic de Australia mentio non fit, forte quia, licet iam ab anno 1503 reperta fuerit, tamen ut quinta pars orbis terraquei a geographis adhuc recensita non fuerat. 37) Mt 19, 30. 38) Ibid. 20, 16. 39) Ibid. vr. 15. 40) Ibid. 41) Ibid. vr. 13. 42) In margine haec adiecta fuerunt: « Sicut de Deo tria ostendit, ita de paradiso, de Ecclesia, de mundo. Paradisi essentia est domus Dei, denarius argenteus cum imagine principis. Sub auro nil nobilius argento, sub Deo nil nobilius paradiso. Similitudo Dei perfecta virtus est, quia denarius continet omnes nu-

qualitatem et magnitudinem;

tis; quod simul sit aequalis et inaequalis, sicut *stella . . . differt a stella in claritate*, etc., [43] sicut Ioseph omnes fratres suos secum in eadem mensa voluit manducare, sed secundum ordinem aetatis, hos quidem superiori ac digniori loco, illos autem inferiori; [44] sic ait: *Erunt novissimi primi et primi novissimi, multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Tandem tertio quod merces haec adeo magna sit, ut electorum excedat tum merita, tum existimationem: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.* [45] Sic docet in mercede novissimorum ex summa patrisfamilias benignitate.

tria quoque de Ecclesia;

Tria de Ecclesia: quod sit vinea Dei: *Vinea enim Domini exercituum domus Israel est;* [46] vinea valde dilecta, quam tanta cura et providentia satagit ut bene sit culta; vinea Domini plantata ab eo sicut paradisus; vinea valde magna, hinc ad eam excolendam multi operarii quaeruntur et mittuntur; vinea haec magna indiget cultura, multa opera, ideo multi operarii; in hoc differt a paradiso, paradisus enim locus est quietis, non laboris; quod ad hanc excolendam conducit operarios vocando, iustificando, magnificando; tertio, quod a fidelibus requirit bona opera, studium sanctarum virtutum, laborem et diligentiam agricolarum et colonorum bonorum. Excolitur vinea fide et spe mercedis, nam merces mane ante labores promissa fuit, sero autem post labores data.

et similiter tria de mundo.

De mundo similiter tria: quod forum sit, locus forensium negotiorum, artium, nundinarum, mercaturae; secundo, quod locus est otii, multitudo hominum pauperum, otiosorum, sed lucri cupidorum iustis laboribus, iusto pretio: *Invenit stantes in foro otiosos: Quid*

meros. Beatitudines dicitur, quia continet omnem gradum felicitatis; operatio, quia beatos electos satiat supra existimationem et merita praemiat virtutes coronatque.

Essentia Ecclesiae, vinea Dei plantata et electa a Deo; virtus, magna fecunditas fructificandi, magna vinea est; operatio, magnam requirit culturam ut faciat uvas iudicii et iustitiae. Essentia mundi, forum hominum; virtus, quia homines liberi sunt, ideo conducuntur: operatio, lucrum quaerunt; pauperes sunt, nisi conducantur marcescunt otio et fame pereunt. Item virtus vineae, quod valde dilecta, ergo valde bona; virtus mundi, homines conduxit aptos et potentes ad laborandum et volentes laborare, non est impossibile hominibus bene agere cum Dei gratia. Vinea bona est, quia congregatio electorum Dei, communio Sanctorum; signum est autem quod vinea copiosum fructum reddebat, eo quod paterfamilias ad eam excolendam multos operarios conducebat, multas magnasque expensas, multam operam impendebat; vinea Salomonis, reddebat ei copiosum fructum, nam cum locasset eam, *vir*, inquit, *afferet* pro ea *mille argenteos*, idest, unusquisque colonum; magna igitur optimaque erat et copiosum fructum reddebat domino suo ».

43) 1 Cor 15, 41. Vulg.: *A stella differt*, etc. 44) Cf. Gn 43, 33. 45) Rom 8, 18. 46) Is 5, 7.

*hic statis tota die otiosi ?*[47] nam mundi negotia apud Deum otia sunt, ludi vanissimi: *Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus ;*[48] tertio, quod mundani homines non cognoscunt Deum esse Dominum suum, nec servire illi volunt nisi mercedis intuitu: *Conventione autem facta... ex denario diurno, misit eos in vineam suam.*[49] Quod quidem non servorum est, sed liberorum hominum, dominus nanque servis praecipit, imperat, non convenit ex denario, nisi cum lex liberum hominem conducit ut serviat. Est igitur mundus congregatio hominum liberorum, quos Deus dum vocat, trahit quidem, sed non cogit, trahit spe magnae mercedis.

**Christus in hac parabola imitatus esse videtur Moysi cosmogoniam.**

V. Sic multis mysteriis refertum est hodiernum Evangelium de Deo, de paradiso, de Ecclesia, de mundo. O divinam Christi philosophiam altissimamque sapientiam! Descripsit Moyses coelum et terram;[50] Christus Deum et mundum. Coelum Moyses appellavit שָׁמַיִם, a שָׁמַם,[51] quod est admirari, stupere, quia nemo sine admiratione et stupore coelum contemplatur, motum ei tribuit et lumen ornatumque astrorum; sic Deum Christus describit sub hominis symbolo, qui mundi miraculum est,[52] cum motu divinarum actionum et luce bonitatis divinae. Terram descripsit ille sine motu, sine luce, sine aliquo ornatu: *Terra... erat inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi,*[53] sed quam Deus illustravit et ad operationem adduxit: *Germinet terra herbam virentem... lignumque pomiferum ;*[54] sic hodie homo ad laborem vocatur ab otio, a tenebris ad lucem veritatis et virtutis: *Surge* ergo *qui dormis et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*[55]

**Deus nihil in creatione voluit esse otiosum.**

Ex descriptione creationis mundi manifestum est quod Deus nihil omnino voluit esse otiosum; rebus omnibus suas mandavit operas: terrae, aquis, plantis, animalibus, astris, Angelis ipsis, *omnes* enim *sunt administratorii spiritus :*[56] *Qui facit Angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis.*[57] *Ad custodiendam viam ligni vitae* posuit *Cherubim et gladium igneum atque versatilem.*[58] Sancta illa ani-

47) Mt 20, 3-6. 48) Eccle 1, 14. 49) Mt 20, 2. 50) Cf. Gn 1, 1 sqq.
51) Ms.: *Samaim* et *Samam*. 52) Cf. Sic homo appellatur a Trismegisto *Asclepius*, cp. 3, pag. 482. 53) Gn 1, 2. 54) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Et lignum*, etc.
55) Eph 5, 14. 56) Hebr 1,14. 57) Ps 103, (hebr. 104), 4. Affert ex Hebr 1, 7.
58) Gn 3, 24. Vulg.: *Flammeum gladium*, etc. Ordine inverso affert hunc vr.

malia apud E z e c h i e l e m semper erant in motu: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* [59] Nos soli erimus otiosi? ignavia et inertia sternemur, sepeliemur vivi?

vult ergo ut homo etiam operetur pro anima sua, sed labor hic non sine magna delectatione est;

Si terret nos labor – *Qui fingis laborem in praecepto,* [60] – sciamus non esse laborem hunc absque delectatione et gustu. Duxit Deus hominem ad custodiendum et operandum, sed paradisum voluptatis; [61] duxit populum in desertum, sed in quo pluit manna de coelo. [62] Ait Christus: *Tollite iugum meum super vos,* sed *iugum . . . meum suave est . . . onus meum leve, et invenietis requiem animabus vestris.* [63] Operatur anima in corpore dum vivit, dum sentit, sed operatio haec non est sine delectatione. Si operatio naturae cum delectatione est, cur non operatio gratiae et virtutis? *Pax multa diligentibus legem tuam;* [64] *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!* [65] Labor est cum delectatione, quoniam vinea haec paradisus Dei est, nec minor est voluptas et delectatio mentis quam corporis, spiritus quam carnis. Dicant qui totos dies noctesque studiis insumunt, quam delectationem, qualem gustum reperiant in studio bonarum pulcrarumque litterarum, quam dulcis et sapida sit gustui mentis veritas cognita, ipsa scientia et sapientia, quanta cum suavitate reficiatur mens in studio et cognitione rerum!

gustus enim divinae dulcedinis ineffabilis est,

Gustus autem divinae dulcedinis, quam coelitus veri servi Dei percipiunt cum pluit illis manna de coelo, ineffabilis est, incredibilis est: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus;* [66] sicut dulcedo mellis explicari non potest homini qui mel nunquam gustavit aut aliquid mellis simile. Solus gustus ipse manifestare seipsum potest. Lux solis inexplicabilis est homini, qui nunquam vidit solem; videat et tunc sciet, tunc cognoscet: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.*

et praemii aeterni spes potenter et suaviter movet ad hunc laborem.

Quod si nil aliud, moveat nos spes mercedis, sicut hodiernos colonos, moveat praemii magnitudo, quae per denarium diurnum designatur: *Habebis thesaurum* magnum *in coelo;* unde P a u l u s : *Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum . . . aeternum gloriae pondus operatur in coelis.* [67] Coelum infinitis

59) 1, 12. 60) Ps 93, 20. 61) Cf. Gn 2, 15. 62) Cf. Ex 16, 13 sqq.
63) Mt 11, 29 sq. Ordine inverso affert hos vrr. 64) Ps 118, 165. 65) Ps 30, 20.
66) Ps 33, 9. 67) 2 Cor 4, 17. Vulg.: *In nobis.*

pene partibus maius est terra, aeternitas tempore. Praemium aeternum est, infinitum est, coeleste est; labor terrenus, temporalis, brevis, momentaneus, levis: *Iugum... suave... onus... leve.* Fratres mei, ubi est fides nostra? ubi spes nostra? Quid non operatur in agricolis spes messis et proventus? in militibus spes victoriae et praedae? in nautis spes lucri? in mercatoribus philargyria?

Sciamus, fratres, quod non sufficit fides sine operibus ad salutem, sicut Paulus docet in hodierna Epistola: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt... omnes mare transierunt,* etc.; *sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo,*[68] propter idololatriam, concupiscentiam carnis et alia crimina, quoniam multi voluerunt esse potius cultores vineae satanae quam Dei. Habet enim et satanas suam vineam et ad eam operarios conducit ut eam excolant, putent, fodiant, bonos mores amputando et occasiones bonorum, ad iniquitatem animos praeparando malis cogitationibus et cupiditatibus.

Laborandum est, quia fides sine operibus non sufficit ad salutem.

## II. ALIA HOMILIA

*Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam.*[1]

I. Sicut cum plantasset Dominus Deus hortum deliciarum hominemque *ad imaginem et similitudinem* suam formasset, tulit eum et duxit in paradisum voluptatis *ut operaretur et custodiret illum,*[2] sic agit hodie prudentissimus et diligentissimus paterfamilias: satagit conducere operarios in vineam suam ad eam excolendam et cultivandam.[3] Est autem sacratissima hodierni Evangelii parabola multis magnisque divinae philosophiae et sacrae theologiae referta mysteriis; veluti pericope est et compendium absolutissimum totius sacrae theologiae. Hic quinque illa verba Apostoli: *In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut... alios instruam.*[4] Haec autem sunt: credenda, speranda, diligenda, agenda et fugienda.

Quinque mysteria docet hodiernum Evangelium:

68) 1 Cor 10, 1-5.

1) Mt 20, 1. 2) Gn 1, 26-27; 2, 7-14. 3) De hoc verbo cf. Du Cange *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis.* 4) 1 Cor 14, 19.

credenda, speranda, diligenda, agenda et fugienda.

Credenda: Deus paterfamilias, mundi conditor et moderator, divina providentia, qua Ecclesiam administrat Christus procurator Dei, *qui reddet unicuique secundum opera sua;* [5] speranda: merces bonorum operum: *Voca operarios et redde illis mercedem* suam; *Acceperunt singulos denarios;* [6] diligenda: divina bonitas: *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?... Non facio tibi iniuriam... licet mihi quod volo facere;* [7] agenda: vineae cultura: *Conducere operarios in vineam suam;* fugienda: desidia: *Quid hic statis tota die otiosi?* [8]

Credenda: divina potentia, sapientia,

II. Credenda: divina potentia: *Licet mihi quod volo facere;* divina sapientia et prudentia: *Conventione autem facta ... ex denario diurno;* [9] haec nanque conventio divinam legem significat, quae saepissime in Sacris Litteris dicitur *pactum*, hebraice בְּרִית, [10] quia conventio facta est inter Deum et hominem, ita ut homo sese obligavit iustitiam et virtutem colere, virtutum operibus incumbere, et Deus se obligavit mercedem vitae aeternae vineam suam colentibus dare; divina bonitas: *Quia ego bonus sum;* divina caritas: *Homo paterfamilias;* divina misericordia: *Cum venissent... qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios; Volo... huic novissimo dare sicut... tibi;* [11] divina iustitia: *Non facio tibi iniuriam; Quod iustum est dabo vobis;* [12] *Cum sero ... factum esset* dixit paterfamilias *procuratori suo: Voca operarios et redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos,* [13] per quod dies iudicii designatur, qua *reddet* Christus *unicuique secundum opera sua.*

bonitas, misericordia et iustitia.

Ostenduntur effectus divinae praedestinationis,

In hoc Evangelio luce clarius conspiciuntur tres effectus divinae praedestinationis, de quibus Paulus: *Nam* Deus *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; quos autem praedestinavit, hos et vocavit; quos autem vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et magnificavit.* [14] Paterfamilias *exiit... conducere operarios in vineam suam:* ecce vocationis mysterium: *Misit eos in vineam suam;* [15] *Illi autem*

5) Mt 16, 27; Rom 2, 6; Apc 22, 12. 6) Mt 20, 8-9. 7) Ibid. vrr. 13-15. Ordine inverso affert hos vrr. 8) Ibid. vr. 6. 9) Ibid. vr. 2. 10) Cf. Gn 17, 4. 9-10. 13-11; Ex 19, 5; Lv 26, 9. 15; Dt 4, 23; 17, 2; 29, 9. 25. Ms.: *Berith.* 11) Mt 20, 9-14. 12) Ibid. vr. 4. Vulg.: *Quod iustum fuerit*, etc. 13) Ibid. vr. 8. 14) Rom 8, 29-30. Vulg.: *Imaginis Filii sui... et quos vocavit... illos et glorificavit. Magnificavit* lect. cod. 15) Mt 20, 2.

*abierunt... Portavimus pondus diei et aestus:*[16] ecce mysterium iustificationis, significat enim iustam sanctamque vitam: *In sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris;*[17] tandem: *Voca operarios et redde illis mercedem* suam; *Acceperunt singulos denarios:* ecce mysterium glorificationis, qui ultimus est praedestinationis effectus. Hic thesauri supernaturalium bonorum gratiae et gloriae, de quibus Regius Vates: *Quoniam misericordiam et veritatem diligit... gratiam et gloriam dabit Dominus; non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia; Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.*[18] Ad haec enim et promovenda et donanda nobis venit Christus in mundum: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus... gratiam pro gratia,*[19] idest omnem gratiam. O mirabilem parabolam! Paradisus deliciarum videtur, in quo plantavit Deus *omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave, lignum quoque vitae in medio paradisi;*[20] cum in hac parabola omnia pene fidei nostrae mysteria mirabiliter contineantur.

Idest vocatio, iustificatio et glorificatio.

III. Sed quoniam ad colendam vineam Deus operarios vocat, videndum nobis est quidnam per vineam hanc significetur et quid per vineae culturam. Quod hic Dominus dicit vineam, Moyses paradisum dixit: *Tulit... Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.*[21] Salomon ait de Ecclesia: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus; emissiones tuae paradisus.*[22] Ecclesia autem in fide, spe et caritate in Dei et Christi similitudine consistit. Vinea igitur Ecclesia est, divina lex est, fides est, virtus est. Hunc paradisum virtutum per iustitiam originalem et gratiam Spiritus Sancti plantavit Deus in anima nostra ab initio. Hunc voluit ut Adam coleret mente et intellectu, serviens Deo *in spiritu et veritate,*[23] *in sanctitate et iustitia* illumque custodiret et conservaret ne a bestiis infernalibus damnificaretur ac depasceretur, ne exterminaret illum aper de silva et singularis ferus depasceret eum,[24] sicut ipsius incuria accidit.[25]

Vinea haec Ecclesiam significat,

seu fidem et gratiam in anima nostra;

16) Ibid. vrr. 5-12. 17) Lc 1, 75. 18) Ps 83, 12 sq. Vulg.: *Quia*, etc.
19) Io 1, 14-17. 20) Gn 2, 9. Vulg.: *Lignum etiam vitae*, etc. 21) Ibid. vr. 15.
22) Ct 4, 12-13. 23) Io 4, 23. 24) Cf. Ps 79, 14. 25) Cf. Gn 3, 6 sqq.

M o y s e s igitur cum Christo hodie [26] concentum facit in Sacrae *Geneseos* lectione, P a u l u s quoque in Epistola: *Nescitis quod ii qui in stadio currunt?* etc. [27] Duo dicit Christus de vineae cultura: *Portavimus pondus diei et aestus,* [28] laboravimus tota die et sustinuimus etiam ardentissimos radios solis, a quibus pene exusti sumus; duo M o y s e s : *Ut operaretur,* idest coleret, cultivaret, *et custodiret illum ;* duo P a u l u s : *Qui in stadio currunt* et qui in agone contendunt. [29] Accedat R e g i u s V a t e s et declaret omnia sitque ipse quarta vox huius concentus: *Venite,* inquit, *filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* [30] Timorem Domini dicit pietatem cultumque Dei, sanctam vitam in timore Domini et observantiam mandatorum Dei.

cultura autem huius vineae sanctam vitam in timore Domini et observantiam mandatorum Dei;

*Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* [31] Haec est merces virtutis, hic denarius diurnus. Nemo est qui perpetuam non appetat felicitatem, qui nolit non semper felix et beatus esse; naturalis est hic appetitus in visceribus nostris ab ipsa natura plantatus. Hinc ac si quisque responderit: Ego volo, ait: *Diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et prosequere eam.* [32] Duo, inquit, agenda sunt: servanda praecepta utriusque tabulae divinae legis, abstinendum a vitiis est et virtutibus sanctis pro viribus insistendum; in his duobus consistit vitae sanctitas, verus Dei cultus.

merces vero perpetuam felicitatem.

IV. Quoniam vero satanas, mundus et caro ad vitia impellunt, instigant, urgent, resistendum illis est viriliter, legitime certandum ut vincamus, ut, vitiis superatis, virtutum perfectionem assequamur. Sic clarus est P a u l u s dum iubet ut simus similes tum iis qui in stadio currunt ad accipiendum bravium, tum iis qui in agone cum athletis et antagonistis contendunt ad percipiendam coronam; volens ut simus similes iis Iudaeis qui post babylonicam captivitatem restaurandae civitati et reparando templo operam dabant; altera nanque manu aedificabant, altera vero arma tenebant ut ab hostibus se defenderent, qui opus illud impedire pro viribus conabantur. [33] Sic clarus est M o y s e s quidnam sit operari terram arboresque exco-

Ad hoc autem declinandum est a malo et bonum faciendum ut docet Paulus

et innuit Moyses

26) Ms.: *Hodie* bis ponitur. 27) 1 Cor 9, 24. Cf. Missale Rom. 28) Mt 20, 12. 29) 1 Cor 9, 24-25. 30) Ps 33, 12. 31) Ibid. vr. 13. 32) Ibid. vr. 15. Vulg.: *Persequere eam.* 33) Cf. 2 Esr 4, 17-18.

lere ut fructificent, quidve sit custodire; hoc enim est declinare a malo, tentationibus malis resistere; illud vero operibus bonis incumbere.

Nam hoc est quod saepissime Divina Scriptura dicit: *Facite iudicium et iustitiam,*[34] iudicium ut declinemus a malo, iustitiam ut faciamus bonum; hoc est: *Portavimus pondus diei et aestus,* laboravimus tota die vineam fodiendo, magnamque sustinuimus molestiam a solis ardoribus. In parabola nanque seminatoris Christus ardorem solis *tentationem* appellat: *Aliud cecidit super petram,* exoriente sole *natum aruit :*[35] hi sunt, inquit, qui *ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt.*[36] Haec igitur est vineae cultura, de qua etiam Isaias ait: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite bene facere, quaerite iudicium.*[37] Sic monet declinandum a malo et faciendum bonum.

**et significatur in hodierna parabola,**

Sed quomodo declinandum a malo est? quomodo faciendum bonum? Docet Paulus: *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ? Sic currite ut comprehendatis.*[38] Qui in stadio currit, non tantum currere studet, sed aliis praecurrere vellet, aquilinas alas habere; si enim non praecucurrerit, non accipiet bravium. Sic sanctam quandam aemulationem requirit a nobis Paulus, imo Deus, qui *hilarem diligit datorem,*[39] ut magno spiritus fervore concepto, currere ac volare satagamus alisque praeire in bonis operibus satagamus: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*[40] Misit Ioab duos nuncios ad David ad annunciandum ei quod fusus esset exercitus Absalom, sed qui posterior missus fuit, Achimaas, filius Sadoch, praecucurrit ante cursorem, pertransivit eum.[41] Vellet ut essemus sicut Asael frater Ioab: *Cursor velocissimus ... sicut unus de capreis quae morantur in silvis,*[42] inquit Divina Scriptura. Eandem etiam requirit diligentiam in certamine contra vitia et tentationes daemonum: *Omnis ... qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet,*[43] cavet sibi ab omni vel minimo ictu et vulnere, quod posset inimicus infligere, satagitque pro virili suum antagonistam vincere et superare ad percipiendam coronam. Sic,

**et quidem viriliter et magno spiritus fervore.**

34) Cf. Is 56, 1; Ier 4, 2; 22, 3. 15; Ez 18, 21. 27; 33, 16. 19. 35) Lc 8, 6. 36) Ibid. vr. 13. 37) 1, 16-17. 38) 1 Cor 9, 24. 39) 2 Cor 9, 7. Vulg.: *Hilarem... datorem diligit.* 40) Ps 118, 32. 41) Cf. 2 Rg 18, 19-23. 42) Ibid. 2, 18. Vulg.: *Quasi unus,* etc. 43) 1 Cor 9, 25.

inquit, ego *pugno, non quasi aerem verberans, sic curro, non quasi in incertum;* [44] et alibi: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* [45]

Gravis est carni labor hic,

V. Haec est vineae cultura, sed quaenam merces? Denarius diurnus proponitur: *Conventione... facta... ex denario diurno; acceperunt singulos denarios;* sed hi quidem illis praelati fuerunt, hi prius, illi posterius acceperunt. Duo sunt in mercede, sicut duo sunt in vineae cultura: *Portavimus pondus diei et aestus,* quasi duplex molestia, tum laboris tum aestus et ardentis caloris; hinc aiunt: *Portavimus,* quasi onus. Nam sensui carnis grave et molestum est spiritui operam dare, hinc lex Dei *iugum* dicitur, quamvis Christus per gratiam Spiritus sui et caritatis fervorem leve faciat et suave hoc iugum; ait enim: *Iugum enim meum suave est et onus meum leve.* [46] Vult mater puellulae lavare caput et faciem illamque ornare et pulcram facere: utrunque molestum illi est, quoniam ad ludum est animus cum aliis puellulis et puerulis; sic utique sensui carnis nostrae utrunque virtutis exercitium ingratum est, molestiam affert; sed tamen spes praemii vim magnam habet.

sed spes praemii incitare debet,

Vocantur homines a foro ad vineam, ab otio et quiete ad laborem; relinquunt forum cum tanta hominum frequentia et copia rerum, quibus oculos pascere et oblectare se poterant, et ad vineam pergunt, ad labores, ad ferendum *pondus diei et aestus,* spe mercedis permoti: *Conventione... facta... ex denario diurno.* Virtutis praemium Paulus *bravium* appellat, quod datur valentissimo cursori, et *coronam,* qua victor ab imperatore redimitur. [47] Bravium utilitatem affert, corona honorem victori. Hinc etiam Moyses in mysterio felicitatem aeternam *sabbatum* appellavit, sed benedictum et sanctificatum. [48] Benedictionem autem appellat Scriptura *bonorum copiam* et affluentiam, [49] sanctitatem vero decus et *ornamentum virtutum.* [50]

In sabbato, in fine hebdomadis quievisse dicitur Dominus, sic in fine diei ad quietem et mercedem operarii vocantur. *Ad imaginem*

44) Ibid. vr. 26. Ordine inverso affert hunc vr. 45) 2 Tim 4, 7. 46) Mt 11, 30. 47) Cf. 1 Cor 9, 25; Phil 3, 14. 48) Cf. Gn 2, 3; Ex 20, 11. 49) Cf. Gn 1, 28-30; 5, 1-3; 12, 2; 22, 17-18; 26, 12-16; 27, 27-29; 28, 3-4. 13-15. 50) Cf. Lv 20, 7-8; 21, 1 sqq.; 22, 9. 31 sqq.; Eccli 30, 15; 1 Cor 3, 10-17; 6, 11 sqq.; Eph 1, 3-4; 5, 1-5; 1 Thess 4, 1-8.

*et similitudinem Dei* [51] conditus homo est; laboret cum Deo, si quiescere vult cum eo; sit Deo similis in labore, si cum eo vult quiete dulcissima frui. quod est aeterna felicitas.

VI. Duo sunt in summa quae in Dei operibus legimus: quod tenebras dispulit et lucem produxit lucemque a tenebris divisit et aquas superiores ab inferioribus, aquasque a terra, ne mundus chaos quoddam esset confusissimum. Ablata autem confusione omnibusque in ordinem decentem redactis, mundum ornavit, coelum astris, aerem avibus, aquam piscibus, terram plantis et animalibus; [52] expletis autem omnibus, *vidit . . . cuncta quae fecerat et erant valde bona.* [53] Sic agendum nobis est: prius quidem expellendaę ac eliminandae sunt tenebrae malorum operum omnisque vitiorum confusio removenda, dispositis omnibus suisque locis rite collocatis, superioribus et inferioribus, et quae spectant ad spiritum et quae ad carnem, quae ad animam et quae ad corpus, quae ad Deum et quae ad mundum, omnia sint recte suis locis disposita, ac sic demum postea cum toto spiritu bonis operibus incumbendum, ita tamen ut semper ad meliora ac perfectiora opera manum admoveamus. Sic enim Deus a plantis terrenis perrexit ad coelestes stellas, ab animalibus brutis ad hominem, opus omnium absolutissimum et perfectissimum, ac tunc demum, cum ad perfectionis apicem culmenque pervenit, operibus suis ultimam manum adhibuit et in benedicto et sanctificato sabbato, qui non habet finem, requievit.

Sicut Deus primo omnia creavit et postea optimo ordine disposuit et tandem requievit,

Sic agendum nobis est ut cum Deo aeterna in coelis gloria perfruamur. *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Duo dicit: vitam perpetuam, sine fine, et dies bonos, idest laetissimos et iucundissimos perpetuarum consolationum, aeternam felicitatem. Sic in Evangelio, quoniam *novissimi* specialiter dicuntur electi; quia tamen, iubente Deo, carnis otia vitiaque reliquerunt et libera ac spontanea voluntate, ut patrifamilias obtemperarent ac morem gererent, abierunt et mercedem denarii diurni perceperunt: *Incipiens a novissimis; erunt novissimi primi* in dignitate et honore. Hic honor a P a u l o dicitur *corona*, diurnus autem denarius *bravium.*

sic nobis agendum est: primo in vinea animae nostrae laborare, ut postea aeterna gloria perfruamur.

51) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 52) Cf. ibid. 1 1-27. 53) Ibid. vr. 31.

Radix meriti est bona voluntas,

VII. Ostendit hic Dominus quod radix meriti est bona voluntas, *caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* [54] *Hi novissimi una* quidem *hora laboraverunt,* [55] sed defuit eis non voluntas laborandi, sed facultas; hinc aiunt: *Quia nemo nos conduxit.* Si, inquiunt, a primo mane vocati fuissemus ad laborandum, non recusassemus laborem. Imo multo meliorem voluntatem ostenderunt, quia absque ulla conventione aut promissione praemii abierunt ad laborandum, solum ut patrifamilias vineae domino morem gererent. Praeferuntur igitur in praemio, licet minus laborarint, quoniam maiori affectu et meliori voluntate, praestantiori, inquam, caritate modicum illud temporis in Dei famulatu expendere.

nam Deus cor respicit,

Deus nanque cor respicit, sicut Dominus ostendit dixitque manifeste, cum in templo vidit magna a multis offerri donaria et viduam quandam pauperculam obtulisse duo aeris minuta; hanc nanque Dominus divitibus omnibus praetulit, quoniam illi ex eo quod abundabant illis munera offerebant, vidua autem ex penuria et maxima paupertate totum fere victum suum obtulit. [56] Sic ait hodie: *Erunt novissimi primi et primi novissimi,* [57] idest licet multi divites et potentes in hoc saeculo omnes facultates suas distribuerint in cibos pauperum, licet omnia reliquerint ut Deo liberius serviant, multi tamen pauperes, licet non multa reliquerint, si tamen libentiori animo reliquerunt et maiori cum caritate ac spiritus fervore Domino servierunt, maiorem in coelo gloriam consequentur, multo maiorem thesaurum habebunt, sicut in Apostolis cernimus.

licet multa ac magna bona opera ob impotentiam facta non sint.

Animo bono, bona voluntate et corde gaudet ac veluti pascitur Deus, qui a nobis nonnisi cor requirit: *Fili mi, praebe mihi cor tuum ;* [58] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* [59] Si postea exterius multa, magna propter Deum operari minime potueris, sufficit bona voluntas, voluntatem bonam Deus remunerabit, non minus ac si opera illa praestitisses. Hi novissimi denarium diurnum acceperunt ac si tota die in vinea laborassent, cum tamen nonnisi una hora laboraverint. Agit sicut amantissimus pater qui filiis suis aequales relinquit hereditatis partes, tam minoribus quam maioribus; ulti-

54) 1 Tim 1, 5. 55) Mt 20, 12. Vulg.: *Una hora fecerunt.* 56) Cf. Mc 12, 41 sqq.; Lc 21, 1-4. 57) Mt 20, 16. 58) Prv 23, 26. Vulg.; *Praebe, fili mi, cor tuum mihi.* 59) Dt 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27.

mus filius minimusque, licet parvulus, cum primo, omnium maximo, aequalem hereditatis portionem, quoniam omnes aequaliter filii sunt, etiam quandoque novissimi sunt magis dilecti, sicut Iacob novissimos filios suos Ioseph et Beniamin super omnes alios filios suos dilexit, eo quod in senectute genuerat eos.[60] Sic paterfamilias hodie praetulit novissimos operarios primis.

VIII. Mirabile autem est, fratres, quali desiderio tenetur hic paterfamilias ut vinea sua [a] pluribus operariis colatur, quanta sollicitudine hoc ipse curat! *Exiit primo mane*, ante solis ortum, et postea hora tertia, sexta et nona, ac tandem undecima. Abiit ipse, non servos misit de familia sua aut procuratorem domus suae, qui nunc maiordomus dicitur aut magister domus, qualis fuit Eliezer procurator Abrahae.[61] Habere autem procuratorem principum est, qualis erat Abraham, magnificatus adeo ut reges amicitiam eius expeterent; potuit enim plures reges armis superare, qui domi suae trecentos decem et octo servos tenebat, numerosissimam plane familiam, omnes bello aptos.[62] Sic proponitur hodiernus paterfamilias. Et tamen prae desiderii magnitudine dignitatis suae veluti oblitus, ipsemet domo egreditur, in forum pergit replicatis vicibus ad operarios in vineam suam conducendos. Sic Deus, fratres, maximo tenetur virtutis desiderio, eius cupidissimus est ac si hoc ipsius esset tum cibus tum potus gratissimus, qualis est vineae fructus; sic esurire ac sitire iustitiam videtur! Sic Moyses populo dixit: *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus requirit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum et ambules in viis eius et diligas eum serviasque Domino Deo tuo ex toto corde tuo, ex tota anima tua?*[63]

**Ostenditur in hac parabola magnum Dei desiderium virtutis nostrae.**

Hoc a primo mundi mane requisivit a primis parentibus nostri generis,[64] hoc ipsemet apparens Patriarchis et Prophetis,[65] hoc ipse de coelo descendens ad legem populo dandam,[66] hoc tandem ipse in mundum veniens homo factus. Hinc ad excolendam hanc vineam omnes homines vocat, cuiusvis fortunae, conditionis et aetatis:

**quod saepe Deus ipse demonstravit.**

60) Cf. Gn 37, 3; 44, 20. 61) Cf. ibid. 15, 2. 62) Cf. ibid. vrr. 14-18. 63) Dt 10, 12. Vulg.: *Petit a te... ac servias ... in toto... et in tota anima tua?* 64) Cf. Gn 2, 16-17. 65) Cf. ibid. 17, 1 sqq.; 28, 12-15; Ex 3, 1-4, 1 sqq.; Is 6, 1 sqq.; 8, 1 sqq.; Ier 1, 4 sqq.; Ez 1, 4-2, 1 sqq. 66) Cf. Ex 20, 1 sqq.

*Venite ad me omnes qui laboratis,* [67] omnes operarii, cum tamen bonorum nostrorum non egeat: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges,* [68] hebraice: טוֹבָתִי בַּל־עָלֶיךָ, [69] *bonitas non super te,* nihil bonitatis et felicitatis tuae addit, nihil tibi prodest, sicut nec lunae splendor soli, cuius lux nec augeri nec minui suapte natura potest; sicut coelum terra nil indiget, a terra nil recipit et tamen omnem virtutem suam in terram diffundit, semper circa eam movetur ad suis beneficiis eam fovendam ac ditandam. Est Deus infinitae magnitudinis, infinitae aetatis, infinitae potestatis; opera nostra indigere nullatenus potest. Et tamen nihil aliud curare videtur, nihil aliud vel desiderare vel cogitare tanquam amantissimus pater commoda filiorum, ut bonorum suorum nos participes faciat: *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis;* [70] Deus ipse denarius diurnus, etc.

**Duo proponuntur hodie in praemium virtutis: utilitas et honor;**

IX. Duo sunt quae in virtutis praemium hodie proponuntur: utile et honestum, denarius diurnus et primatus: *Erunt novissimi primi.* Omnis nanque homo vel ad acquirendas divitias laborat vel ad consequendos honores. Multi sibi tanquam finem proponunt lucrum, divitiarum copiam, alii honorem, multosque perferunt labores ad haec consequenda. Sed Christus docet hodie qua via, quibus laboribus consequi possimus sempiternas divitias honoresque divinos nunquam interituros. Beati ergo qui laborant in vinea Domini.

**sed prius vocantur homines ad labores, postea ad praemium.**

*Voca operarios et redde illis mercedem.* Prius vocantur homines ad labores, ad opera, postea ad mercedem, ad praemia; prius vocat Deus ad virtutem: *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem;* [71] *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum;* [72] *Eratis... aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni iustitia et bonitate et veritate.* [73] Hanc Paulus *ad Timotheum* dixit *vocationem sanctam.* [74] Sed post vocationem ad gratiam sequitur vocatio ad gloriam, de qua Paulus *ad Thessalonicenses: Oramus semper pro vobis ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat... voluntatem boni-*

67) Mt 11, 28. 68) Ps 15 (hebr. 16), 2. 69) Ms.: *Tobathi bal halecha.*
70) Gn 15, 1. 71) 1 Thess 4, 7. 72) 1 Petr 2, 9. 73) Eph 5, 8-9. Vulg.: *In omni bonitate et iustitia,* etc. 74) Cf. 2 Tim 1, 9.

*tatis et opus fidei in virtute;* [75] et *ad Philippenses: Ad destinatum prosequor ad bravium supernae vocationis Dei;* [76] hoc est: *Voca operarios et redde illis mercedem: Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* [77]

*Voca operarios et redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos. Cum venissent,* etc. [78] Bonis operibus delectatur Deus, torpor vero et otium summopere ei displicet: *Quid hic statis tota die otiosi?* [79] Nihil otiosum produxit Deus, omnia vult ut operentur sicut ipse operatur, nam *Pater meus,* inquit, *usque modo operatur et ego operor.* [80] Angeli Deo ministrant ac per scalam Iacob iugiter ascendunt atque descendunt tanquam ministri providentiae divinae in regenda et administranda republica universi. Ipse nanque paterfamilias est *qui exiit primo mane,* hora tertia, sexta, nona, undecima, per omnes mundi hominumque aetates *conducere operarios in vineam suam.* Tanti facit hanc vineam tantopere fructus eius desiderat! Angeli vero servi sunt et ministri Dei: *Qui facit Angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis,* [81] qui semper movetur, quiescere non potest. Sic Angeli. Seraphim sunt apud Isaiam circa thronum Dei semper volitantes; [82] coeli iugiter moventur; sol semper lucet naturamque fovet ad naturalia procreanda; stellae semper splendent, luna iugiter virtutem suam in inferiora haec influit; aer ventos, nubes, pluvias, rorem, pruinas gignit; mare semper fluit, refluit, pisciumque fecundissimum est; terra iugiter, licet immota maneat, laborat tamen ad gignendas herbas, ad nutriendas arbores, ad pascenda animalia. Sic omnia Deus condidit ut operentur. Terrae dixit: *Producat terra herbam virentem,* sed *facientem semen* lignaque pomifera, idest arbores facientes fructus; [83] coelo dixit: *Fiant luminaria in firmamento coeli et dividant diem ac noctem et sint in signa et tempora et dies et annos, ut luceant in firmamento coeli et illuminent terram;* [84] aquis dixit: *Producant aquae reptile animae viventis et volatile super terram;* [85] terrae iterum: *Producat terra animam viventem... iumenta et reptilia;* [86] et bestiis, ovibus, piscibus, animalibus terre-

Maxime delectatur Deus bonis operibus et summopere abominatur otium,

ideo omnia condidit ut operentur;

75) 2 Thess 1, 11. 76) 3, 14. 77) Apc 19, 9. 78) Mt 20, 8-9.
79) Ibid. vr. 6. 80) Io 5, 17. 81) Ps 103 (hebr. 104), 4. Affert ex Hebr 1, 7.
82) Cf. 6, 2-3. 83) Gn 1, 11. Vulg.: *Germinet,* etc. 84) Ibid. vrr. 14-15.
85) Ibid. vr. 20. 86) Ibid. vr. 24.

stribus: *Crescite et multiplicamini*, [87] fructificate et multiplicate, propagate semen vestrum; tandem hominem posuit in paradiso, *ut operaretur et custodiret illum.* [88]

mundus autem otium sectatur,

Nihil igitur otiosum produxit, otium damnat: *Quid hic statis tota die otiosi? Arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* [89] Mundus autem otia sectatur; honorat nobiles suos, lege lata otiosos vult, ut nihil agant; haec enim habetur vita nobilium: nihil agere, nullis honestis artibus operam dare, alioquin si vel mercaturae navaret operam, nobilitate declararetur indignus.

quod omnium vitiorum fomentum est,

X. Sed quis nescit quod otium est omnium vitiorum fomentum, sentina immunditiarum, mille malorum causa? Quid sanctissimum Davidem effecit adulterum et homicidam nisi otium? [90] Haec causa praecipua [subversionis] Pentapolis, nam Ezechiel ait: *Haec fuit iniquitas sororis tuae Sodomae: superbia, saturitas panis... abundantia et otium ipsius*, hebraice: *Abundantia otii ipsius.* [91] *Multam... malitiam docuit otiositas*, [92] inquit Divina Scriptura. Otium veluti fons libidinis est, hinc ait ille:

« Otia si tollas, periere Cupidinis arcus »; [93]

et alibi:

« Quaeritur Aegistus quare sit factus adulter?
In promptu causa est: desidiosus erat ». [94]

Etiam corpori nocet. Ait idem Poeta:

« Vides ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur aquae ». [95]

mens enim hominis otiosi nonnisi malis cupiditatibus repletur;

Sicut autem palustres aquae sine motu, putridae, non gignunt nisi ranas, bufones, serpentes, noxia animalia, sic mens hominis otiosi noxias cogitationes et cupiditates, sicut terra inculta nonnisi spinas et tribulos malasque herbas, sicut Salomon ait: *Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticae et operuerant superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erant.* [96]

87) Ibid. vr. 22. 88) Ibid. 2, 15. 89) Mt 3, 10; 7, 19. 90) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 91) 16, 49. Vulg.: *Iniquitas Sodomae*, etc. 92) Eccli 33, 29. 93) Ovid. *Remed. Am.*, vr. 139. 94) Ibid. vrr. 161-162. 95) *Epist.* lib. 1, epist. 5, vrr. 5-6. 96) Prv 24, 30-31.

Est otium et desidia sicut illa poetarum Medusa, quae homines vertebat in saxa; sed occisa illa a Perseo, ex eius sanguine Pegasus ortus est, alatus equus, [97] hieroglyphicum famae et nominis celebritatis magnique honoris, qui virtutis pretium ac praemium est. Sic hodie qui novissime vocati sunt: *Quid hic statis tota die otiosi ? Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam,* [98] cum desidiam reliquissent ac veluti occidissent, divitias et honorem sunt consecuti, cum ex otio saepe magna consequatur paupertas: *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat.* [99] Unde otioso Salomon ait: *Parum ... dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres ut quiescas, et veniet tibi quasi cursor egestas tua et mendicitas* tua *quasi vir armatus.* [100]

**ex otio etiam paupertas consequitur.**

Abiciamus ergo, fratres, desidiam et torporem, studeamus bonis operibus, sine quibus fides nihil nobis prodest, nam ait quod *sicut ... corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.* [101] Fides quae per caritatem, per dilectionem non operatur, [102] mortua est; ad accipiendam mercedem vitae aeternae nonnisi operarii vocantur: *Voca operarios et redde illis mercedem* suam. Qui bona egerunt ibunt in vitam aeternam, qui vero mala egerunt in ignem mittentur aeternum. [103]

**Studendum ergo est bonis operibus, sine quibus fides nihil prodest.**

XI. Sciamus, fratres, quod etiam satanas vineam suam habet: *De vinea Sodomorum vinea eorum et de suburbanis Gomorrhae ;* [104] et etiam ipse exit *conducere operarios in vineam suam,* invitans homines ad peccandum, sicut Adam in paradiso, [105] Christum in deserto, [106] qui Dei vineam colebant. Omnis homo vel cultor est vineae Dei, vel vineae satanae, nam omnis homo vel vivit secundum spiritum vel secundum carnem, vel in gratia est vel in peccato. Certum est autem quod *quae ... seminaverit homo haec et metet ... qui seminat in carne ... de carne ... metet corruptionem ; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.* [107]

**Satanas etiam invitat operarios ad vineam suam.**

97) Cf. Virg. *Aeneid.*, lib. 2, vr. 616; Ovid. *Metamorph.*, lib. 4, vr. 614; Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 7, cp. 31, pag. 631-632. 98) Mt 20, 6-7. 99) Prv 10, 4.
100) Ibid. 24, 33 sq. *Egestas tua* legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, *tua* expunctum fuit.
101) Iac 2, 26. 102) Cf. Gal 5, 6. 103) Cf. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 40. 104) Dt 32, 32. 105) Cf. Gn 3, 1-6. 106) Cf. Mt 4, 1-10; Mc 1, 13; Lc 4, 1-12. 107) Gal 6, 8.

Sed, bone Deus, quaenam est nostra stultitia, fratres? Volumus tota die secundum carnem in peccatis viventes satanae vineam colere, et in sero, in hora mortis, a Christo mercedem vitae aeternae accipere? *Voca*, inquit, *operarios*, qui operati sunt, qui laboraverunt in vinea mea, *et redde illis mercedem* suam. *Fratres*, inquit Apostolus, *debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* [108]

sed nequit accipere mercedem a Christo qui in vinea satanae operatus est.

Vitam a nobis requirit Deus non teneram et delicatam, effeminatam nobilium mundi huius, sed duram, asperam, laboriosam, qualis est agricolarum vita. Hinc ait hodie Paulus: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne... reprobus efficiar.* [109] Ne fide tantum contenti simus, Baptismo et nomine christiano, nam ait Apostolus hodie: *Nolo... vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes sub Moyse baptizati sunt in mari et in nube et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt et omnes eundem potum spiritalem biberunt... sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; sed prostrati sunt in deserto. Haec autem... in figura contingebant illis... in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut... illi concupierunt.* [110] Sexcenta, inquit, hominum millia eduxit Deus ex Aegypto, [111] quibus omnibus maxima contulit beneficia; sed tamen paucissimi eorum ad promissionis terram pervenerunt, omnes fere in deserto perierunt propter peccata sua. [112] Caveamus, inquit, ne nobis quoque ita contingat, ne a terra viventium exclusi pereamus in aeternum.

Vitam duram a nobis Deus requirit, non delicatam.

XII. Sciendum nobis quod sicut hodiernus paterfamilias satagens et sollicitissimus est ad conducendos operarios in vineam suam, ita et satanas, qui semper simiam Dei agit. Hinc in libro *Iob* ait: *Circuivi terram et perambulavi eam,* [113] utique ad pertrahendos homines in peccatum, sicut conatus fuit ipsum Iob, diligentissimum vineae Dei cultorem, in suam vineam per peccatum conducere; sed minime potuit a vinea Dei illum educere, *erat* enim *vir simplex et rectus ac*

Valde satagit satanas ad conducendos operarios in vineam suam,

108) Rom 8, 12-13. 109) 1 Cor 9, 27. 110) Ibid. 10, 1-6. Vulg.: *In Moyse... in nube et in mari... nam prostrati*, etc. Inserit in vr. 6 pericopen vr. 11. 111) Cf. Ex 12, 37; 11, 21. 112) Cf. Ios 5, 4. 113) 1, 7.

*timens Deum et recedens a malo,* etiam ipsius Dei testimonio ;[114] in omnibus autem angustiis suis *non peccavit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus fuit.*[115]

Multi ad excolendam satanae vineam conducuntur magnis promissionibus: *Eritis tanquam dii scientes bonum et malum;*[116] Christo in deserto *ostendit ... omnia regna mundi et gloriam eorum dixitque ... Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*[117] Deus autem nil magnum promittere videtur cultoribus vineae suae: *Conventione ... facta ex denario diurno.* Praesens obiectum vehementer movet. Satanas promittit bona mundi huius quae videntur, Deus autem invisibilia futura bona, hinc parvipenduntur. Hanc ob causam satanas in vineam suam multos conducit.

**et multos magnis promissionibus allicit et pertrahit;**

Regius Vates *Psalmo 36* pium alloquens cultorem vineae Domini, ne ad satanae suasiones relinquat vineam Dei abeatque ad colendam vineam satanae videns prosperitatem et florentem statum improborum: *Noli aemulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem :* ne, inquit, illos imiteris, ne invideas, *quoniam tanquam foenum velociter arescent et quemadmodum olera herbarum cito decident:* momentanea est illorum prosperitas; sed *spera in Deo et fac bonitatem et inhabita terram, et pasceris in divitiis eius. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui,* idest explebit omne desiderium tuum, *et educet quasi mane iudicium tuum et iustitiam tuam tanquam meridiem.*[118] Sic toto *Psalmo* prosequitur discrimen mercedum laborum harum vinearum, declarans mercedem cultus vineae Domini et similiter cultus vineae satanae.

**sed mendax est felicitas quam promittit, merces autem Dei plena et aeterna erit.**

XIII. *Voca operarios et redde illis mercedem,* denarium diurnum. Regius Vates *Psalmo 111: Beatus vir qui timet Dominum,* declarat culturam vineae, exercitium virtutis tum erga Deum tum erga homines: *Qui timet Dominum,* idest qui colit, *iucundus homo qui miseretur et commodat,* etc.;[119] declarat etiam mercedem denarii diurni, non solum aeternam statuens felicitatem, verum etiam temporalem, sicut etiam in *1 Psalmo : Beatus vir qui non abiit,* etc., *erit*

**Cultura vineae Dei significat exercitium virtutis,**

114) Ibid. vrr. 1. 8. 115) Ibid. vr. 22; 2, 10. Vulg.: *Locutus est.* 116) Gn 3, 5. Vulg.: *Sicut dii,* etc. 117) Mt 4, 8-9. Vulg.: *Et dixit,* etc. 118) Vrr. 1-6. Vulg.: *In Domino... Quasi lumen iustitiam tuam et iudicium tuum,* etc. 119) Vrr. 1. 5.

merces autem felicitatem aeternam et etiam temporalem,

*tanquam lignum... omnia... prosperabuntur;* [120] imo Christus ait: *Centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit;* [121] ubi Lucas: Qui *non recipiat multo plura in hoc tempore et in saeculo futuro vitam aeternam,* [122] quae dixit quidem Christus de mercede et praemio virtutis, ut Petro satisfaceret: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te* [123] in cultura vineae, putatio et fossio. Promiserat Christus iuveni diviti magnum thesaurum, si relinqueret omnia et ipsum sequeretur, [124] et inde motus fuit Petrus. Christus autem praesenti parabola docere voluit Petrum et fideles omnes, quod sicut divites, ita et pauperes gloriam magnam consequentur, si virtutem sequantur. Ergo virtuti duplex praemium promittitur: praesens et futurum, in hoc saeculo et in paradiso, apud homines et apud Deum.

virtuti enim praemium promittitur etiam in praesenti.

Et quidem in illo *Psalmo*, posita cultura vineae: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis* [125] – timor est putatio, nam, ut Salomon ait: *Timor Domini odit malum.* [126] – tunc prosequitur praemia, et illa quidem magna et multa, decem nanque enumerat: *Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur,* fortunata, felix erit; *Gloria et divitiae in domo eius:* en bona fortunae, *et iustitia eius manet in saeculum saeculi,* [127] apud Deum: *Faciens misericordiam in millibus,* etc; [128] *Exortum est in tenebris lumen rectis,* divina consolatio in adversitatibus; *Iucundus homo qui miseretur... quia in aeternum non commovebitur,* [129] securus manebit sicut domus fundata supra firmam petram; [130] *In memoria aeterna erit iustus,* apud homines immortalis, semper in laude, *ab auditione mala non timebit,* non formidat damnationem; *Paratum cor eius sperare in Domino... non commovebitur donec despiciat inimicos suos. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi, cornu eius exaltabitur in gloria:* [131] ecce denarius diurnus. Patent autem haec in Abrahamo et aliis Patriarchis, patent in Petro, patent in Dominico et Francisco. Quis non videt gloriam Sanctorum in hoc saeculo? Quinam reges aut imperatores tam gloriosi nunc sunt in mundo?

120) Vrr. 1-3. 121) Mt 19, 29. 122) 18, 30. Vulg.: *In saeculo venturo*, etc.
123) Ibid. vr. 28. Vulg.: *Dimisimus omnia*, etc. *Reliquimus* legitur in Missali et Breviario Rom., Communi Conf. non Pont. Evang. pro Abbatibus. 124) Cf. ibid. vr. 22.
125) 111, 1. 126) Prv 8, 13. 127) Ps 111, 2-3. 128) Ex 20, 6. Vulg.: *In millia.*
129) Ps 111, 5-6. 130) Cf. Mt 7, 24-25; Lc 6, 48. 131) Ps 111, 7-9.

## III. ALIA HOMILIA

*Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam,* etc. [1]

Vinea Dei Ecclesia est, idest fides.

I. Magnus cosmographus Moyses, cum mundi creationem et dispositionem et ornatum descripsisset et hominis formationem divino spiritu illustratus, docuit Deum plantasse terrestrem paradisum et conduxisse hominem ad illum excolendum et custodiendum, sive conservandum. [2] Sic hodie, cum paterfamilias, Deus, vineam plantasset, sicut alibi legimus: Simile est regnum coelorum homini patrifamilias *qui plantavit vineam,* [3] nunc conduxit homines ad eam excolendam. Deus ipse plantavit paradisum, non natura aut arte humana plantatus fuit; hoc enim est quod Moyses ait: *Non enim plueral Dominus Deus super terram et homo non erat qui operaretur eam.* [4] Sic vinea Ecclesiae, nam fides est donum Dei: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem... descendentem de coelo a Deo.* [5]

Hanc vineam homo excolere debet industria sua et cum auxilio gratiae Dei.

Sed ut paradisus ille servaretur, arti, industriae et diligentiae hominis commisit Deus: *Tulit... Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso,* [6] ut excoleret et conservaret eum; sic hodie vocat et conducit operarios. Ad vineam nanque conservandam, praeter naturam et coelestes influxus, requiritur etiam ars et industria humana, ut vinea putetur et fodiatur. Sic ad merita vitae aeternae non sufficit tantum natura, ut Pelagiani dicebant, [7] nec tantum gratia, sed gratia divina simul cum natura, cum libero arbitrio et voluntate humana: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis, et ipsi populus eius erunt et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* [8] Ad prolem procreandam non sufficit solus masculus, nec femina, sed simul; ad

1) Mt 20, 1. 2) Cf. Gn 1, 1-2, 1-15. 3) Mt 21, 33. 4) Gn 2, 5. Vulg.; *Operaretur terram.* In margine haec adiecta fuerunt: « Mundum Deus per seipsum creavit, sed ministerio causarum secundarum moderatur atque conservat; sic et Ecclesiam ».
5) Apc 21, 2. Vulg.: *Vidi sanctam,* etc. 6) Gn 2, 15. Vulg.: *In paradisum.*
7) Cf. S. Hieronymus epist. 133, (P. L. 22, 1153-1154); S. Augustinus epist. 176, ibid. 33, 763; epist. 179, ibid, col. 774-775; *De Haeresibus,* haeres. 88, ibid. 42, 47-48; *De Gestis Pelagii,* cp. 33, ibid. 44, 353-357; *De Gratia Christi,* cp. 29-30, ibid. col. 375-376; *Contra Duas Epist. Pelagianorum,* lib. 3, cp. 8, ibid. col. 606. 8) Apc 21, 3.

naturalia gignenda non solum coelum, nec sola terra, sed simul; ut homo sit homo, corpus et anima simul iuncta requiruntur; ut sit christianus verus, gratia et natura.

Culturam hanc Deus a nobis exigit

Noluit Deus hominem in paradiso otiosum esse, sed operari. Hodie damnat otium: *Quid hic statis tota die otiosi?* [9] Homo de terra formatus est [10] et *terra* dicitur; [11] si excolatur terra, reddit utique et multa cum usura quod ei committitur: si triticum, triticum, si hordeum, hordeum, quicquid seminaveris; sed si maneat inculta, spinas et malas herbas pro libidine fundit. Sic et homo si exerceatur in quavis virtute, scientia, arte, disciplina, iuxta sementem producit segetes et messem; si autem otio torpeat, nonnisi vitiis et malis moribus scatet. [12]

et otium damnat.

Sic Salomon ait: *Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticae et operuerant superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erat.* [13] Nihil voluit in mundo otiosum esse: non Angelos, quos nunc ascendentes et descendentes legimus, [14] nunc volantes, [15] nunc assistentes et ministrantes; [16] non coelos, non mare, non terram, non arbores, non animalcula; unde Sapiens ait: *Vade ad formicam, o piger, et considera vias eius et disce sapientiam... Usquequo, piger, dormies? Quando consurges e somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias, et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus.* [17]

Deus vult ut omnes operentur,

II. Voluit Deus hominem operari; sed quanam in re exerceri? Propter hominem creaverat coelum et terram; non iussit ut contemplaretur coelum et astra, sed ut operaretur terram. [18] Humilem ar-

9) Mt 20, 6. 10) Cf. Gn 2, 7. 11) Cf. ibid. 3, 19. 12) In margine haec adiecta fuerunt: «Splendidum aurum est, splendidae gemmae, sed ab artifice elaboratae. Noluit hominem otio torpere, quoniam nec aurum nec gemmae, nisi elaborata [splendent]. Otium est venenum reipublicae. Noluit Deus ut homo esset pondus inutile terrae, manus Moysi in sinu leprosa. Otium est viva hominis sepultura; otium seminarium est et nidus vitiorum, pestis virtutum; otium, sicut somnus, frater est mortis. Et tamen hodie, o tempora, o mores! omnes fere mundi nobiles otio torpent, marcescunt, demersi, submersi in putridis ac corruptis aquis lacus Asphaltis». 13) Prv 24, 30-31. 14) Cf. Gn 28, 12. 15) Cf. Is 6, 2-6; Dn 9, 21. 16) Cf. 3 Rg 22, 19; Dn 7, 10. 17) Prv 6, 6-11. 18) In margine haec adiecta fuerunt: «Convenientius videbatur ut Deus iuberet homini coeli contemplationem, sicut Abrahae dixit: *Suspice coelum et numera stellas, si potes*, quam terrae culturam qua minime egebat, cum omnia sua sponte produceret, sicut ad imperium Dei primo produxit absque ullo hominis labore vel industria,

tem et professionem mandavit, quia summopere placet ei humilitas: *Humilibus... dat gratiam.*[19] Contemplatio coelorum actio sublimis est et delectabilis, laboriosa tamen, valde curiosa et inutilis; agricultura autem professio quidem humilis, sed tamen valde utilis simul et iucunda, ita ut etiam summi reges ea delectati sint, ut de Assuero legimus;[20] hac delectatus fuit Noe,[21] hac Abraham.[22]

Sic hodie Deus, qui agricola dicitur, plantator paradisi terrestris, plantator vineae, conducit operarios in vineam suam. Sed quidnam egerunt conducti homines? operarii? *Portavimus*, inquiunt, *pondus diei et aestus*,[23] toto die laboravimus. Duo sunt quae ad vinearum culturam spectant, ut in Sacris Litteris legimus: fossio et putatio: *Vineam plantabis et fodies*, ait Moyses *Deuteronomio;*[24] *Levitico* autem ait: *Sex annis putabis vineam tuam et colliges fructus eius, septimo autem... vineam non putabis.*[25] In his igitur totum diem consumpserunt, in his laboraverunt, ut putarent et foderent vineam hanc.

ideo omnes vocat ad culturam huius vineae,

Universa autem divinae legis observantia duobus capitibus continetur, sicut in duabus tabulis lex lata fuit.[26] Continet enim praecepta quae prohibent mala fieri, vitia declinari, et iterum praecepta bonorum operum et virtutum erga Deum et homines; hinc ait: *Declina a malo et fac bonum.*[27] Sic in *1 Psalmo : Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum... sed in lege Domini voluntas eius ;*[28] sic Paulus : *Ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus ;*[29] sic Christus: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris.*[30] Haec sunt duo altaria in templo Domini: altare sacrificii et altare incensi;[31] hanc ob causam Ecclesia dicitur in *Canticis mons myrrhae et collis thuris : Vadam ad montem myrrhae et ad collem thuris,*[32] quia vita christiana, quae per culturam vineae designatur, in his duobus consistit: ut fugiantur vitia et opera carnis et spiritus opera teneantur.

quae consistit in divinae legis observantia,

idest declinando a malo et faciendo bonum.

Sed hoc, non illud mandavit, ut sciamus quod Deo magis placet humilis mens quam sublimis et ne homo cum Lucifero coelum appeteret et superbia elatus caderet ». 19) Iac 4, 6.
20) Cf. Est 1, 5. 21) Cf. Gn 9, 20. 22) Cf. ibid. 13, 5-6. 23) Mt 20, 12.
24) 28, 39. 25) 25, 3-4. Vulg.: *Et colliges*, etc. 26) Cf. Ex 31, 18; 34, 28.
27) Ps 33, 15. Vulg.: *Diverte a malo*, etc. 28) Vrr. 1-2. 29) Tit 2, 12.
30) Lc 12, 35. 31) Cf. 2 Par 4, 1-19. 32) 4, 6.

Hoc docet hodie etiam D. Paulus,

III. Hoc est quod saepe legimus in Sacris Litteris *facere iudicium et iustitiam.* [33] Hoc duabus elegantissimis metaphoris docet Divus Paulus hodie: cursus ad bravium et certaminis in agone, [34] et eas declaravit dicens: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.* [35] in servitutem utique spiritus, in servitutem Dei. Hoc ipsum Prophetae aliis metaphoris elegantibus docuere. Isaias ait: *Lavamini, mundi estote,* puri, candidi estote. Lavantur panni a sordibus et tela nova multis lotionibus ad candorem nivalem reducitur. Declarat metaphoras: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere, facite iudicium.* [36] Sic Dominus ad Ieremiam: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te ... super gentes et ... regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes.* [37] Hoc significavit duabus visionibus virgae vigilantis, sive amygdalinae et ollae succensae: *Vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud ... Ab aquilone pandetur* omne *malum super omnes habitatores terrae.* [38] Vigilandum est ad extinguendum ignem carnalis concupiscentiae, ad edendos flores fructusque virtutum suo tempore, sicut amygdalus; ad hoc incumbendum, ut destruantur et eradicentur vitia atque peccata, aedificentur et plantentur virtutes et boni mores, sicut Ieremias praedicabat: *Bonas facite vias vestras et studia vestra.* [39]

sicut iam docuerunt Isaias et Ieremias elegantissimis metaphoris,

Propter haec duo a Ieremia verbum Domini dictum est *ignis conflans et malleus conterens petram,* [40] et in *Apocalypsi gladius ex utraque parte acutus,* [41] quia carnem occidit et spiritum ferit. Gladius est pertransiens animam et cor, sicut acuta sagitta amoris aurea simul et plumbea, odii vitiorum et peccatorum. Hoc est quod alibi docuit Apostolus dicens: *Epulemur non ... in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis;* [42] et alibi: *Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit,* etc. *Manifesta sunt ... opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia ... Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax,* etc. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* [43]

vitia enim extinguenda sunt et virtutes plantandae,

33) Cf. Is 56, 1; Ier 4, 2; 22, 3. 15; Ez 18, 21. 27; 33, 16. 19. 34) Cf. 1 Cor 9, 24-25. Missale Rom. Epistola Missae. 35) Ibid. vr. 27. 36) 1, 16-17. Vulg.: *Quaerite iudicium.* 37) 1, 9-10. 38) Ibid. vrr. 11-14. 39) 7, 3; 26, 13. 40) 23, 29. 41) 1, 16; 19, 15. 42) 1 Cor 5, 8. 43) Gal 5, 16-24.

Noluit Deus ut populus in Aegypto sacrificaret, sed in deserto [44] divinam legem cultumque et religionem susciperet. [45] Qui Ierusalem aedificabant, altera manu contra inimicos pugnabant, altera muros construebant. [46] Ad montem Dei una cum Moyse ascendit Iosue, [47] qui contra Amalec pugnavit et orationum suffragio pugnans vicit. [48] Lex non lata fuit nisi flagellata Aegypto, demerso Pharaone, expugnato Amalec, quia regnante carne, lex Dei, quae tota spiritus est, servari non potest. Mortuo Herode, Christus venit in terram Israel. [49]

nam regnante carne, lex Dei servari non potest.

IV. Sed videamus aliqua cum diligentia quomodo Paulus hodie christianam vitam suis metaphoris depingit: *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?* [50] Hac metaphora etiam Regius Vates usus fuit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* [51] Currendum, inquit, est per viam mandatorum Dei, sed sicut currunt qui in stadio ad bravium currunt; pugnandum est, sed sicut illi qui in agone contendunt, *omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet,* [52] cautissime certat, summo studio curans ut ne minimam quidem laesionem ab antigonista accipiat, licet cum hoste valentissimo pugnet. Sic, inquit, a minimis etiam peccatis abstinendum, cavendum est. Hoc est quod per Isaiam Dominus ait: *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur,* [53] sive dealbentur; *Lavabis me et super nivem dealbabor;* [54] *Vestimenta ... eius facta sunt alba sicut nix;* [55] Christi autem vestis Ecclesia est. O qualem vitae puritatem requirit a nobis Evangelium Christi! De omni verbo otioso, etc.; [56] *Fornicatio autem et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos;* [57] qualem Spiritus Sancti fervorem! *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* [58] Hic est cursus in stadio, in quo homo habere vellet alas columbae, sicut ille dicebat:

Christianam vitam depingit hodie D. Paulus,

quae consistit in maxima vitae puritate.

44) Cf. Ex 3, 18. 45) Cf. ibid. 20, 1 sqq. 46) Cf. 2 Esr 4, 13-17. In margine haec adiecta fuerunt: « De filiis primogenitis duo praecipit divina lex: ut circumcidantur et ut Deo offerantur. Abraham sacrificaturus Isaac iuxta divinum praeceptum, altera manu gladium, altera ignem portabat; gladium ad occidendum, ignem ad comburendum holocaustum. Mortificatio carnis ignis divini amoris ». 47) Cf. Ex 24, 12-13. 48) Cf. ibid. 17, 8-13. 49) Cf. Mt 2, 19-20. 50) 1 Cor 9, 24. 51) Ps 118, 32. 52) 1 Cor 9, 25. Vulg.: *Omnis autem*, etc. 53) 1, 18. Vulg.: *Ut coccinum*, etc. 54) Ps 50, 9. 55) Mt 17, 2. 56) Cf. ibid. 12, 36. 57) Eph 5, 3. 58) Dt 6, 5; Mt 22, 37; Lc 10, 27.

*Quis dabit mihi pennas sicut columbae et volabo et requiescam ?* [59] imo aquilae: Volabunt *sicut aquilae... et non deficient* [60] ob ardentissimum desiderium bravii, honoris, gloriae, laudis, etc.

Hoc autem significatur in hodierna parabola,

Sed, ut in metaphora hodierni Evangelii permaneamus, laborandum nobis in vinea est, putandum et fodiendum. Quid est putare? Utique superfluos palmites a vite resecare. Quid fodere? Terram coelestibus influxibus praeparare atque disponere. Hoc est quod Samuel ad universum populum dixit: *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri... et praeparate corda vestra Domino et servite illi soli, et eruet vos de manu Philisthiim.* [61] O beatum praedicatorem! Quam potens et efficax fuit ipsius praedicatio! *Abstulerunt ergo filii Israel Baalim et Astaroth et servierunt Domino soli.* [62] Videtis putationem et fossionem.

et pluribus modis ostenditur in Divina Scriptura.

Hoc ipsum est quod Deus iussit Abrahamo: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstravero tibi,* [63] utique ad serviendum mihi, nam cum venisset in terram promissionis, ibi apparuit ei Dominus et *aedificavit ibi altare Domino.* [64] Hoc est quod alias apparuit ei Dominus et dixit: *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me et esto perfectus.* [65] Tunc duo praecepit ei: ut nomen mutaret et ut seipsum ac filios suos circumcideret. [66] Hoc est quod de filiis Israel legimus quod, ingressi terram promissionis per Iordanem, ante omnia circumcisi fuerunt mandato Iosue et celebraverunt solemnissimum pascha; [67] quod Gedeon destruxit lucum et altare Baal et aedificavit altare Domino. [68] Hoc quod de Noe legimus, quod erat *iustus atque perfectus;* [69] quod de Simeone sancto sene, quod erat *iustus et timoratus;* [70] quod de Iob: *Vir simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo.* [71] Hoc est quod saepe Divinae Litterae requirunt a nobis, amorem et odium, sicut Deus naturae auctor in corde nostro plantavit duas vires: concupiscibilem et irascibilem. Hinc Regius Vates: *Qui diligitis Dominum odite malum;* [72] hinc Amos aiebat: *Odite malum et diligite bonum.* [73]

59) Ps 54, 7. 60) Is 40, 31. 61) 1 Rg 7, 3. Vulg.: *Servite ei soli.* 62) Ibid. vr. 4. 63) Gn 12, 1. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Monstrabo tibi.* 64) Ibid. vr. 7. 65) Ibid. 17, 1. Vulg.: *Ego Deus,* etc. 66) Cf. ibid. vrr. 5. 10-14. 67) Cf. Ios 5, 3-11. 68) Cf. Idc 6, 25-27. 69) Gn 6, 9. 70) Lc 2, 25. 71) Iob 1, 1. 8. 72) Ps 96, 10. 73) 5, 15.

V. Haec igitur cultura est huius vineae. Sed, bone Deus, quam inculta nunc manet haec vinea! Videtur adimpletum illud Isaiae: *Ponam* vineam meam *desertam, non putabitur et non fodietur.* [74] Ubi putatio, ubi circumcisio, ubi resecatio vitiorum? *Mundus totus in maligno positus est,* [75] vitia omnia ad summum excreverunt, bonorum operum summa penuria est, cum sciamus quod bona opera necessaria sunt ad salutem: *Voca operarios et redde illis mercedem* [76] suam; *Unusquisque... propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* [77] Si non laboraverimus, quam mercedem accipiemus? *Qui operabit terram suam,* inquit Sapiens, *satiabitur panibus; qui autem sectatur otium, stultissimus est.* [78] *Gloria... et honor et pax omni operanti bonum,* inquit Apostolus, *tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum;* [79] *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum,* inquit Christus, *sed qui fecerit voluntatem Patris mei;* [80] « Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum »; [81] *Quae... seminaverit homo, haec et metet... qui seminat,* etc. [82]

**Cultura haec hodie maxime desideratur,**

Fratres, similes nos sumus ioculatoribus, qui a Graecis dicuntur χειρόσοφοι; [83] semper dicunt se iuste et sine fraude aut deceptione ludere, et tamen semper decipiunt oculosque illudunt; sicut haeretici semper loquuntur de fide, de veritate Divinarum Scripturarum, et semper sunt sine fide, semper in erroribus. Nos semper de bonis operibus loquimur et semper in malis operibus vivimus: *Vox quidem vox Iacob est... manus* autem *Esau;* [84] fides bona et vita mala, bene credere et male vivere, male operari!

**desunt enim opera bona et mala abundant,**

Et tamen *exiit conducere operarios in vineam suam,* non in vineam satanae. Paulus ait quod Christus *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum;* [85] et iterum: Curant *bonis operibus praeesse qui credunt Deo; haec sunt bona et utilia hominibus* [86] Sic semper Divina Scriptura praedicat quod bona opera necessaria

**et quamvis credamus bona opera necessaria esse ad salutem,**

74) 5, 6. 75) 1 Io 5, 19. 76) Mt 20, 8. 77) 1 Cor 3, 8. 78) Prv 12, 11. Vulg.: *Qui operatur,* etc. 79) Rom 2, 9-10. Ordine inverso affert hos vrr. 80) Mt 7, 21. Vulg.: *Qui facit voluntatem,* etc. 81) Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum,* n. 40. 82) Gal 6, 8. 83) Ms.: *Chirosophi.* 84) Gn 27, 22. Vulg.: *Sed manus,* etc. 85) Tit 2, 14. 86) Ibid. 3, 8.

sunt ad salutem, sicut cibus ad vitam, sicut alae avi ad volandum, sicut navi vela et remi ad sulcandum mare.

de his nihil curamus.

Credimus nos hanc necessitatem? Si credimus, quaenam nostra dementia est? Credimus frumenta necessaria esse ad victum et non seminamus? et terram non colimus? Miles iturus ad bellum parat arma, quoniam necessaria sunt; formicae et apes provident sibi in aestate ea quae naturali instinctu norunt necessaria sibi fore in hieme; nos autem de necessariis ad salutem nihil curamus. Necessarium igitur est fateri quod vel increduli sumus, vel amentes et stulti, de numero virginum fatuarum.[87]

Otium ergo fugiendum est, quod causa est ruinarum.

Ah, fratres, ne nos tantopere iners otium delectet, quod tinea, teredo et aerugo est bonae mentis! Quaenam causa fuit ruinarum Pentapolis,[88] Davidis,[89] Salomonis?[90] Non videtis quod ignis, si non habeat in quo exerceatur, extinguitur? quod aer non agitatus ventis corrumpitur? quod domus non habitata destruitur? navis diu relicta in portu absque gubernatore, dissolvitur et in mari submergitur? Ferrum et metalla aerugine consumuntur nisi in usu sint; sic animus humanus in otio, imo etiam caro ipsa; impletur corpus malis humoribus, fit totum cacochymum, bona complexio distemperatur. Otium nidus est et habitatio daemonum: *Revertar*, ait, *in domum meam... et veniens invenit eam vacantem*, etc.[91] *Ne in vanum gratiam Dei recipiatis;*[92] *Gratia* Dei *in me vacua non fuit;*[93] *Cum... dormirent homines, venit inimicus... et superseminavit zizania*[94] malarum cogitationum, etc.

87) Cf. Mt 25, 1-12. 88) Cf. Gn 19, 1-25. 89) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 90) Cf. 3 Rg 11, 1 sqq. 91) Mt 12, 44. 92) 2 Cor 6, 1. Vulg.: *Ne in vacuum*, etc. 93) 1 Cor 15, 10. 94) Mt 13, 25.

## DOMINICA SEXAGESIMAE

*Exiit qui seminat seminare semen suum; et dum seminat, aliud cecidit secus viam et conculcatum est,* etc. [1]

Christus sub hac parabola abscondit sapientiam suam.

I. Non sine causa sacratissimam hodierni Evangelii parabolam Dominus *mysteria regni coelorum* appellavit, dicens Apostolis, quibus eam interpretatus fuit: *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei ;* [2] nam veluti thesaurus quidam est sapientiae Dei, *simile* nanque *est regnum ... thesauro abscondito in agro.* [3] Iussit Deus Moysi ut Legis tabulas intra arcam Dei tanquam pretiosissimum thesaurum reponeret in sancto sanctorum, [4] quod erat secretum cubiculum Dei, sicut dives et prudens mercator lucratus magnam pecuniae copiam, magnum auri et argenti thesaurum, magna cum diligentia reponit in ferreo scrinio intra suum cubiculum, tutissimo domus suae loco. Sic Dominus sapientiam suam tanquam pretiosissimum thesaurum sub parabolis abscondebat, sicut Moyses velata facie populo loquebatur, ne nimio vultus sui splendore laederet aspicientes. [5] In duabus tabulis dedit Deus legem Moysi, [6] quoniam duplex est theologia: mystica et symbolica; illa de Deo absente loquitur sub parabolis et metaphoris, sub aenigmatibus figurisque valde obscuris, ista loquitur docetque divina claris et apertis verbis; illa est facies Moysi velata, haec autem revelata omnibusque conspicua; illa in sanctuario virga Aaron onusta amygdalis, [7] haec autem vas plenum manna. [8] Cibus hominis sunt amygdala et manna; sed illa cibus sunt sub duro cortice, difficile rumpuntur amygdala, fortibus opus est dentibus

1) Pericope huius diei Lc 8, 4-15. Cf. Missale Rom. 2) Ibid. vr. 10. Vulg.: *Mysterium,* etc. 3) Mt 13, 44. 4) Cf. Ex 25, 16. 5) Cf. ibid. 34, 33 sqq.; 2 Cor 3, 13. 6) Cf. Ex 31, 18; 32, 15-16; 34, 28; Dt 9, 10-11; 10, 3-4. 7) Cf. Nm 17, 6-10. 8) Cf. Ex 16, 33-43,

ad ea frangenda; manna autem cibus facilis et suavissimus, sicut favus mellis, sicut lac coagulatum melle mixtum.

Duae sunt hodierni Evangelii: in prima proponitur parabola, in altera explicatur.

Duae sunt hodie Evangelii partes: in prima proponitur parabola difficilis, quam nec Apostoli capere aut quoquo modo intelligere potuerunt; in altera vero declaratur et dilucida redditur: quod seminator est divinus praedicator, semen verbum Dei, ager hominum multitudo, terra inculta homo circa divina negligens, incuriosus, terra petricosa homo instabilis, terra senticosa homo divitiis et saecularibus negotiis ac voluptatibus deditus, terra bona cor bonum et optimum; quod volucres coeli sunt daemones, sol oriens nimio calore natam herbam exiccans tentatio, spinae divitiae et voluptates, fructus copiosus et abundans merita salutis aeternae.[9]

Hac parabola declarat Christus virtutem divini verbi.

II. Proposita fuit a Christo mysteriosissima haec parabola ad declarandam divinam plane virtutem verbi Dei: *Semen*, inquit, *est verbum Dei.*[10] Non agit de Verbo increato, de quo Ioannes: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum,*[11] sed de praedicatione Evangelii, legis divinae, fidei christianae, sacrae doctrinae: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud;*[12] *Non... auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores.*[13] *Verbum Dei* dicit, non solum quia a Deo est et de Deo tractat, sicut enim radius solis ab ipso emanat et ipsum etiam mortalibus manifestat, sic utique sacra theologia a Deo revelata Deum hominibus manifestat, sed etiam *verbumDe i* dicitur propter divinam, qua praeditum est, virtutem et excellentiam, sicut dicitur *mons Dei,*[14] *cedri Dei,*[15] *paradisus Dei,*[16] *civitas Dei;*[17] divinum nanque appellat Sacra Scriptura quod admirationem affert.

Dicitur *verbum Dei*, quia Dei quaedam similitudo est potentia, sapientia et bonitate,

Dei verbum divinum verbum propter divinam similitudinem, tanquam divinum numen, Dei quaedam imago et similitudo est. Tribuitur Deo infinita potentia, sapientia et bonitas; similiter et verbo Dei infinita quaedam virtus et efficacia ad commovenda corda, sapientia ad illuminandas mentes, bonitas ad replendos ani-

9) Cf. Lc 8, 11-15. 10) Ibid. vr. 11. 11) 1, 1. 12) Lc 11, 28. 13) Rom 2, 13. 14) Cf. Ex 3, 1; 24, 13; 3 Rg 19, 8; Ps 35, 7; 67, 16. 15) Cf. Ps 79, 11. 16) Cf. Gn 13, 10; Ez 28, 13; 31, 8-9; Apc 2, 7. 17) Cf. 2 Rg 10, 12; Tob 13, 10; Ps 45, 5; 47, 2-3. 9; 86, 3; Is 60, 14; Ier 31, 38.

mos divina iucunditate, affert homini infinitum aeternae gloriae thesaurum in coelo.

Deus infinitus quidam thesaurus est virtutum et perfectionum, sicut coelum thesaurus est aurearum stellarum, aeternorum luminum et splendorum, mirabilium virtutum et influxuum coelestium. Hinc multis ac pene innumeris nominibus in Sacris Litteris tum propriis tum metaphoricis appellatur; multis etiam hieroglyphicis sacrisque symbolis et figuris designatur. Praecipua tamen sunt decem Dei nomina apud Hebraeos: · יְהֹוָה · יָהּ · אֶהְיֶה

[18] יְהֹוָה צְבָאוֹת · עֶלְיוֹן · שַׁדַּי · אֲדֹנָי · אֱלֹהִים · אֱלֹהַּ · אֵל

et a theologis Hebraeorum universa theologia de Deo decem nominibus est comprehensa: · פַּחַד · חֶסֶד · בִּינָה · חָכְמָה · כֶּתֶר

מַלְכוּת · יְסוֹד · הוֹד · נֶצַח · תִּפְאֶרֶת. Similiter verbum Dei thesaurus quidam est multarum virtutum, hinc dictum est *semen*, virtute multa grana continens, et alibi a Domino dictum est *granum sinapis*, quod licet minimum sit, crescit tamen in arborem.[19] Si videatur magna arbor, multis ramis distincta, multis virentibus foliis, pulcherrimis floribus, optimis et suavissimis fructibus ornata simul et onusta, haec omnia virtute in parvo semine continebantur.

et fecunditate virtutum,

Hinc verbum Dei innumeris pene appellatur nominibus in Sacra Pagina, multis designatur hieroglyphicis, sed a Regio Vate decem praecipue nominibus significatur, ait enim: *Lex Domini immaculata, convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda; praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi; iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa; desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum.*[20] Verbum Dei appellat legem, idest doctrinam Domini; *testimonium Domini fidele*, verum, sapientia plenum; iustitiam Domini, decreta Domini recta, laetitiam cordis; praeceptum

sicut significatur a Regio Vate

18) Ms.: *Ehieh, Iah, Iehovah, El, Eloah, Elohim, Adonai, Sadai, Elion, Iehovah Zabaoth*, et infra: *Cheter, chachmah, binah, chesed, pachad, tiphereth, nezach, hod, iesod, malchuth.* Alludit S. Auctor ad cabalam Hebraeorum, iuxta quam his decem numerationibus, quae *Sephiroth* vocantur, tota eorum theologia innititur. Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Tertium*, pag. 131-132, not. 25. 19) Cf. Mt 13, 31; Lc 13, 19. 20) Ps 18 (hebr. 19), 8-11.

Domini purum, lucem oculorum; timorem Domini mundum atque perpetuum; iudicium Domini verum et iustum; thesaurum desiderabilem, quovis alio thesauro pretiosiorem, et favum mellis, quovis melle et manna dulciorem ac suaviorem. Hoc psalterium est decachordum, sicut lex decem continet praecepta.

dum verbum Dei appellat doctrinam Domini, quia a divino intellectu oritur,

Primo, dicitur *doctrina Domini*, a divino intellectu, a divina sapientia ortum habens, a magistro Angelorum spirituumque coelestium trahens originem, a spirituali et intellectuali sole omnes mentes humanas et angelicas illustrante emanans. Hinc laetari quisque potest tanto magistro, hinc doctrina est summae auctoritatis, super omnes sapientes mundi, super omnes philosophos et theologos, qui Deo comparati nihil sunt, minimae scintillulae ad lumen solis, guttulae aquarum ad oceanum, granula arenarum ad montes maximos, minima terrae glebula coelo comparata.

quia persuadet, quietat animam,

Appellat autem doctrinam hanc convertentem, trahentem ad se animam, quietantem animam. Est enim doctrina haec similis mathematicis demonstrationibus, quae mox ut illas capit intellectus, quietant eum; non enim sunt sicut philosophicae incertae, ex praemissis incertis, dubiis pendentes; sed sensui sunt perspicuae, et licet prima fronte impossibile videatur quod dicitur, facta tamen demonstratione et intellecta, statim animus quietatur. Sic ait: *Quietans animam:* מְשִׁיבַת נָפֶשׁ.[21]

quia innititur auctoritati Dei,

Secundo vero loco, *testimonium Domini* est *fidele*, verax, *sapientiam praestans parvulis*, simplicibus, humilibus. Si in his quae sensibus minime patent nec rationibus demonstrari possunt, fides praestatur homini, qui novit quae dicit, sic enim historicis credimus quod Roma condita fuit a Romulo,[22] Alexandria ab Alexandro,[23] gravium historicorum auctoritate moti, magni hominis magni momenti auctoritas et testimonium est, maxime si ea dicat quae oculis vidit, quae certo novit. Licet autem in Sacra Scriptura doceantur quae nec sensibus nec rationibus probari possunt, sicut nec historiarum veritas, Deus tamen est qui dicit

21) Ms.: *Mescibat naphesc.* 22) Sallustius *Porcius Latro contra Catilinam*, f. 116ᵃ; Dionysius Halicarnassus *Antiquitatum Rom.*, lib. 1, n. 9-11, pag. 87-117; Plutarchus *Illustrium Vitae*, f. 6-7. 23) Cf. Q. Curtius Rufus *Historiae*, lib. 4, n. 8, pag. 78-79; Plinius *Hist. Nat.*, lib. 5, cp. 10, pag. 44; Plutarchus *Illustrium Vitae*, f. 236ᵇ.

et testatur sic rem se habere. Caecus necesse est ut videnti credat quae dicuntur de mundo, de sole, de luna, de stellis, de coelo, de pulcritudine mundi huius, licet ipse egens natus nunquam viderit nec videre possit. *Testimonium Domini fidele*, absque ulla deceptione, absque ullo errore, plenum sapientia; hinc lex a Moyse appellata est *sapientia et intelligentia* fidelium: *Haec est... vestra sapientia et intellectus coram populis.*[24]

Tertio, unaquaeque scientia, disciplina et ars habet sua decreta, sua statuta et principia a quibus dependet tota ars et disciplina, in quibus si quis erraverit, parvus error in principio erit maximus in fine. In mathematicis ante omnia praesupponuntur definitiones, postulata, communes sententiae, deinde problemata, theoremata, propositiones, denominationes, demonstrationes. Prima autem decreta ac veluti principia divinae huius philosophiae *recta*, inquit, sunt, absque ullo errore; loquitur de principiis moralis philosophiae, quae ex naturali lege dependent, qualia sunt decalogi praecepta.

**quia certissima et iustissima sunt quae docet,**

Hinc ait, quarto loco, quod est cordis laetitia, quod verbum Dei magnam affert cordis laetitiam: *Laetificantes corda,* sicut ait: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti laetitiam cordi meo.*[25] Virtus laetitiam magnam affert animo, vitium, e contra, magnam tristitiam.

**quia magnam affert cordis laetitiam,**

Quinto loco, *praeceptum Domini* ait esse. Moralis philosophia virtutibus perficit voluntatem, nam in voluntate Deus posuit veluti principia et semina virtutum omnium, amorem boni, odium mali, quod agendum est bonum, fugiendum malum; sed naturalis ac supernaturalis philosophia respicit intellectum varia cognitione rerum divinarum et humanarum. Posuit autem Deus in intellectu veluti semina scientiarum. Lex divina etiam intellectum perficit, *praeceptum Domini* purum, *lucidum* sicut sol. Lux obiectum visus; praeceptum Domini *fidem* appellat, qua tenemur in Deum credere, Deum cognoscere.

**quia virtutibus voluntatem**

Hinc, sexto loco, appellatur *lumen oculorum: Illuminans oculos.* Hinc Sapiens ait: *Lex lux et mandatum lucerna;*[26] et ipse Vates Sanctissimus: *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen*

**et intellectum cognitione rerum divinarum, perficit**

24) Dt 4, 6. 25) Ps 4, 6-7. Vulg.: *In corde meo.* 26) Prv 6, 23. Vulg.: *Mandatum lucerna est et lex lux.*

*semitis meis.* [27] Hinc etiam *lex ignea* a Moyse dicta fuit, [28] et Salomon dixit: *Sermo Domini clypeus ignitus;* [29] Ieremias: *Nonne verba mea... sicut ignis* conflans *et sicut malleus conterens petras?* [30] David: *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.* [31] Hinc duo illi discipuli Christi: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas?* [32]

quia docet verum Dei cultum et vitae sanctitatem.

Septimo loco, timorem Domini *sanctum* appellat, quia nihil aliud docet nisi divinam religionem, verum Dei cultum, vitae sanctitatem. Timor autem Domini pugnat contra vitia et peccata, gladius est igneus et versatilis in manu cherub *ad custodiendam viam ligni vitae,* [33] ne ad illud peccator Adam accederet, ne iterum in paradisum ingrederetur. Unde Paulus verbum Dei *gladium spiritus* appellavit, quo contra satanam pugnemus, [34] et alibi dixit quod *vivus est... sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.* [35] Hinc de ore Christi egreditur *gladius ex utraque parte acutus;* [36] hoc gladio Christus contra satanam pugnavit et vicit, [37] nam scutum est etiam verbum Dei: *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere;* [38] et Petrus: *Cui resistite fortes in fide.* [39] *Manet* autem, inquit, hic timor Domini *in saeculum saeculi,* quia cognitio haec, quam de Deo tradit Divina Scriptura, non destruetur, sed perficietur in coelo. Sic enim ait quod *veritas Domini manet in aeternum.* [40]

quia omnia docet sine periculo erroris aut falsitatis.

Octavo loco, *iudicia Domini* appellat *vera* et *iusta,* imo veritas et iustitia simul. Nulla hic suspicio falsitatis aut erroris; sunt ipsa veritas quoad intellectum, ipsa iustitia et sanctitas quoad voluntatem, quoniam sunt iudicia et sententiae sapientiae Dei: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* [41] In humanis scientiis multi reperiuntur errores, veritas multis est permixta falsitatibus, sicut adulterinae gemmae cum veris permiscentur et adulterinae monetae cum bona pecunia; sic utique multi errores, multae falsitates in scientiis et doctrinis humanis personam larvamque induunt veritatis; sacra autem doctrina ipsissima veritas est. Scientia humana est sicut

27) Ps 118, 105. 28) Cf. Dt 33, 2. 29) Prv 30, 5. Vulg.: *Sermo Dei ignitus, clypeus, etc.* 30) 23, 29. Vulg.: *Nunquid non verba mea... quasi ignis... et quasi malleus conterens petram?* 31) Ps 118, 140. 32) Lc 24, 32. 33) Gn 3, 24. 34) Eph 6, 17. 35) Hebr 4, 12. 36) Apc 1, 16; 19, 15. 37) Cf. Mt 4, 3-11; Lc 4, 1-13. 38) Eph 6, 16. 39) 1 Petr 5, 9. 40) Ps 116, 2. 41) Io 8, 46.

luna maculis respersa, divina autem scientia sicut sol, qui ipsamet lux est.

Nono loco, *thesaurus* dicitur *desiderabilis*, inaestimabilis: *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum*, sicut alibi: *Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion.* [42] Hinc Salomon sapientiam dicit cunctis opibus pretiosiorem, ita ut in comparatione illius omne aurum arena sit exigua et argentum tanquam lutum; [43] Iob etiam eam praeferendam dicit cunctis rebus pretiosissimis tanquam infinitum thesaurum. [44]

Ideo est infinitus thesaurus

Tandem decimo loco, *favum mellis* appellat: *Dulciora super mel et favum;* et alibi: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* [45] Ipsa designatur per suavissimum manna, Angelorum escam, de coelo datum hominibus. [46] De coelo lex data a Deo fuit; hinc liber de coelo datus Ezechieli ad comedendum [47] itemque ille datus Ioanni sicut mel dulcis gustui fuit. [48] Hanc ob causam Salomon sapientiam *lignum vitae* appellavit et *fontem vitae: Lex sapientis fons vitae.* [49] Et alibi eam una cum patre thesaurum inaestimabilem appellans et cibum suavissimum, ait: *Beatus homo qui invenit sapientiam et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione auri et argenti primi et purissimi*, sive et auro purissimo, *fructus eius pretiosior est cunctis opibus et omnia quae* desiderari possunt *huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiae et gloria. Viae eius viae pulcrae et omnes semitae illius pacificae; lignum vitae est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus.* [50] O thesaurum inaestimabilem, omnibus mundi thesauris anteferendum! Hoc enim docuit Christus in parabola de thesauro abscondito et de pretiosa margarita. [51]

de coelo datus hominibus.

III. Et tamen multi contemnunt verbum Dei ac nihili faciunt maior hominum pars. Hoc enim est quod ait: *Aliud cecidit secus viam,* [52] super terram incultam, quae iactum semen non amplectitur,

Et tamen semen hoc divinum fructus non producit.

42) Ps 118, 127. 43) Cf. Sap 7, 9. 44) Cf. 28, 12 sqq. 45) Ps 118, 103. 46) Cf. Ex 16, 14 sqq.; Sap 16, 20. 47) Cf. Ez 2, 9. 48) Cf. Apc 10, 9-10. 49) Prv 13, 14. 50) Ibid. 3, 13-18. *Auri et argenti primi et purissimi* legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, mutata etiam interpunctione, emendatum fuit: *Argenti et auri primi, et purissimi fructus eius.* 51) Cf. Mt 13, 44-46. 52) Lc 8, 5.

quia multi vel non audiunt, vel sine attentione audiunt,

non fovet, avibus comedendum relinquit. Multi nanque vel nulla attentione audiunt verbum Dei, vel si cum attentione audiunt, mente retinere nihili curant, unde facillime obliviscuntur, non meditantur illud, non mente ruminant ut opere exequantur et factis impleant, ac si infirmi essent, et desiderio sanitatis affecti ad medicum [non] pergant ut salutaria medicamenta quaerant. Sic nanque ad audiendum verbum Dei accedendum est, sicut legimus quod ad Christum praedicantem multi venerunt *ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis.* [53] Audiendum est verbum Dei ad vitam corrigendam, ad salutem animarum consequendam, quam satanas impedire satagit: *Venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* [54] Audiunt quidem multi verbum Dei, sed minime credunt quae dicuntur: quod ad salutem consequendam necessarium est abstinere a vitiis, poenitentiam agere, vitam corrigere, virtutibus operam dare, mortificare carnem cum vitiis et concupiscentiis suis, [55] Christum imitari. Si enim haec vere crederent, procul dubio salutarem doctrinam operibus implerent, sicut infirmi sanitatem pristinam recuperare cupientes exequuntur praecepta medicorum, licet gustui molesta sint, ne invalescat infirmitas et gravior fiat, ne mortis periculo se exponant, nam praedicatores medici sunt animarum.

vel praeferunt bona mundi saluti animae.

*Terram incultam* dixit Dominus hominem qui audit verbum Dei et non intelligit, non vere credit ita esse ut dicitur; alii vero sunt qui audiunt quidem verbum Dei cum attentione, suscipiunt cum gaudio, incipiunt cum fervore quodam spiritui operam dare, sed in tentatione et *persecutione orta propter verbum... scandalizantur,* [56] nolunt pati persecutionem propter iustitiam; [57] praeferunt mundi honorem saluti animarum. Sic ne tentationum molestiam sustineant a satana vel persecutionem et irrisiones a mundo, qui irridet et probris afficit Deo servire volentes, sicut Aegyptii Hebraeos, [58] abeunt retro, revertuntur ad vomitum. [59] Alii adhuc divitias et voluptates saeculi praeferunt legi Dei et saluti animarum et hanc ob causam *non referunt fructum,* sed *a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus saeculi... suffocantur.* [60] Illi tantum referunt fructum *qui in corde bono et optimo*

53) Ibid. 6, 18. 54) Ibid. 8, 12. 55) Cf. Gal 5, 24. 56) Mc 4, 17. Vulg.: *Orta..., persecutione,* etc. 57) Cf. Mt 5, 10. 58) Cf. Ex 5, 5-18. 59) Cf. Prv 26, 11; 2 Petr 2, 22. 60) Lc 8, 14. Vulg.: *Voluptatibus vitae,* etc. Ordine inverso affert hunc vr.

*audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia,* [61] qui verbum Dei et animarum salutem rebus omnibus praeferunt et anteponunt, agnoscentes divinam verbi Dei virtutem.

Verbum Dei semini comparatur, quia in corde hominis seminatur

IV. Comparat Dominus verbum Dei semini, sicut etiam Isaias: *Sicut enim terra . . . germen suum et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam,* hebraice: *Germinare faciet iustitiam et laudem,* [62] gratiam et gloriam. Comparatur autem semini, quoniam sicut semen nusquam nullibique fructificat nisi proiectum in terram, sic nec verbum Dei nisi in corde, cor nanque terra est in qua seminandum est verbum Dei. Sicut enim terra est in medio mundi et condita ad hoc fuit a Deo, ut germinaret *herbam virentem et facientem semen lignumque pomiferum faciens fructum,* [63] sic cor est in medio hominis ad hoc creatum a Deo, ad germinandam iustitiam. Non fructificat frumentum in area, in horreo, in domo, sed in campo. Verbum non fructificat in oculis dum legitur, non in auribus dum auditur, non in ore dum praedicatur, nec in manibus quidem dum bona opera faciunt, nam *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas . . . caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest ;* [64] in corde necesse est ut prius per caritatem fructificet per fidem vivam.

et fructificare debet, dummodo cor sit bene praeparatum ac dispositum.

Sed nec in terra quidem bona fructificat semen, nisi culta sit. Sic Ieremias ait: *Novate vobis novale et nolite serere super spinas;* [65] proscindite, inquit, campum aratro; et sic etiam Oseas: *Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob,* sive aret, confringat, proscindat terram; *seminate vobis in iustitia et metite,* idest metetis, *in ore misericordiae ; innovate vobis novale tempus . . . requirendi Dominum cum venerit, qui docebit vos iustitiam. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii.* [66] Cum, inquit, hucusque male vixeritis secundum carnem, cum exhibueritis *membra vestra servire iniustitiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.* [67]. Arate campum ut evellatis et eradicetis spinas malasque herbas vitiorum et referetis fructum centuplum. Si enim bene seminatum fuerit semen verbi Dei in nobis,

61) Ibid. vr. 15. 62) 61, 11. 63) Gn 1, 11. Vulg.: *Et lignum,* etc. 64) 1 Cor 13, 3. 65) 4, 3. 66) 10, 11-13. 67) Rom 6, 19. Vulg.: *Servire immunditiae et iniquitati,* etc.

fructum afferet incredibilem, ait nanque Isaias: *Dabitur pluvia semini tuo. Ubicunque seminaveris in terra, erit panis frugum terrae uberrimus et pinguis.*[68] Sic ait: *Dabit fructum centuplum;*[69] Matthaeus[70] et Marcus[71] dicunt: *Fructum trigesimum... sexagesimum* et *centesimum*, quod multi ac fere omnes de varia in electis meritorum diversitate interpretantur. Nec immerito, nam: *In domo Patris mei mansiones multae sunt,*[72] et sicut in coelo *stella... differt a stella in claritate,*[73] sic in paradiso.

Deus virtutem praemiat non tantum in coelo, sed aliquando etiam in terra,

V. Sed forte non incongrue per tria haec designantur tria bonorum genera, quae in virtutis praemium Deus largiri solet, non enim aeternis bonis in coelo coronare virtutem assolet benignissimus Deus: Centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis,[74] sed etiam aliquando in hoc mundo magna copia coelestium gratiarum et donorum Spiritus Sancti, sicut in Apostolis aliisque sanctis Christi discipulis cernimus in primitiva Ecclesia, de quibus Christus: *Qui credit in me... flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.*[75] Sed aliquando etiam temporalibus bonis, quae populariter fortunae appellantur, ut in Patriarchis enituit, quos Deus in mundo hoc in praemium fidei et virtutis maxime ditavit.[76] Haec sunt fructus centesimus, sexagesimus et trigesimus: bona fortunae in hoc mundo fructus trigesimus, bona spiritualia in Ecclesia sexagesimus, bona aeterna in paradiso centesimus.

ideo saepe in punitionem iniquitatis etiam bona terrena aufert et mala immittit.

O divinam verbi virtutem! Omnia bona naturae, gratiae et gloriae fructus sunt verbi Dei, nam *iustus fundamentum mundi,*[77] patet in Noe.[78] *Iustus autem ex fide vivit.*[79] Hinc ad punitionem peccatorum Deus saepe mala immittit in mundum: famem, pestem, bellum, magnas calamitates, ut sciamus quod etiam bona mundi huius fructus iustitiae sunt: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam laborem manuum*

68) 30, 23. Vulg.: *Panis frugum terrae erit uberrimus*, etc. 69) Lc 8, 8. Vulg.: *Fecit*, etc. 70) 13, 8. Ordine inverso affert hanc pericopem. 71) 4, 8. Vulg.: *Triginta... sexaginta... centum. Trigesimum... sexagesimum... centesimum* lect. cod. 72) Io 14, 2. 73) 1 Cor 15, 41. Vulg.: *A stella differt*, etc. 74) Cf. Mt 19, 29. Breviarum Rom. Commune Apost. Antiph. ad *Benedictus.* 75) Io 7, 38-39. 76) Cf. Gn 13, 2; 22, 12-16; 30, 43; 36, 7. 77) Prv 10, 21. Ex hebraico. 78) Cf. Gn 6, 1 sqq. 79) Hab 2, 4; Rom 1, 17.

*suarum comedet.* [80] Videtur semen Dei in illam excrescere arborem quam in somnis vidit Nabuchodonosor, quae totum occupabat mundum et suis fructibus animalia cuncta pascebat: [81] *Facit fructum trigesimum . . . sexagesimum . . . centesimum,* etc. [82]

## II. ALIA HOMILIA

*Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum* Dei *retinent,* etc. [1]

I. Hodierni Evangelii doctrina, fratres, iucunda simul est et formidabilis: iucunda ob divinam misericordiam qua omnes salvare cupit, hinc seminat non solum in terram bonam, sed etiam inter spinas, supra petras, secus viam, [2] hoc est, ut Paulus ait: Deus *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire;* [3] formidabilis vero, quoniam vix quarta fidelium pars salvatur, quoniam nonnisi quarta seminis pars fructificat, tres partes pereunt. Iucunda, quoniam proponitur arca salutis et illa quidem magna; sed formidabilis, quoniam paucissimi salvati fuerunt in arca ex universa hominum multitudine, una tantum familia iusti et sancti Noe; [4] formidabilis, quia videtur dicere hodie Dominus se propterea locutum in parabolis et abscondere a multis mysteria aeternae salutis, ne salvarentur: *Ut videntes non videant et audientes non* audiant neque *intelligant,* [5] alludens ad illud Isaiae: *Incrassa cor populi huius . . . ne . . . videant oculis suis et auribus suis audiant, et*

Parabola haec doctrinam continet iucundam simul et formidabilem.

80) Is 3, 10. Vulg.: *Quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* 81) Cf. Dn 4, 7-9. 82) In calce haec adiecta fuerunt: « *Semen est verbum Dei,* arca salutis: *Credentes salvi fiant.* Erat autem arca illa in tres distincta partes veluti solaria, sicut in tres partes tabernaculum et templum Domini. Semen facit triplicem fructum: trigesimum, sexagesimum, centesimum. Operatur tres actus hierarchicos: purgat, illuminat, perficit, nam in summa tria haec de lege Domini dicit David: purgat: *Timor Domini sanctus;* illuminat: *praeceptum... lucidum, sapientiam praestans;* perficit: lex Domini perfecta laetificat cor, ditat animam, pascit suavissime spiritum. Hodie in Paulo universa. Quis talem tantumque fecit Paulum, qualis in hodierna Epistola cernitur? Verbum Dei. Tam constantem in mille martyriis perferendis? tam divitem coelestibus divitiis quibus in paradiso ditatus fuit? tam beatum in terra, qui in tribulationibus gloriabatur, laetabatur? etc. ».

1) Lc 8, 15. Vulg.: *In bonam terram,* etc. 2) Cf. ibid. vrr. 5-8. 3) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc. 4) Cf. Gn 7, 1 sqq.; 1 Petr 3, 20. 5) Lc 8, 10.

*corde... intelligant et convertantur et sanem eos.* [6] Sed illud vaticinium fuit, nam iubetur Propheta impinguare eorum cor, obturare ac surdas facere aures, oculos claudere et excaecare. Quomodo enim praestare id poterat Vates? Sed iubetur illis praedicere quod excaecandi ac obdurandi erant, quod fidem erant amissuri in diebus Messiae, nam etiam ex hebraico interpretari possunt verba haec in praeterito: Impinguatum est cor populi huius, sive impinguavit cor, populus iste et aures suas ingravavit oculosque suos clausit. Sic enim in praeterito leguntur verba haec apud Matthaeum [7] et citatur a Paulo. [8] Quare missus fuit Vates ad corripienda eorum vitia, quod facti erant sicut aspis surda, quae obturat aures suas ne audiat vocem incantantis sapienter. [9]

**Deus non est nec esse potest causa malorum,**

Non enim Deus eos dicitur excaecasse sicut quis aliquem excaecat oculos eius eruens, aliquem occidere quia vere districto gladio eum tanquam inimicum occidit. Deus enim malorum causa non est nec esse potest, nam: *Non potest arbor bona fructus malos facere,* [10] nisi forte permissione aut occasione, sicut divitiae dicuntur esse causa, idest occasio multorum malorum; nam si Deus divitias minime dedisset, multa profecto non fierent peccata, [11] quae modo a divitibus fiunt; et sicut dominus servum mittit ad aliquid agendum, ille vero egressus domo ad iussa agenda ab inimicis occiditur, qui minime occisus fuisset nisi a domino missus fuisset. Sic David causa dicitur ob quam a Saule occisus fuit Achimelech sacerdos, [12] non tamen sicut causa fuit ut occideretur Urias, [13] hic nanque vere causa fuit, ibi autem occasio, quia ab eo panes et arma petiit et accepit, quod si non egisset, ille minime occisus fuisset.

**sed excaecare et indurare aliquos dicitur, quia permittit eos excaecari et indurari,**

Excaecare et indurare dicitur Deus multos, sicut sol, unico nanque radio nivem solvit, lutum autem indurat; oritur ad illuminandos mortalium oculos: si quem laedit et oculorum lumine privat, non imputatur soli, sed ei qui luce et radio male usus fuit; idem sol male radicatas herbas et humoris copia destitutas arefacit, exiccat, qui bene radicatas plantas, humido loco plantatas fovet, roborat, perficit,

6) 6, 10. Vulg.: *Excaeca cor... videat... audiat... intelligat et convertatur et sanem eum.*
7) Cf. 13, 15. 8) Cf. Act 28, 27. 9) Cf. Ps 57, 5-6. 10) Mt 7, 18. Vulg.: *Malos fructus facere.* 11) Ms.: *Multa profecto fiunt peccata.* 12) Cf. 1 Rg 22, 9-18.
13) Cf. 2 Rg 11, 14-17.

perducit ad iustam magnitudinis fructusque perfectionem; eadem lux sanis oculis iucunda est, infirmis autem molesta; iucunda solaris lux oculis aquilarum, molestissima oculis noctuarum. Permittit quidem Deus multos excaecari, obdurari in malis,[14] aeterna morte perire, sed absque [ipsius] culpa.

Si in Aegypto in maxima illa fame multi periere ob annonae penuriam,[15] sua culpa perierunt, nam Ioseph aperuit thesauros infinitos frumentorum regis; si abiissent ad accipienda frumenta, non periissent, neque enim tenebatur Ioseph in singulorum domus frumenta mittere ne perirent; quod si fecisset, non periissent quidem, sed tamen non in causa dicitur ut perierint. Sic Deus posset quidem impedire ne omnino quisquam hominum peccaret et damnaretur, ne fame hac magna pereat; sed quia non agit sic, dicitur excaecare, sicut dicitur dereliquisse Christum in manibus crudelium inimicorum, quia cum liberare illum potuisset, noluit liberare, quare putaret mundus eum vere derelictum a Deo, imo maledictum a Deo: *Factus pro nobis maledictum;*[16] *Nos,* inquit Isaias, *putavimus eum tanquam leprosum... percussum a Deo et humiliatum,*[17] idest maximum peccatorem, scelestissimum hominem.

cum posset impedire peccatum et damnationem.

Sacra nanque Scriptura saepe ita res esse enunciat ut videntur et apparent hominibus, sicut ait serpentem decepisse hominem in paradiso,[18] tres viros apparuisse Abrahamo,[19] Deum iratum ac poenitentia ductum immisisse in mundum aquas diluvii;[20] sic inquam dicitur indurare homines, in reprobum sensum dare,[21] quia cum impedire possit et non impediat, sed permittat, iudicaret vulgus hominum Deum sic velle, cum tamen Deus vere sit piissimus et salutis omnium hominum cupidissimus. Hinc nanque super omnem terram seminat, etiam secus viam, super petras et inter spinas, quia *vult omnes homines salvos fieri,* neminem tamen vult cogere; trahere quidem ad se vult, sed *in vinculis Adam... in funiculis caritatis,*[22] trahere, sed spontaneos, non coactos; seminat super omnes partes terrae.

Est itaque hic modus loquendi S. Scripturae.

Deus enim vult omnes salvos fieri, sed libere, non coacte.

14) Ms.: *Multo ... obdurari in mali.* 15) Cf. Gn 51, 53-56. 16) Gal 3, 13. 17) 53, 4. Vulg.: *Quasi leprosum,* etc. 18) Cf. Gn 3, 1-6. 19) Cf. ibid. 18, 2. 20) Cf. ibid. 6, 3-7; 7, 1 sqq. 21) Cf. Rom 1, 28. 22) Os 11, 4. Vulg.: *In funiculis Adam ... in vinculis caritatis.*

Etiam satanas seminat semen suum, et multi sunt qui hoc semen recipientes pereunt.

II. Seminat etiam satanas semen suum, qui superseminat zizania.[23] Sed, o deplorandam hominum sortem, vere lacrimis sanguineis dignam! maior pars hominum, quid dico hominum mundi huius? dico fidelium in campo Ecclesiae, semen satanae amplectuntur secundum carnem viventes, mortua tantum fide contenti. Et utinam, fratres, quarta pars fidelium, qui in Ecclesia reperiuntur, terra haec bona essent, *qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia,*[24] in expectatione regni coelestis! Utinam quarta pars fidelium sanctam vitam ducerent, spiritu viventes tanquam filii Dei, nam ait: *Si . . . secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, nam qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei!*[25] Si tres [partes] fidelium, qui nomine christiano appellantur, secundum carnem vivunt, ergo morientur, ergo peribunt, nam nonnisi qui spiritu mortificant[25*] carnem, vitam aeternam consequentur. Utinam, fratres, quarta pars omnium nostrum sit terra haec bona! Utinam vel quarta pars nostrum serviremus Domino *in sanctitate et iustitia . . . omnibus diebus nostris!*[26]

Ad salutem consequendam non sufficit voluntas inefficax.

Vultis scire, fratres mei, quinam fidelium salutem aeternam sint consecuturi? *Qui in corde,* inquit, *bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia.* Illi, inquit, qui habent bonum cor, qui mundo sunt corde, qui bonam habent voluntatem: *In lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte.*[27] Nemo tamen est qui non existimet se bonum cor, bonam voluntatem habere. Sed a fructibus cognoscitur arbor, nam ait: *Arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.*[28] Vitis nonnisi uvas producit, ficulnea nonnisi ficus; sic bona voluntas nonnisi bona opera producit; mala autem opera nonnisi a mala voluntate ortum habent. Sic ait: *Qui in corde bono . . . fructum afferunt centuplum,*[29] bonis operibus abundant, divites sunt operibus bonis: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert malum.*[30] Fons dulcium aquarum nunquid malas dabit aquas?

23) Cf. Mt 13, 25. 24) Lc 8, 15. 25) Rom 8, 13-14. Vulg.: *Quicunque enim spiritu Dei, etc.* 25*) Ms.: *Mortificantes.* 26) Lc 1, 75. 27) Ps 1, 2. 28) Mt 7, 17-18. Vulg.: *Malos fructus . . . bonos fructus facere.* 29) Lc 8, 8. 30) Ibid. 6, 45.

Si igitur, fratres, bonum habemus cor, ubi sunt bona opera? Unde tot vitia? tot peccata? tot iniquitates? Ne, quaeso, decipiamus nosmetipsos, nam *Deus non irridetur; quae enim seminaverit homo, haec et metet.* [31] Fratres mei, certissimum est quod *qui seminat in carne... de carne... metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.* [32] Si pauci sunt qui seminant in spiritu, pauci sunt qui vitam aeternam metent; si multi sunt qui seminant in carne, multi sunt qui metent corruptionem, damnationem aeternam. Agit nobiscum Deus sicut in nobis agit natura, naturalis vitalisque calor in stomacho: comedis cibum, licet delicatissimum, optimum, maior tamen pars *in ventrem vadit et in secessum emittitur,* [33] magna item pars in lotium, bona pars in fleumam aliaque huiuscemodi excrementa ac purgamenta quae per nares emittimus; pars item in bilem atram vel flavam, in malos humores, in cacochymiam, unde infirmitates et morbi generantur; vix minima pars in nutrimentale humidum, in sanguinem bonum, in carnem, in pinguedinem, in bonos spiritus convertitur. Sic inquam, fratres, in nobis accidet; nanque, si natura expellit malum omne a corpore, hinc nanque praedita est non tantum vi appetitrice, retentrice et digestrice, sed etiam expultrice, quid Deus aget qui omnis malitiae inimicissimus est?

**sed requiruntur bona opera.**

III. Quantum ex hodierno Evangelio licet colligere, ad afferendum fructum salutis aeternae: *Credentes salvi fiant,* [34] *Vobis datum est nosse mysterium regni* [35] coelorum, haec necessaria sunt. Primo quidem, audire verbum Dei, nam: *Qui ex Deo est, verba Dei audit;* [36] *Fides ex auditu;* [37] *Beati qui audiunt verbum Dei;* [38] nec tantum auribus audire, sed attendere, mente percipere, credere et mente retinere; *Audientes verbum retinent;* non habere cor stupidum, durum, incredulum, obliviosum: *Venit diabolus et tollit verbum de corde eorum ne credentes salvi fiant,* [39] sed audito Dei verbo, statim incipere executioni mandare, similes illis *qui venerant ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis;* [40] audire verbum Dei sicut infirmus audit medicum.

**Ad salutem necesse est audire et mente retinere verbum Dei.**

31) Gal 6, 7-8. 32) Ibid. vr. 8. 33) Mt 15, 17. 34) Lc 8, 12.
35) Ibid. vr. 10. 36) Io 8, 47. 37) Rom 10, 17. 38) Lc 11, 28.
39) Ibid. 8, 12. 40) Ibid. 6, 18.

cavere a tentationibus.

Secundo, cavere sibi a tentationibus: *Qui ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt;* [41] non qui inceperit, sed *qui... perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* [42] *Nemo mittens manum... ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei;* [43] hinc ait: *Mementote uxoris Loth;* [44] *In caritate radicati et fundati;* [45] *Optimum est... gratia stabilire cor.* [46]

abstinere a superflua cura temporalium rerum.

Tertio, abstinere a superflua cura temporalium rerum: *A sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus saeculi euntes suffocantur et fructum non afferunt,* [47] quia *nemo potest duobus dominis servire... Non potestis Deo servire et mammonae,* [48] alioquin licet frumentum seminatum nascatur et crescat, non pervenit ad spicam plenam atque perfectam.

Hoc significat esse terram bonam et vere cor bonum habere.

Et ut omnia uno dicam verbo, hoc satagendum, ut simus bona terra: *Aliud cecidit in terram bonam et ortum fecit fructum centuplum;* [49] *Qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia,* in expectatione et longanimitate, in perseverantia. Si bonum habuerimus cor, bonam mentem et voluntatem, ardens desiderium salutis nostrae, feliciter succedent omnia: *In lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur,* etc.; *In corde meo abscondi eloquia tua;* [50] *Quomodo dilexi legem tuam, Domine! tota die meditatio mea est;* [51] *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum;* [52] *Dilexi mandata tua super aurum et topazion.* [53]

## III. ALIA HOMILIA

Hanc parabolam Christus declaravit.

I. Sicut Deus mundum creavit in tenebris, sed ipsemet postea illuminavit, [1] sic obscuram hanc parabolam Christus dilucide declaravit, quae alioquin sicut liber ille fuisset septem sigillis indissolubilibus signatus, quem solus Agnus potuit aperire. [2]

Continetur [3] autem in hac parabola sacramentum salutis huma-

41) Ibid. 8, 13. 42) Mt 10, 22. 43) Lc 9, 62. 44) Ibid. 17, 32. Vulg.: *Memores estote.* 45) Eph 3, 17. 46) Hebr 13, 9. 47) Lc 8, 14. Vulg.: *Voluptatibus vitae... non referunt fructum.* 48) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 49) Lc 8, 8. 50) Ps 118, 11. 51) Ibid. vr. 97. 52) Ps 18, 11. 53) Ps 118, 127.

1) Cf. Gn 1, 1-17. 2) Cf. Apc 5, 1-5. 3) In margine haec adiecta fuerunt: « Fuisset haec parabola sicut problema Samsonis, sicut somnium Pharaonis, sicut scriptura Balthas-

nae, hinc Christus *mysterium regni Dei* eam appellavit: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* [4] Regnum autem Dei Ecclesiam dicit, quam comparat agro feracissimo benedicto a Domino: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus;* [5] sicut terra illa Palaestinae in Geraris [6] quam seminavit Isaac et centuplum reddidit, magna et admirabili cum usura fructum ex ea sanctus Patriarcha collegit. [7] Sic ait; Semen *cecidit in terram bonam et ortum fecit fructum centuplum.* [8] [In] Geraris seminavit Isaac, in terra peregrinationis, sic et Christus: *Exiit qui seminat seminare semen suum;* [9] *Exivi a Patre et veni in mundum;* [10] *A summo coelo egressio eius;* [11] *Ad hoc natus sum... ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati;* [12] *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.... praedicare annum Domini acceptum et diem ultionis Deo nostro.* [13]

Agitur autem de Ecclesia, quae est regnum Dei.

sar, fuisset sicut manna, quod nisi declarasset Moyses quid esset, frustra pluisset de coelo: *Ipse est panis quem dedit vobis Dominus.* Quis enim intelligere potuisset quod per seminatorem agricolam intelligatur Deus sublimis et excelsus? per semen corporale fides spiritualis? lex spiritualis est; per terram animus humanus, natura coelestis? per volucres coeli daemones, spiritus infernales? per spinas pungentes divitias et voluptates tantopere delectantes? *Vobis datum est nosse mysterium* verbi Dei. Et quidem hac parabola multa significantur de fide: essentia ipsius, quoniam theologia est, de Deo agit; ipsius origo, quoniam ex Deo est, fides donum est Dei; dignitas ipsius, quoniam a Deo ipso praedicata est, a Christo vero Deo; ipsius sublectum animus, cor humanum est; ipsius virtus et efficacia, quoniam centuplum reddere potest; ipsius excellentia, quoniam triticum est frumentum excellentissimum, regina scientiarum; ipsius puritas, quoniam semen bonum est, purum, absque zizaniis errorum, ipsa veritas est; ipsius finis, gloria paradisi: *Mysterium regni Dei;* ipsius operatio: *Credentes salvi fiant.* Saepe fidei salus tribuitur: *Fides tua te salvum fecit.* Sed ostendit Dominus quod non sola fides, sed quae *per dilectionem operatur;* non solum semen est quod fructificat, sed seminatum in terra bona. Ad salutem consequendam nec sola gratia sufficit, nec sola natura, sed utrunque simul: *Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae... In pinguedine terrae et in rore coeli desuper erit benedictio tua; Rorate, coeli, desuper et nubes pluant iustitiam, aperiatur terra et germinet Salvatorem; Prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra. Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt. Veritas de terra orta est et iustitia de coelo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Sic necesse est ut coelum simul et terra concurrant, gratia et natura, Deus et homo.

Ostendit etiam Dominus hac parabola quanta sint impedimenta, quot sint pericula salutis consequendae; nam aliquando triticum seminatur, sed non nascitur; aliquando nascitur, sed non crescit; aliquando crescit, sed non usque ad perfectionem, nam a spinis et malis herbis suffocatur. Quandiu in agro triticum est, semper est in periculo usque ad messem. Sic homo usque ad mortem semper est in periculo salutis, nunquam securus est; imminent segeti pericula a coelo et a terra: *Volucres coeli comederunt illud;* orto sole exaruit; *simul exortae spinae suffocaverunt illud.* Saluti nostrae imminent pericula a diabolo, a divina iustitia et a nobis ipsis, a nostris cupiditatibus ». 4) Lc 8, 10. 5) Gn 27, 27. 6) Ms.: *Gerasi*, sic et infra. 7) Cf. Gn 26, 1-11. 8) Lc 8, 8. 9) Ibid. vr. 5. 10) Io 16, 28. 11) Ps 18, 7. 12) Io 18, 37. Vulg.: *In hoc natus sum*, etc. 13) Is 61, 1-2; Lc 4, 18.

Ager Ecclesiam figurat in varios status fidelium distinctam.

II. *Fructum fecit centuplum,* quia *seminavit bonum semen in agro suo ;* [14] in terram bonam iecit optimum triticum, *et ortum fecit fructum centuplum,* idest fructum reddidit multum, copiosum valde, sicut ille ait:

« Non mihi si linguae centum sint oraque centum »,[15]

sicut poetae per Argum centoculum designabant coelum stellatum, [16] per Briareum centimanum solem innumera officia in mundo agentem; [17] nam quod alibi Dominus ait: *Centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit,* [18] alius Evangelista sic refert: Qui *non recipiat multo plura in hoc tempore et in saeculo futuro vitam aeternam.* [19] Sed tamen Matthaeus ait: *Fructum... centesimum... sexagesimum... trigesimum ;* [20] similiter Marcus: *Unum triginta, unum sexaginta et unum centum.* [21] Et in elucidatione parabolae: *Hi sunt qui super terram bonam seminati sunt : qui audiunt verbum et suscipiunt et fructificant unum triginta, unum sexaginta et unum centum.* [22] Quibus verbis declaratur ager seminatus magnus valde, ita ut in hac quidem parte produxerit tricemplum, in illa vero sexagemplum, et in alia optima et feracissima centuplum. Designat varios vitae status in Ecclesia, fidelium diversa merita.

Tres sunt status Ecclesiam componentes;

Tres partes habebat Moysi tabernaculum, [23] tres partes templum Salomonis, [24] tres Apostolos Christus duxit secum in montem, [25] tres sunt status fidelium, de quibus Regius Vates: *Domus Israel benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino, domus Levi benedicite Domino, qui timetis Dominum benedicite Domino.* [26] In tres classes Christus distinxit Ecclesiam: in Apostolos, in discipulos septuaginta et in reliquam turbam fidelium. [27] Sunt nunc in Ecclesia fideles saeculares, sunt regulares, sunt praelati, patres et pastores animarum, qui locum Apostolorum tenent.

Caritas, quam definit Apostolus *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta,* [28] habet diversos gradus: *Ut probetis quae sit*

14) Mt 13, 24. 15) Virg. *Aeneid.*, lib. 6, vr. 625. 16) Cf. Ovid. *Metamorph.*, lib. 1, vrr. 624-724; Statius *Thebais*, lib. 6, vr. 277; Macrobius *Saturnalia*, lib. 1, cp. 19, pag. 268-269. 17) Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 24, cp. 14, col. 1346. 18) Mt 19, 29. 19) Lc 18, 30. Vulg.: *In saeculo venturo*, etc. 20) 13, 23. 21) 4, 8. 22) Ibid. vr. 20. 23) Cf. Ex 26, 1 sqq.; 36, 1 sqq. 24) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 2 Par 3, 1 sqq. 25) Cf. Mt 17, 1; Mc 9, 2; Lc 9, 28. 26) Ps 134, 19-20. 27) Cf. Mt 10, 1-4; Mc 3, 13-19; Lc 6, 13-18; 10, 1; Act 1, 13-22. 28) 1 Tim 1, 5.

*voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta;*[29] *Qui in corde bono et optimo.* Caritas quae regina virtutum est: *Maior . . . horum est caritas,*[30] quae semper cum Spiritu Sancto est: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis,*[31] non potest non esse bona. Cor hominis, in quo caritas est, bonum est, iustum est, sanctum est, quia Spiritus Sancti gratia plenum est. Caritas enim lux est; ubi lux, non possunt esse tenebrae, sed crescere potest et maior fieri. Sic ait Salomon *Proverbiis: Iustorum... semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem,*[32] idest usque ad meridiem, nam lux diei usque ad meridiem crescit et semper augetur. Hoc est quod de Ecclesia dicitur: *Progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol;*[33] incipiens, proficiens et perfecta. Hos status designavit Dominus cum dixit: *Si . . . vis ad vitam ingredi, serva mandata.*[34] Haec enim omnino necessaria sunt ad salutem; deinde: *Si vis perfectus esse, vade, vende,* etc.;[35] et tertio: *Vos qui* reliquistis omnia et *secuti estis me... sedebitis... super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.*[36] Hic est status perfectorum Apostolorum qui in corde optimo reddiderunt fructum centuplum.

**tres etiam sunt gradus caritatis: incipiens, proficiens, perfecta.**

Fructum reddunt trigesimum qui bonam vitam ducunt, qui in fide, spe et caritate sobrie, iuste et pie viventes, divina mandata servant, exhibentes corpora sua *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.*[37] Tricenarius autem numerus poenitentiae est, nam triginta diebus flevit populus mortem Aaron,[38] similiter triginta diebus mortem Moysi;[39] numerus incipientium, nam Ioseph triginta annorum coepit dominari in Aegypto,[40] David triginta annorum regnavit in Hebron,[41] Ezechiel triginta annorum coepit prophetare,[42] Christus Dominus noster triginta annorum abiit in desertum et exinde coepit praedicare.[43] Sexagenarius vero numerus proficientium est, eorum qui cum denario mandatorum Dei senarium perfectionis adiungunt, qui desiderio perfectionis, non salutis tantum, sanctiorem vitam instituunt, ad hoc enim sunt in Ecclesia sanctissimae Religiones, regulares Ordines, claustra religiosorum, qui caelibem vitam ducunt, in

**Fructus trigesimus designat incipientes,**

**sexagesimus proficientes,**

29) Rom 12, 2. 30) 1 Cor 13, 13. 31) Rom 5, 5. 32) 4, 18. Vulg.: *Perfectam diem.* 33) Ct 6, 9. 34) Mt 19, 17. 35) Ibid. vr. 21. 36) Ibid. vr. 28. 37) Rom 12, 1. 38) Cf. Nm 20, 28-30. 39) Cf. Dt 34, 5-8. 40) Cf. Gn 41, 46. 41) Cf. 2 Rg 5, 4-5. 42) Cf. Ez 1, 1. 43) Cf. Lc 3, 23.

quorum cordibus seraphica caritas cum sex virtutum alis assistit et volat coram Domino;[44] sexaginta sunt fortes qui armati custodiunt lectulum Salomonis.[45] Tandem centenarius perfectorum est numerus, qui vitam ducunt virtutibus purgati animi, imo heroicis et exemplaribus ornatissimam; templum Ezechielis centum cubitorum erat longitudinis et latitudinis.[46] Sic ostendit Dominus fidei et virtutum merita in his quidem magna, in illis autem multo maiora, sed in aliis maxima. Ita et in gloria erit: *Alia claritas solis, alia ... lunae ... alia claritas stellarum.*[47] Sunt in paradiso gloriae, in regno beatitudinis tres Angelorum hierarchiae;[48] sic inquit: *Ortum fecit fructum centuplum.* Sed totus ager sic fructificavit.

centesimus perfectos.

III. Agrum hunc in duas partes dividit Christus: ponit in eo terram bonam et non bonam, sterilem, infecundam, duram, petricosam ac senticosam. Altera pars multum fructificat, altera vero minime. In arca Noe erant animalia munda et immunda,[49] in domo Abrahae Isaac et Ismael,[50] in domo Isaac Iacob et Esau,[51] in terra Israel Hebraei et Chananaei,[52] in agro patrisfamilias triticum et zizania,[53] in sagena pisces boni et mali,[54] in virginum choro prudentes et fatuae;[55] Iosue universum populum in duas partes divisit, ad dandam his quidem benedictionem tanquam servatoribus legis, illis vero maledictionem tanquam transgressoribus.[56] Ita et Dominus faciet in die iudicii. Hanc ob causam in duas partes dividit hodie agrum hunc: in terram bonam et malam, nam sunt reprobi et electi, praedestinati et praesciti: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*[57]

Dividit Dominus agrum in duas partes: bonam et malam,

ad designandos electos et reprobos.

Quod signum dilectionis? Non bona temporalia, nam a divitiis et voluptatibus suffocantur, sed bona spiritualia, Spiritus Sancti gratia cum copiosa virtutum supellectili. Quod signum reprobationis? Sterilitas, terra infructuosa. Sic Paulus ait *Hebraeis: Terra ... saepe venientem super se bibens imbrem et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens*

Signum electionis sunt bona spiritualia, reprobationis autem cupiditas rerum temporalium.

44) Cf. Is 6, 2-3. 45) Cf. Ct 3, 7. 46) Cf. 41, 13-14. 47) 1 Cor 15, 41.
48) Cf. S. Dionysius Areopagita *De Coelesti Hierarchia*, cp. 6, (P. G. 3, 199-202); S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 108, a. 1. 49) Cf. Gn 7, 2. 8. 50) Cf. ibid. 21, 1-11.
51) Cf. ibid. 25, 21 sqq. 52) Cf. Ios 15, 63; 16, 10; Idc 1, 21 sqq. 53) Cf. Mt 13, 24-31. 54) Cf. ibid. vrr. 47-49. 55) Cf. ibid. 25, 2-8. 56) Cf. Ios 8, 30-33.
57) Mal 1, 3; Rom 9, 13.

*autem spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem;* [58] sic Deus: *Maledicta terra in opere tuo... spinas et tribulos germinabit tibi,* [59] idest cupiditates ac sollicitudines fallacium divitiarum et voluptatum. [60] Hoc signum reprobationis est.

**Ad salutem consequendam non sufficit malum non agere.**

Fratres mei, quisque nostrum in alterutra huius agri parte continetur. Dominus ait quod sterilitas signum est reprobationis, quod nimia divitiarum et voluptatum sollicitudo et cupiditas, cordis inconstantia in bono, regressus ad malum, *canis rursus ad vomitum et sus lota ad volutabrum luti,* [61] cordis durities, stupiditas, stolida incredulitas: *Venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant;* [62] *Videntes non videant et audientes non intelligant, ne... convertantur et sanem eos.* [63] Sed, o fratres, quinam sunt nostrum qui in terra bona huius agri continentur? Quot sunt qui verbum Dei audire minime volunt, sed tantum fabulis delectantur! Quot sunt qui, etsi audiunt, frustra audiunt! Pius animus verba Dei audiens, cum Maria conservat *omnia... conferens in corde suo.* [64] Quot sunt qui audiunt quidem laeto animo et incipiunt benefacere, sed, orta tentatione, revertuntur ad malum! Post concionem, post Missam, post Confessionem et Communionem sacram revertuntur ad vomitum! Quot sunt qui, licet a malis abstineant, totos tamen dies insumunt vel ludis vel negotiis saecularibus, quoniam haec suapte natura peccata non sunt! *Suffocantur,* inquit, *et non referunt fructum,* idest non salvantur, quia non sufficit mala non agere, opus est etiam bonis operibus insudare: Factores legis *iusti sunt apud Deum;* [65] *Estote... factores* legis *et non auditores tantum.* [66]

**sed opus est bonis operibus incumbere.**

**Semen designat fidem praedicatam,**

IV. *Semen est verbum Dei.* [67] Forte Christus ipse intelligitur qui est Verbum Dei caro factum. Nam si seminare est praedicare: *Praedicamus,* ait, *Christum crucifixum... Dei virtutem et Dei sapientiam;* [68] *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* [69]

58) 6, 7-8. 59) Gn 3, 17-18. 60) Cf. Lc 8, 14. 61) 2 Petr 2, 22. Vulg.: *Reversus ad suum vomitum... in volutabro luti.* 62) Lc 8, 12. 63) Ibid. vr. 10; Act 28, 27. 64) Lc 2, 19. 65) Rom 2, 13. 66) Iac 1, 22. 67) Lc 8, 11. 68) 1 Cor 1, 23-24. 69) Io 12, 24.

Quod si alioquin per verbum Dei fides ipsa quae praedicatur intelligenda est, ostenditur eius virtus et efficacia; nam Paulus ait quod *virtus... Dei est in salutem omni credenti;* [70] et alibi: *Vivum est enim verbum Dei et efficax:* Ζῶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ καὶ ἐνεργής: [71] vel: *Vivum Dei verbum et energia plenum.* Hanc ob causam hodie *mysterium* dicitur verbum hoc *regni Dei.*

quae seminata in anima multum fructum affert.

*Semen est verbum Dei,* quod seminatum in intellectu producit magnam cognitionem Dei et divinorum, cognitionem sui ipsius, cognitionem boni et mali, virtutum et vitiorum; seminatum in voluntate producit amorem Dei, desiderium bonorum coelestium, contemptum terrenorum, amorem virtutum, odium vitiorum, attrahit enim Spiritum Sanctum de coelo in animam sicut magnes ferrum trahit, nam, loquente Petro, Spiritus Sanctus descendit de coelo. [72] Seminatum in memoria producit recordationem beneficiorum Dei et propriorum peccatorum; seminatum in corde producit sanctas cogitationes et desideria, in ore bona et honesta sanctaque verba, in manibus bona opera, in oculis pudicitiam, in sensibus omnibus sanctitatem et morum elegantiam summamque honestatem et sanctitatem, ita ut *nostra... conversatio in coelis* sit, [73] ut *sicut in die honeste ambulemus.* [74]

Homo ager est in quo seminant Deus et satanas.

*Semen est verbum Dei.* Seminator Deus est et seminator satanas. Seminat Deus triticum, satanas zizania; omnis homo ager est satus vel a Deo vel a satana. Quid seminat Deus? Bonas cogitationes, sancta desideria, verba honesta, opera pietatis et misericordiae, humilitatem, castitatem, misericordiam, virtutes omnes; satanas, e contra, vitia, concupiscentiam carnis et oculorum, superbiam vitae, malas cogitationes et desideria, verba inhonesta, opera mala, pessima, mille scandala. Nunc videat quisque apud semetipsum cuius ager sit.

Verbum Dei praedicatum producere debet opera salutis,

*Semen est verbum Dei.* Non est praedicandum verbum Dei nisi ad consequendum fructum salutis animarum, sicut non seminatur nisi ad colligenda in messe frumenta. Nunc autem verbi Dei praedicatio eo devenisse visa est ut sit sicut pictura aut sculptura sancta-

70) Rom 1, 16. 71) Hebr 4, 12. Vulg.: *Vivus est enim sermo Dei, etc.* Ms.: *Zon o logos tu theu che energis.* 72) Cf. Act 10, 44. 73) Phil 3, 20. 74) Rom 13, 13.

rum imaginum, quae, ut plurimi nunc, non ad devotionem, sed ad curiositatem, ad contemplandam artis excellentiam adhibetur, cum tamen praecipuus finis sanctarum imaginum sit devotio, non curiositas. Sic finis praedicationis salus est animarum, fructus salutis aeternae. Audiendum est verbum Dei sicut in nocte Nativitatis Domini sancti illi pastores audierunt Angeli concionem, statim nanque dixerunt: *Transeamus usque Bethlehem... et venerunt festinantes.* [75] « Nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia ». [76] Animalia Ezechielis alas habebant et instar fulguris volabant quo ea impetus spiritus rapiebat, nec minus leo ac bos quam aquila volabat, quoniam eodem spiritu ducebantur. [77] Sic *Maria... abiit in montana cum festinatione.* [78]

**ideo necesse est ut conservetur in corde**

*Semen est verbum Dei.* Ut semen iactum in terram fructificet, necesse est ut sepeliatur in terra, ut veluti incorporetur ipsi terrae; sic utique necesse est ut verbum Dei conservetur in corde. Sicut enim cibus comestus nisi retineatur in stomacho et digeratur nihil prodest, sed potius obest, sic et verbum Dei. Invigilandum est ne excidat verbum ex corde, ne rapiat illud satanas, nam Marcus ait: *Venit satanas cum festinatione et tollit verbum* [79] *de corde eorum ne credentes salvi fiant.* Saepe agit nobiscum sicut cum primis parentibus: *Nequaquam... moriemini.* [80] Si praedicetur de poenis inferni, de tremendo Dei iudicio, de peccati poenis, de bonorum operum necessitate ad salutem, de poenitentia et vitae emendatione, statim adest cum suo *nequaquam:* Non sunt tanta quanta dicunt praedicatores. Deus est misericors; si ita esset, quis salvaretur? Et multi cum primis parentibus satanae magis credunt quam Deo. Sicut enim abstulit illis mortis timorem, ita his adimit timorem inferni et divini iudicii severaeque iustitiae Dei.

**veluti pretiosus thesaurus.**

Quomodo verbum Dei in corde servandum sit Salomon docet in *Proverbiis: Serva mandata mea et vives, et legem meam quasi pupillam oculi tui; liga eam in digitis tuis* et *scribe... in tabulis cordis tui.* [81] Sic etiam Moyses in *Deuteronomio* [82] monet. Regius Vates de seipso aiebat: *In corde meo abscondi eloquia tua ut non*

75) Lc 2, 15-16. 76) S. Ambrosius *Exposit. in Evang. S. Lucae*, lib. 2, (P. L. 15, 1560). 77) Cf. 1, 5-12. 78) Lc 1, 39. 79) 4, 15. Vulg.: *Confestim venit satanas et aufert verbum.* 80) Gn 3, 5. 81) 7, 2-3. 82) Cf. 6, 6-9.

*peccam tibi;* [83] et alibi: *Ut facerem voluntatem tuam; Deus meus, volui et legem in medio cordis mei;* [84] et alibi legem Dei *hereditatem suam* dixit: *Hereditate acquisivi testimonia tua... quia exultatio cordis mei sunt;* [85] et item: *Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam,* [86] idest sicut vir nobilis a patrimonio et hereditate maiorum suorum omnes opes suas expectat, sic ego a lege Dei, haec mihi loco est infiniti thesauri: *Dilexi mandata tua super aurum et topazion;* [87] *Desiderabilia super aurum.* [88] Magnum donum Dei est verbum Dei; hinc Christus illud comparavit thesauro abscondito in agro et pretiosae margaritae, [89] homini nanque infinitam affert utilitatem, aeternam felicitatem: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud;* [90] *Beatus homo qui audit me... Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.* [91]

**Ab effectibus ostendit Dominus divinam verbi Dei virtutem in triplici statu Ecclesiae,**

V. *Semen est verbum Dei.* Ab effectibus ostendit Dominus divinam verbi Dei virtutem, nam *virtus... est in salutem omni credenti.* [92] Effectus autem, quia fecit fructum *aliud quidem centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum,* ubi designare videtur Dominus Ecclesiam sub triplici statu, legis naturae, legis mosaicae et legis evangelicae. Hoc autem est quod docet in summa: quod omnis virtus, omnis perfectio, omnis sanctitas, omnis gratia, omne meritum, omnis gloria Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Sanctorum omnium totius Ecclesiae cum militantis in terra, tum etiam triumphantis in coelo effectus sunt et opera divini verbi, fructus divini huius seminis. Ab effectibus autem cognoscitur causa, a fructibus arbor. Quoniam autem mirabilis supra modum est virtus divini verbi, hanc ob causam tot nominibus et metaphoris in Sacris Litteris designatur, et ideo dicitur quod *ortum fecit fructum centuplum,* quia ex eo tanquam ex radice pendent virtutes omnes, omnia Spiritus Sancti dona. Fructus spiritus beatitudines evangelicae, divinarum legum custodia, evangelicae perfectionis norma, omnis vera sanctitas. Sed si casum sit in terram bonam: *Aliud cecidit in terram bonam et ortum fecit fructum centuplum. Terram*

**nam ab eo pendent omnes virtutes et dona Spiritus Sancti.**

83) Ps 118, 11. 84) Ps 39, 9. 85) Ps 118, 111. 86) Ibid. vr. 57.
87) Ibid. vr. 127. 88) Ps 18, 11. 89) Cf. Mt 13, 44-45. 90) Lc 11, 28.
91) Prv 8, 34-35. 92) Rom 1, 16.

*bonam* dicit, idest bene cultam, ne sit sicut prima pars, secus viam, inculta, aratro minime scissa; sed culta sit, a lapidibus et spinis repurgata, si opus etiam sit, stercoribus impinguata, ne mala terrae dispositio fructum verbi impediat: *Qui in corde bono et optimo* sicut, pretiosissimus adamas aut pyropus nonnisi in optimo auro ligatur; fides autem optima et pretiosissima margarita est.

## DOMINICA QUINQUAGESIMAE

*Ecce ascendimus Ierosolymam et consummabuntur omnia quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis*, etc. [1]

Proponitur hodie peregrinatio Christi ab Iericho in Ierusalem.

I. Mirabilis Christi peregrinatio ab Iericho in Ierusalem, divino illustrata miraculo illuminationis Bartimaei caeci, [2] hodie nobis proponitur, in qua quidem Christus Dominus noster comites habere voluit discipulos suos. Hinc ait: *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Habemus etiam hodie peregrinationem Abrahae: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi, faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum erisque benedictus... Egressus est itaque Abram, sicut praeceperat ei Dominus, ivitque cum eo Loth.* [3] Mirabilis utraque peregrinatio. Abraham Dei spiritu ductus peregrinatur, et Christus; Abraham de Ur Chaldaeorum egreditur: *Ego* sum *Deus qui eduxi te de Ur Chaldaeorum,* [4] Christus ab Iericho. Haec autem idem sunt mysterio: Abraham in terram promissionis adducitur *fluentem lacte et melle,* [5] Christus in Ierusalem, pacis visionem. [6]

Hodiernum Evangelium continet duplex mysterium: passionis et resurrectionis Christi;

In hodierno Evangelio aperitur mysterium divinae huius peregrinationis: *Ecce ascendimus Ierosolymam,* cum dicitur: *Tradetur enim gentibus... et flagellabitur et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum et tertia die resurget.* [7] Quibus verbis duo nobis proponuntur mysteria: passionis Christi et resurrectionis: *Oportuit*

1) Pericope huius diei Lc 18, 31 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Mc 10, 46 sqq.; Lc 18, 35 sqq. 3) Gn 12, 1-4. Vulg.: *Et ivit cum eo Loth.* Cf. Breviarium Rom. lectiones primi nocturni huius Dominicae. 4) Gn 15, 7. Vulg.: *Ego Dominus.* 5) Ex 3, 17; 13, 5; 33, 3; Lv 20, 24. 6) Sic latine interpretatur *Ierusalem.* 7) Lc 18, 32-33.

*pati Christum et ita intrare in gloriam suam ;* [8] *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* [9] Passio iter est, via difficilis, laboris plena; quis enim sine labore et sudore potest altos montes conscendere? Ierusalem autem civitas erat montana, altis in montibus posita; [10] Christi autem resurrectio et gloria civitas est Ierosolyma, v i s i o p a c i s , fruitio felicitatis, possessio terrae promissionis, ad quam per aridum horridumque et asperrimum desertum peregrinari oportuit, nam: *Arcta est via quae ducit ad vitam.* [11]

Ante initium quadragesimalis ieiunii et poenitentiae proponitur nobis hodiernum Evangelium, ut sciamus quod, sicut terminus ac finis quadragesimalis poenitentiae festum est solemnissimum ac gloriosissimus dies resurrectionis Dominicae, ita [12] finis laboriosae peregrinationis, afflictionis et mortificationis carnis tandem erit gloria coelestis paradisi; ut sciamus quod per ieiunium, per poenitentiam, per mortificationem carnis ascendendum nobis est in coelestem Ierusalem.

**quo significatur per mortificationem nobis in coelum eundum esse.**

Sed quoniam finis est qui trahit movetque potenter et efficaciter animum ad operandum, peregrinos ad iter agendum, agricultores ad laborandum, mercatores ad negotiandum, milites ad militandum, litterarum studiosos vel quarumvis artium vel disciplinarum ad mille perferenda incommoda diu noctuque – quisque enim fine aliquo movetur vel utilis, vel honoris aut voluptatis consequendae, – operae pretium erit ut de fine divinae huius peregrinationis aliquid dicamus.

**De hac coelesti gloria nunc sermo erit.**

II. Abrahae dixit: *Veni in terram quam monstrabo tibi,* in terram promissionis *fluentem lacte et melle,* quae erat sicut paradisus deliciarum, [13] *benedicam tibi et magnificabo nomen tuum erisque benedictus,* hebraice: *Erisque ipsa benedictio,* eris adeo felix, ut videaris ipsamet felicitas, incomparabilis felicitatis thesaurus, omnibus desiderabilis; tantis te divitiis et honoribus cumulabo talique tantaque felicitate donabo: *Benedicam te et eris benedictio.* Phrasis est Divinae Scripturae magnam habens emphasim, sicut de homine valde liberali, ingenuo

**In coelo erit duplex felicitas: corporis et animae.**

8) Ibid. 24, 26. 9) Act 14, 21. 10) Idest supra montem Sion, ubi erat arca David; supra montem Moria, ubi erat templum Domini, et supra montem Acra, ubi magna pars civitatis aedificata erat. Cf. Ios. Flavius *De Bello Iudaico,* t. 2, lib. 5, cp. 4, pag, 327. 11) Mt 7, 14. Vulg.: *Arcta via est,* etc. 12) Ms.: *Tandem* hic repetitur, quod postea ponitur. 13) Cf. Gn 13, 10.

et humano dicimus quod est ipsamet liberalitas, ingenuitas, humanitas. Haec est Ierosolyma, divinae felicitatis thesaurus infinitus et sempiternus: *Ecce ascendimus Ierosolymam*, hebraice יְרוּשָׁלַיִם,[14] duplex pax, duplex felicitas, duplex gloria; sicut Christus resurrexit anima et corpore gloriosus, quemadmodum in transfiguratione apparuit,[15] ibi et corpus cum anima et caro cum spiritu summa felicitate, infinita consolatione repleta erunt.

Quod si non intelligimus haec, audiamus Regium Vatem coelestem Ierusalem divina arte graphice describentem: *Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*[16] Id quod in primis vel maxime desiderant homines aeternitas est. Quis autem nesciat quod montes sunt aeternitatis hieroglyphica? Hinc legimus: *Desiderium collium aeternorum*, in benedictione Ioseph;[17] et alibi: *De vertice antiquorum montium* et *de pomis collium aeternorum;*[18] itemque: *Apparens tu mirabiliter a montibus aeternis;*[19] et: *Contriti sunt montes saeculi*,[20] idest perpetui, aeterni. *Fundamenta* autem *eius*, inquit, *in montibus*, fundamenta habet aeterna, ruinam non timet. Hinc civitas haec a Ioanne in *Apocalypsi* dicitur aedificata a fundamentis ex lapidibus pretiosissimis et auro purissimo, quae non antiquantur, corruptionem et senium minime patiuntur.[21]

Haec felicitas aeterna erit,

Quoniam vero felicitatis fundamentum iustitia est, virtus et sanctitas est, ut in primis hominibus patuit, mox enim ut virtus defecit, universa felicitatis machina molesque corruit, a fundamentis eversa protinus fuit,[22] Deus,[23] cum ipsissima bonitas et sanctitas sit, hanc super omnia diligit et a nobis requirit, sicut et ab Angelis requisivit. Sed, inquit: *Fundamenta eius in montibus sanctis, in montibus sanctitatis*, sicut montes aureos dicere solemus cum quis magna supramodum promittit.[24] Christi gratia, virtus, sanctitas, merita montes sunt sanctitatis, quoniam non ad mensuram datus est ei spiritus;[25] aeterna et infinita est eius sanctitas. Quis autem nescit quod

infinita,

14) Ms.: *Ierusalaim.* 15) Cf. Mt 17, 1-2; Mc 9, 1-2; Lc 9, 28-29. 16) Ps 86, 1-3.
17) Gn 49, 26. 18) Dt 33, 15. 19) Ps 75, 5. Vulg.: *Illuminans tu*, etc.
20) Hab 3, 6. 21) Cf. 21, 10 sqq. 22) Cf. Gn 3, 6 sqq. 23) Ms.: *Enim adicitur.*
24) Proverbium: « Montes aureos polliceri ». Cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 531.
25) Cf. Io 3, 34.

omne bonum a Deo est, perenni fonte omnium bonorum? *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* [26] Divina bonitas et caritas thesaurus est infinitus et fons aeternus omnium desiderabilium bonorum.

Solent autem principes eos magis ditare divitiis, honoribus, dignitatibus cumulare quos magis diligunt. Illam civitatem pro viribus magni faciunt quam in suam sedem, regni caput et metropolim eligunt: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob:* [27] super omnia Deus coelestem Ierusalem diligit, in qua sedem soliumque gloriae et maiestatis suae collocavit. Diligit Deus naturam universalem, terram, mare, coelum; diligit naturam humanam; dilexit synagogam, diligit Ecclesiam; sed civitatem Sion super omnia. Hinc: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei;* [28] hebraice: *Glorificationes praedicata est de te, civitas Dei,* non glorificationes praedicatae, neque glorificatio praedicata, sed *glorificationes*, plurali numero, *praedicata*, singulari, quia licet multa de gloria paradisi praedicentur, semper tamen vicit praesentia famam, sicut reginae Sabae accidit. Cum enim permota celebri et decantatissima fama sapientiae et gloriae Salomonis, venisset in Ierusalem vidissetque et experimento probasset, tota stupens ac veluti in extasim rapta prae admiratione ait: *Verus est sermo quem audivi in terra mea super sermonibus tuis et super sapientia tua, et non credebam narrantibus... donec ipsa veni et vidi oculis meis et probavi quod media pars mihi nunciata non fuerit; maior est sapientia tua et opera quam rumor, quem audivi.* [29] Sic ait: *Glorificationes praedicatum est de te civitas Dei,* civitas divina, supramodum mirabilis, gloriosissima, felicissima, beatissima.

est enim paradisus sedes Dei;

ineffabilis,

In fine *Psalmi* ubi legimus: *Sicut laetantium omnium* nostrum *habitatio est in te,* [30] hebraice est: *Principes sicut chorales,* sicut choros ducentes, *omnes fontes mei in te.* Cives, inquit, civitatis huius omnes sunt principes, non bella gerentes, sed choros ducentes, vitam laetissimam ducentes veluti in regalibus nuptiis. Sed unde tanta laetitia et exultatio? Quia, inquit, *omnes fontes mei in te,* omnes fontes desiderabilis felicitatis, cuiusvis boni, ad omnem explendam cuiusvis

plenissima.

26) Iac 1, 17. 27) Ps 86 (hebr. 87), 2. 28) Ibid. vr. 3. 29) 3 Rg 10, 6-7. Vulg.: *Sapientia et opera tua.* 30) Ps 86 (hebr. 87), 7.

desiderii sitim, aperti hic sunt, aquas fundunt uberrimas, fluvios, flumina emittunt aquarum omnis consolationis.

De hac gloria paradisi loquitur Divus Paulus.

III. Haec est Ierosolyma ad quam Christus hodie pergit:[30*] *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Divus Paulus et ipse in hodierna Epistola viam ostendens unicam per quam eundum ascendendumque est in coelestem Ierusalem: *Aemulamini... charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar,* etc.,[31] ipse quoque, inquam, nonnihil dicit de coelesti gloria ad quam conditi sumus, eam appellans perfectionem naturae nostrae omnibus numeris absolutam: *Ex parte enim,* inquit, *cognoscimus,* scientia per eruditionem humanitus comparata, *et ex parte prophetamus,* scientia per revelationem divinitus infusa: *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Cum essem parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, loquebar ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli. Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.*[32] Perfectionem appellat absque omni imperfectione visionem et similitudinem Dei, sicut et Ioannes dicens: *Nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus* autem *quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*[33] Erimus sicut luna plena, quae tunc soli simillima est cum perfecte faciem solis videt.

Haec gloria erit perfectio absolutissima tum animae quoad omnes potentias,

Est gloria perfectio absolutissima tum animae tum corporis: animae quoad omnes potentias, intellectum, memoriam et voluntatem; memoria erit infinitus thesaurus omnium scientiarum; voluntas paradisus deliciarum, thesaurus omnium consolationum; intellectus erit quasi coelum, mille aeternis luminibus ornatum, omnia intelliget, omnia perspicacissime cognoscet, videbit ac si mille haberet aquilinos oculos, sicut sacratissimum illud coeleste animal apud Ezechielem, quod totum erat undequaque plenum oculis.[34]

tum corporis quoad omnes sensus;

Corpus item perfectum erit intrinsecus et extrinsecus, omni ex parte, quoad omnes sensus, nulla ei deerit consolatio, nulla voluptas. In corpore haec desideramus: sanitatem sensuumque integritatem,

30*) Ms.: *Peragit.* 31) 1 Cor 12, 31-13, 1. Cf. Missale Rom. 32) 1 Cor 13, 9-12. Vulg.: *Loquebar ut parvulus, sapiebam,* etc. 33) 1 Io 3, 2. 34) Cf. 1, 18.

pulcritudinem, fortitudinem, vitae perpetuitatem. Quisque erit vita longiori praeditus Mathusalem,[35] saniori vita Moysi,[36] fortitudine Samsonis,[37] pulcritudine Absalomi,[38] voluptatibus et deliciis Salomonis.[39] Sic electorum quisque divina praeditus erit perfectione, Dei erit perfectissima imago et similitudo absoluta, absque ulla penitus vel minima imperfectione: *Evacuabitur quod ex parte est, cum venerit quod perfectum est.* Hinc ait quod *fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum,*[40] sicut sol, in quo nulla penitus vel minima macula aut naevus obscuritatis [invenitur].

**Deus enim ad perfectam hanc felicitatem parandam fecit quicquid potuit.**

Sic paradisi gloria opus Dei est absolutissimum et perfectissimum: *Dei perfecta sunt opera;*[41] *Perfecti sunt coeli et terra et omnis ornatus eorum,* et tunc quievit Deus ab omni opere suo.[42] Non quievit rex Salomon donec palatium suum magnificentissime ad miraculum extructum numeris omnibus absolvit et regia magnificentia exornavit, ita ut veluti paradisus esset deliciarum, ait enim: *Magnificavi opera mea* et *aedificavi mihi domos et plantavi vineas, feci hortos et pomaria,* sive paradisos, *et consevi ea cuncti generis arboribus et extruxi mihi piscinas aquarum ut irrigarem silvam lignorum germinantium.*[43] Talem denique reddit domum suam ut regina Saba, ea visa, vehementer obstupuerit, quoniam ad eam exornandam fecit potentissimus et sapientissimus rex quicquid excogitare potuit ad magnificentiam, ornatum et voluptatem. Sic Deus ad perfectam felicitatem in coelo fecit quicquid potuit: *Omnes fontes mei in te,* quoniam paradisus regale palatium Dei est: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, exercituum,* Deus omnipotens! *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum... Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te. Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum.*[44] Non solum, inquit, beati sunt quicunque habitant in domo Domini, sed etiam qui ad eam pergunt, licet per vallem lacrimarum, per vallem fletus.

**Via quae ducit ad hanc gloriam caritas est,**

IV. Sed iam exigit ratio ut de via aliquid dicamus. In peregrinatione Abrahae non legimus viam per quam iter egerit, nisi viam quam

35) Cf. Gn 5, 27. 36) Cf. Dt 33, 7. 37) Cf. Idc 14, 1-16, 1-11. 38) Cf. 2 Rg 14, 25. 39) Cf. 3 Rg 10, 23 sqq. 40) Mt 13, 43. Vulg.: *Iusti fulgebunt*, etc. 41) Dt 32, 4. 42) Gn 2, 1-2. 43) Eccle 2, 4-6. 44) Ps 83 (hebr. 84), 2-7.

quae importat patientiam et poenitentiam,

ostendit ei Dominus. Scimus autem quod populus in terram illam per desertum abiit, in quo legem suscepit divinamque religionem didicit.[45] Lex Domini utique via salutis est. Regius Vates ait quod via est vallis lacrimarum, idest poenitentia; nam alludit ad historiam quam in libro *Iudicum* legimus. Nam cum, defuncto Iosue, filii Israel, divina religione contempta, idololatriae impietate se commaculassent colentes idola Gentium, Angelus Domini, habita ad eos concione, eorum impietatem accusavit et exprobravit; quod cum audissent filii Israel, elevaverunt vocem suam et amarissime fleverunt. Quare locus ille appellatus fuit locus flentium aut lacrimarum.[46] Per hanc viam Magdalena pervenit consecutaque est salutem vitamque aeternam;[47] hanc viam praedicavit Ioannes et post eum Christus: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.*[48] Paulus viam hanc caritatem esse dixit: *Excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et Angelorum... si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam et... omnem fidem, ita ut montes transferam... et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et... tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.*[49] Dominus in Evangelio ostendit viam hanc altam esse: *Ecce ascendimus Ierosolymam,* viam esse patientiae et tolerantiam adversitatum, per quam viam Iob[50] et omnes Martyres vitam et gloriam consecuti sunt sempiternam: *Patientia... vobis necessaria est;*[51] *In patientia vestra possidebitis animas vestras;*[52] *Oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam.*

observantiam divinae legis,

Licet autem haec omnia unum idemque sint, nam in caritate universa lex posita est: *Plenitudo... legis est dilectio,*[53] *caritas etiam patiens est... omnia credit, omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet,*[54] nec vera poenitentia est sine caritate: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,*[55] demus tamen diversas esse, ut videamus an nos per aliquam harum viarum ambulemus pergamusque in coelum. Prima via salutis est via iustitiae,

45) Cf. Ex 19, 1-20, 1 sqq. 46) Cf. 2, 1-21. 47) Cf. Lc 7, 37 sqq.
48) Mt 3, 2; 4, 17. 49) 1 Cor 13, 1-3. Vulg.: *Ita ut montes transferam, nihil sum... non habuero, nihil mihi prodest.* 50) Cf. Iob 42, 10 sqq. 51) Hebr 10, 36.
52) Lc 21, 19. 53) Rom 13, 10. 54) 1 Cor 13, 4-7. Vulg.: *Omnia suffert, omnia credit, etc.* 55) Lc 7, 47. Vulg.: *Remittuntur ei.*

lex Domini: *Si ... vis ad vitam ingredi, serva mandata;* [56] *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini;* [57] *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis stabit in loco sancto tuo?* [58] *Innocens manibus et mundo corde.* [59] *Quis ascendet in montem Domini aut quis stabit in loco sancto eius?* [60] *Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam;* [61] *Declina a malo et fac bonum et inhabita in saeculum saeculi.* [62]

Sed ubinam est via haec iustitiae et sanctitatis? *Serviamus illi in sanctitate et iustitia ... omnibus diebus nostris.* [63] *Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum;* sed *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* [64] Deinde ubi via poenitentiae? ubi poenitentia Magdalenae? ubi conversio filii prodigi? [65] ubi carnis mortificatio? *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* [66] Ubi poenitentia David? [67] poenitentia Ninivitarum? [68] Omnes vitam ducunt epulonis,[69] secundum carnem ambulant [70] *vivendo luxuriose:* [71] *Quorum deus venter est.* [72] Ubi caritas Pauli, quae via est omnium excellentissima? *Nunc... manent fides, spes, caritas; tria haec, maior autem horum est caritas.* [73]

quae nunc maxime desiderantur;

Sed *quoniam abundavit iniquitas,* refriguit *caritas.* [74] Vix nunc reperitur caritas nisi in chartis. Qui caritate praeditus est, Deum diligit super omnia et proximum sicut seipsum, non solum amicum, verum etiam inimicum. Nunc autem quis non videt quod homines sunt, sicut Paulus ait, *voluptatum amatores magis quam Dei?* [75] quod nonnisi seipsos diligunt? quod non regnat nisi φιλαυτία? [76] nisi cupiditas, quae *radix* est *omnium malorum?* [77] quod mundus nunc est sicut olim Aegyptus ab antiquis hieroglyphicis designabatur, cor in medio ignitorum carbonum ardentiumque flammarum? [78]

quoniam refriguit caritas, cupiditas regnat;

Quod si non relinquitur nisi via patientiae et sufferentiae adversitatum propter Deum: *Per multas tribulationes oportet nos intrare*

ideo pauci Christum sequuntur crucem ferendo,

56) Mt 19, 17. 57) Ps 118, 1. 58) Ps 14, 1. Vulg.: *Aut quis requiescet in monte*, etc. 59) Ps 23, 4. 60) Ibid. vr. 3. 61) Ps 14, 2. 62) Ps 36, 27. 63) Lc 1, 74-75. 64) Ps 13, 2-3. 65) Cf. Lc 15, 1 sqq. 66) Gal 5, 24. 67) Cf. 2 Rg 12, 13. 68) Cf. Ion 3, 5-10. 69) Cf. Lc 16, 19. 70) Cf. Rom 8, 1-5. 71) Lc 15, 13. 72) Phil 3, 19. 73) 1 Cor 13, 13. 74) Mt 24, 12. 75) 2 Tim 3, 4. 76) Ms.: *Philautia.* 77) 1 Tim 6, 10. 78) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica* seu *De Mysteriis Aegyptiorum*, lib. 34, pag. 344-345.

*in regnum Dei*, ubi nunc patientia Iob? *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* [79] *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est;* [80] Qui *vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me,* [81] nam: *Qui sequitur me... habebit lumen vitae.* [82] Sed ubinam qui Christum peregrinum sequuntur Ierosolymam ascendentem?

multi autem qui vitam mundanam ducunt.

Nos infelices! Omnes volumus cives esse Iericho non Ierusalem, cives terrae non coeli, cum Caino volumus civitatem nobis aedificare in terra. [83] O deplorandam caecitatem nostram! Unicuique nostrum dicit hodie Deus: *Egredere de terra tua... et veni in terram quam monstrabo tibi, faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo te erisque benedictus.* Fratres mei, quid dicam? Credimus divinis promissis? Credimus aeternam vitam in coelo perpetuam, in Angelorum paradiso gloriam? Si credimus, si speramus, si consequi cupimus, quid moramur? quid cunctamur? cur non viam ad eam capimus? *Surge*, ait Angelus Eliae, *comede, grandis enim restat tibi via* [84] usque ad montem sanctum Dei Horeb, ubi Deum visurus es. [85]

Tale bonum est gloria paradisi, ut pro ea Christus vitam suam prodegerit,

V. Cogitemus, fratres, quod non potest non magnum, imo non maximum quid esse gloria paradisi, cum tam caro constiterit Christo, cum pro ea assequenda unigenitus Filius Dei talia tantaque pati et sustinere voluerit: *Filius hominis tradetur... gentibus ad illudendum et flagellandum* et conspuendum, *et* sic *tertia die resurget,* [86] sic intrabit in gloriam suam. Ex magnitudine pretii licet conicere valorem gemmae, sicut prudens ille mercator qui, inventa pretiosa margarita, dedit omnia sua ut compararet eam. [87] Egit Christus, prodegit omnia, vitam etiam et honorem, passus acerbissimum simul et turpissimum genus mortis.

et quidem libentissimo animo, ita ut nil pependerit tot passiones.

Si prudens sapiensque mercator ad emendam pretiosam margaritam magnam dispendat pecuniae summam et, post emptam, dicat se illam vili pretio ac fere nihili emisse illam, necesse est supra modum pretiosissimam esse. Emit Christus margaritam coelestis

79) Iob 2, 10. Vulg.: *De manu Dei... non suscipiamus*, etc. 80) Ibid. 1, 21.
81) Mt 16, 24. Vulg.: *Post me venire*, etc. 82) Io 8, 12. 83) Cf. Gn 4, 17.
84) 3 Rg 19, 7. Vulg.: *Tibi restat via.* 85) Cf. ibid. vrr. 8-13. 86) Mt 20, 18-19.
87) Cf. ibid. 13, 45-46.

gloriae magno pretio sanguinis sui, postea dixit discipulis, quibus in peregrini forma apparuit, se eam pro nihilo emisse: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem et non cognovisti quae facta sunt in ea his diebus?* Loquebantur illi de Christi passione et morte. Ipse autem dixit: *Quae?* [88] Quae passio? quae mors? Veluti si quis magno quidem cum labore thesaurum effoderit et post effossum prae laetitia dicat nihil se laborasse.

**Christus mala, non bona mundi huius elegit.**

Fratres mei, si credimus Christum prudentem et sapientem mercatorem fuisse, errare aut falli minime potuisse, imitemur sapientiam et prudentiam ipsius. Cum reperisset Christus in hoc mundo bona et mala, elegit potius mala quam bona; veluti si in agro reperiatur magna arbor suavibus fructibus onusta et forte fortuna reperiatur etiam vena auri cum multis pretiosis lapillis, quae non sit omnibus nota; omnes transeuntes per agrum abibunt ad arborem – nam mundus iste arbor illa magna est Nabuchodonosor, [89] – ut fructibus illius saturentur ac onerentur. Sed prudens vir, inventa ibi auri vena, non accurret ad arborem, sed ad copiosam auri venam accurret ad eamque vocabit fratres et amicos quos maxime diligit, ut auro et pretiosis lapillis onerentur et ditissimi fiant. Licet enim aurum illud non aurum videatur, sed vilis arena, veruntamen aurum est, et quidem qui se cum suis in agro illo arenam colligere illaque onerari viderent homines, non fructibus arboris, facile contemnerent, cum tamen prudentissime ageret, ut finis manifestabit, nam fructus marcescunt per viam, non autem aurum.

**quia bona terrena nihili fient in coelo, mala autem pretiosissima erunt.**

Fratres mei, nunc in hoc mundo divitiae, honores, voluptates carnis fructus dulces et suaves videntur, sed in morte quid proderunt? Quae rerum harum utilitas in paradiso? Quis valor apud Deum? Cuius pretii sunt in superna civitate Ierusalem? Nullius penitus, sed virtus, sed caritas, sed mortificatio carnis, sed humilitas, sed patientia et malorum propter Deum perpessio aurum sunt optimum, lapides pretiosissimi apud Deum: *Beati pauperes spiritu... beati mites... beati qui lugent... qui esuriunt et sitiunt... beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum... quoniam merces vestra magna est in coelis.* [90]

88) Lc 24, 18-19. Vulg.: *In illa his diebus?* 89) Cf. Dn 4, 7-11. 90) Mt 5, 3-12. Vulg.: *Copiosa est in coelis.*

Ultimus dies manifestabit vere divites prudentes et pauperes stultos.

Virtutes autem has mundus nihili facit, contemnit tanquam arenam exiguam; Christus autem arena hac cum suis in civitatem oneratus abire voluit, non divitiis, non honoribus, non voluptatibus, sed paupertate, humilitate, patientia: *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum... et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum,* sed tamen *tertia die resurget.* [91] Ponetur arena in fornace, sed exibit inde aurum optimum ac fulgidissimum, ex quo fient vasa aurea pro mensa Summi Regis, sicut erant vasa mensae regis Salomonis omnia aurea. [92] Ultimus manifestabit dies quisnam prudentior fuerit, qui arena an qui fructibus arboris sese oneravit.

## II. ALIA HOMILIA

*Dum appropinquaret Iericho, caecus quidam... clamabat dicens: Iesu fili David, miserere.* [1]

Ierusalem figura est paradisi et electorum, Iericho figura mundi et reproborum.

I. Ostenditur quales oporteat esse peregrinos qui sacram hanc peragunt peregrinationem in Ierusalem: necesse est ut desinat civis esse Iericho, qualis erat caecus iste, qui hodie illuminatus a Christo, factus est peregrinus cum Christo et una cum eo relinquens Iericho, ascendit Ierosolymam. [2] Duae civitates proponuntur nobis in hodierno Evangelio: Ierusalem et Iericho; Ierusalem civitas sancta electorum Dei, Iericho autem civitas maledicta a Deo divinoque miraculo funditus eversa igneque combusta cum interminatione anathematis et maledictionis divinae ne quis de spoliis eius quicquam acciperet, nec amplius reaedificaret. [3] Omnis homo civis est vel Ierusalem vel Iericho, nam omnis homo vel electus vel reprobus, vel salvus vel damnatus erit. Non salvatur nisi civis Ierusalem, nec damnatur nisi civis Iericho.

Homo conditus fuit a Deo et positus in paradiso [4] ut civis esset Ierusalem, sed cum descenderet *ab Ierusalem in Iericho, incidit... in latrones, qui etiam despoliaverunt eum et, plagis impositis, abierunt,*

91) Ibid. 20, 18-19. 92) Cf. 3 Rg 10, 21.

1) Lc 18, 35-38. 2) Cf. ibid. vrr. 40 sqq. 3) Cf. Ios 6, 18. 4) Cf. Gn 2, 15.

*semivivo relicto*, etc.,[5] hodie in Iericho homo pauper, mendicus et caecus, in extrema miseria et calamitate constitutus, quia descendit *ab Ierusalem in Iericho.* Quinam sunt cives Ierusalem? Qui, relicto Iericho, cum Christo Ierosolymam ascendunt; qui in mundo hoc tanquam advenae et peregrini vivunt ad coelestem patriam suspirantes et anhelantes. Quis civis Iericho? Caecus, homo *secus viam* sedens et *mendicans.*[6] Quidnam est caecitas? Ignorantia Dei ac divinorum: *Excaeca cor populi huius ... et oculos eius claude ne ... oculis videat ... et corde ... intelligat.*[7]

Caecitas figurat ignorantiam Dei et divinorum.

II. Saepe loquuntur Sacrae Litterae de caecitate cordis. Divus Petrus ait, de virtutibus verba faciens, quae nos Deo gratos similesque efficiunt: *Cui ... non praesto sunt haec, caecus est et manu tentans.*[8] Christus in *Apocalypsi* ait cuidam fidem sine caritate habenti: *Dicis ... Dives sum et locuples et nullius egeo; et nescis quia ... miser es et miserabilis et pauper et caecus et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris ... et collyrio inunge oculos tuos ut videas.*[9]

Duplex est caecitas spiritualis: cordis, defectu caritatis,

Sed habemus in hodierno Evangelio caecitatem mentis; nam cum locutus fuisset Dominus de mysteriis passionis et resurrectionis suae, *ipsi*, inquit, *nihil horum intellexerunt ... erat verbum istud absconditum ab eis et non intelligebant quae dicebantur,*[10] ubi alius Evangelista ait quod obcaecatum habebant cor.[11] Multi sunt qui in iis quae sunt mundi, prudentissimi sunt, oculos habent aquilinis perspicaciores; in his autem quae Dei sunt, noctuis sunt et talpis caeciores. Si de Deo et divinis ad eos habeatur sermo, non intelligunt quae dicuntur, nimia temporalium rerum cupiditate et carnali amore obcaecati. An non caecitas magna praeferre lutum auro, argento plumbum, stamnum, aeruginosum ferrum, vitrum vilissimum crystallo, adamanti, optimis quibusvis et pretiosissimis gemmis, sicut gallina in sterquilinio vilissima granula in medio stercorum praefert margaritis?

et mentis, cupiditate carnali,

Bone Deus, quaenam hominum caecitas praeferre carnem spi-

5) Lc 10, 30. 6) Ibid. 18, 35. 7) Is 6, 10. Vulg.: *Videat oculis*, etc.
8) 2 Petr 1, 9. 9) 3, 17-18. Vulg.: *Dives sum et locupletatus ... es miser*, etc.
10) Lc 18, 34. 11) Cf. Mc 9, 31.

qua praeferuntur bona terrena coelestibus.

ritui, corpus animae, mundum Deo, vitia virtutibus, tenebras luci, mala quaeque bonis, praeferre Iericho Ierosolymae, terram coelo, terrena, temporalia, vana, fugacissima mundi huius bona coelestibus, sempiternis, divinis! Caecus sedet in via et mendicat in Iericho, in mundo hoc luna multo mutabiliori. Quid est divitias in mundo quaerere nisi mendicare, stipem vitae petere semper sub necessitatis praetextu? Sedebat, quiescebat in terra; sic mundanus quisque sedes sibi quaerit in terra ac si in mundo hoc perpetuo esset victurus.

Caecus illuminatus a Christo designat animam fide illuminatam.

Sed, o felicem caecum, qui super omnia oculorum lucem expetebat: Miserere mei, Domine! *Fili David, miserere mei! ... Quid vis ut faciam tibi? ... Domine, ut videam* lumen.[12] Sic Regius Vates: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas;*[13] *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.*[14] Illuminatus autem a Christo caecus statim coelesti fuit civitate donatus, quare ipse quoque una cum Christo sacram peregrinationem instituit: *Sequebatur eum magnificans Deum:* non sedet amplius in via, sed ambulat; non manet amplius in Iericho, sed eam a tergo relinquit et cum Christo Ierosolymam petit; non mendicat amplius, sed magnificat Deum: *Confestim vidit et sequebatur eum magnificans Deum.*[15] Sed quomodo illuminatus est? Per fidem vivam: *Respice,* inquit, *fides tua te salvum fecit.*[16] O beatum caecum! Erat civis Iericho, factus est civis Ierosolymae.

Inspicere nos ipsos debemus in quonam statu caeci huius reperiamur.

III. Quisque autem nostrum, fratres, vel in priori vel in posteriori caeci huius statu reperitur. Quaeso, nos ipsos inspiciamus, nos ipsos videamus. Scitote, fratres, quod quisquis tandem civis Iericho fuerit inventus, peribit cum Achan, qui contra divinum praeceptum de spoliis Iericho cupiditate victus accipere voluit pallium coccineum, ducentos siclos argenti et regulam auream quinquaginta siclorum; quam ob causam iratus Dominus contra eum fuit et contra Israel, donec ipse lapidibus obrutus ab universo populo, de medio sublatus fuit et cuncta quae illius erant

12) Lc 18, 38-41. Vulg.: *Quid tibi vis faciam?* etc. *Lumen* adicitur in Breviario Rom. hac Dominica, respons. IX lect. 13) Ps 17, 29. 14) Ps 12, 4-5. 15) Lc 18, 43; Mc 10, 52. 16) Lc 18, 42.

igne combusta in valle Achor,[17] in valle conturbationis.[18] Voluit enim Deus ut cuncta civitatis Iericho divino cultui dedicata ac consecrata forent; quoniam enim civitas illa divino miraculo capta fuit, non humana industria aut labore, non obsidione aut irruptione militari, sed divina virtute, totam urbem cum spoliis sibi voluit Deus voveri et consecrari, spolia nanque, triumphus et trophaea victoriae nonnisi victori debentur. Voluit ierichuntam civitatem tanquam primitias terrae promissionis sibi offerri, et sicut primo homini paradisum omnium arborum genere copiosum cum dedisset, unam sibi arborem reservavit,[19] ita ex innumeris civitatibus terrae promissionis hanc sibi vindicavit in testimonium virtutis suae et experimentum virtutis continentiae et obedientiae fidelium suorum, sicut fuit arbor scientiae Adamo.

**Iericho, civitas notissima in Sacris Litteris.**

Iericho, urbs notissima in Sacris Litteris, quoniam prope hanc civitatem, siccato Iordanis alveo, populus Dei in terram promissionis ingressus fuit,[20] ubi, cum desiisset manna, terrae fructibus vesci coepit; ibi populus a Iosue circumcisus fuit, ibi Angelus Domini in specie militis, imo ducis armati Iosue apparuit et quomodo urbs capienda erat divino miraculo indicavit. Hanc urbem arca Domini cum universo exercitu septem diebus in gyrum circumdedit et septimo a fundamentis evertit.[21] Notissima est miraculo Elisei, qui pessimas illius aquas, immisso vase novo sale pleno, salubres optimasque reddidit.[22]

**destructa a Iosue, figura finis mundi, quando soli caritate praediti salvabuntur.**

Sed hodie Christi praesentia et miraculo illustratur; ipse enim est verus Angelus Domini, ipse vera arca testamenti, ipse verus Iosue, verus Eliseus. Iosue venit ad destruendam Iericho et Domino consecrandam; sic et Christus ad destruendum mundum, qui *totus in maligno positus est,*[23] ad dissolvenda opera satanae.[23a] Pretiosa quaeque Iericho, aurum, argentum, metalla omnia, reposita fuerunt in thesauris Domini, cetera combusta; sic erit in consummatione saeculi, cum veniet Dominus ad iudicandum *et omnes Angeli* eius *cum eo.*[24] Ibi domus tantum Rahab salvata fuit, cognita signo funiculi coccinei,[25]

17) Cf. Ios 7, 1 sqq. 18) Sic latine interpretatur *Achor.* 19) Cf. Gn 2, 17. 20) Cf. Ios 3, 15 sqq. 21) Cf. ibid. 5, 4-6, 1-31. 22) Cf. 4 Rg 2, 19-22. 23) 1 Io 5, 19. 23a) Cf. ibid. 3, 8. 24) Mt 25, 31. 25) Cf. Ios 2, 18-21; 6, 22-25.

symbolo igneae ardentisque caritatis; non salvabuntur nisi veri fideles caritate praediti, sicut Paulus docet hodie.[26]

Iericho mundum etiam figurat quatenus Dei providentiam declarat.

IV. Iericho interpretari potest odor eius,[27] utique Dei. Odore autem iudicium et cognitio designatur, unde homines acri iudicio praediti, nasuti dicuntur nasumque habere emunctis naribus [28] Paulus quoque ait: *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu et odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt.*[29] Dicitur mundus odor Dei, quia in iis quae in mundo fiunt veluti subodoratur divinitas et providentia: *Coeli enarrant gloriam Dei,* etc.;[30] *Invisibilia ... mundi per ea quae facta sunt,* etc.[31] Philosophi ex motu devenerunt in cognitionem Dei, quem primum motorem, primam causam, primum dixere principium:[32] Si dii non sunt, unde bona? Quare sicut sagaces venatorum canes ad olfactum agnoscunt ubinam sit praeda et capienda fera, ita sapientes Deum agnoverunt.[33]

Mundus dicitur odor Dei quatenus Deus cognoscit vitia et virtutes quae sunt in mundo.

Verum alia quoque ratione interpretari possumus hunc odorem, ut significet Dei iudicium et cognitionem. Sicut enim nos olfactu cognoscimus bonos et malos odores, sic Deus vitia et virtutes animi. Hinc de sacrificio Noe legimus quod *odoratus ... est Dominus odorem suavitatis;*[34] de Ninive quod *ascendit malitia eius coram* Domino;[35] de Christo, ubi legimus apud Isaiam: *Replevit eum spiritus timoris Domini,* hebraice est: *Odorare eum faciet timorem Domini;* ideo sequitur: *Non secundum visionem oculorum iudicabit neque secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes.*[36] Sic mundus dicitur odor Dei; sic Christus in Iericho veluti ad odorem cognovit animum Zachaei, quod magno desiderio tenebatur videndi Christum.[37] Bonus animus Christo est sicut vas Magdalenae plenum odoratissimo liquore: *Domus repleta est ex odore un-*

26) Cf. 1 Cor 13, 1 sqq.; Missale Rom. Epist. huius Dominicae. 27) A רֵיחוֹ, ut Ier 48, 11: *Odor eius.* 28) Cf. P. Mannuccius *Adagia,* col. 392. 29) 2 Cor 2, 14-15. 30) Ps 18, 2. 31) Rom 1, 20. 32) Cf. S. Thomas *Contra Gentiles,* lib. 1, cp. 13; Plato lib. 34, *De Legibus,* dial. 10, pag. 502: Aristot. *Metaphysic.,* t. 2, lib. 11, cp. 6-7, pag. 561-562. 33) In margine haec adiecta fuerunt. « Caecus hodie veluti ad odorem Christum cognovit esse Filium David, idest verum Messiam, ex auditis operibus ipsius fecitque sicut canis venator. Sicut canis venator, cum in aliquo specu vel antro subodoraverit praedam esse ibi, latrat nec divelli inde potest, sic caecus fecisse videtur hodie: clamare non desiit quousque gratiam accepit ». 34) Gn 8, 21. 35) Ion 1, 2. 36) 11, 3-4. 37) Cf. Lc 19, 5-6.

*guenti.* [38] Malae vero conscientiae sepulcra sunt fetentissima, unde Ioel ait: *Ascendet fetor eius... ascendet putredo eius, quia superbe egit.* [39]

O quot animi hominum apud Deum sunt sicut Lazarus, qui fetebat quatriduanus in monumento! [40] Cadavera non possunt diu incorrupta et sine magno fetore manere, unde Isaias: *De cadaveribus eorum ascendet fetor.* [41] Anima autem peccatrix mortua est, sicut Paulus ait: *Vivens in deliciis mortua est,* [42] et Christus de filio prodigo: *Mortuus erat et revixit;* [43] *Anima quae peccaverit, ipsa morietur.* [44]

Multi sunt hodie qui coram Deo fetent.

Dicitur etiam odor eius, quia solius Dei est secreta conscientiae iudicare, sicut legimus quod, cum clamor Sodomorum ascendisset coram Domino, ait: *Descendam et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint an non... ut sciam.* [45] Hanc ob causam dictus ibi fuit Deus ab Abrahamo iudex universae terrae. [46] Ubi nunc sunt hominum audacia nimiumque temeraria iudicia de secretis cordium et conscientiarum?

Solius Dei est secreta conscientiae iudicare.

## III. ALIA HOMILIA

I. Proponitur nobis in sacrosancto hodierno Evangelio sancta et illustris peregrinatio Salvatoris in sanctam civitatem Ierusalem; peregrinatio illustris comitatu, quia *assumpsit* secum *duodecim discipulos* suos, [1] sicut arca Dei in peregrinatione per desertum, per terram peregrinationis sanctorum in terram promissionis duodecim tribubus Israel comitata incedebat; [2] illustris etiam miraculo, nam caecum mirabiliter illuminavit; [3] sed illustrissima fine, quoniam in die palmarum terminata fuit sancta haec peregrinatio, quando Dominus exceptus fuit in Ierusalem magna cum honorificentia et gloria, exceptus cum triumpho. [4]

Illustris fuit haec peregrinatio comitatu, miraculo et fine.

38) Io 12, 3. Vulg.: *Domus impleta est.* 39) 2, 20. 40) Cf. Io 11, 39. 41) 34, 3. 42) 1 Tim 5, 6. Vulg.: *In deliciis... vivens,* etc. 43) Lc 15, 24. 32. 44) Ez 18, 4. 20. 45) Gn 18, 21. 46) Cf. ibid. vr. 25.

1) Mt 20, 17; Lc 18, 31. 2) Cf. Nm 2, 1 sqq. 3) Cf. Lc 18, 35 sqq. 4) Cf. Mt 21, 1-11; Mc 11, 1-10; Lc 19, 28-38.

Iericho mundum significat, Ierusalem paradisum.

*Ecce ascendimus Ierosolymam.*[5] Huius peregrinationis sanctae statuuntur termini: duae civitates, Iericho et Ierusalem. O si mysteria, quae sub his nominibus latent, intelligeremus! Sed summatim dicam quid sentio. Iericho mundum significat, Ierusalem paradisum. Venit Christus in Iericho: *Exivi a Patre et veni in mundum,* sed tanquam peregrinus: *Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.*[6] Non creavit Deus hominem ut esset civis mundi huius, sed peregrinus; rapiendus erat homo in coelum sicut Enoch,[7] sicut Elias,[8] sicut Christus;[9] hinc appellatus fuit אִישׁ, quasi אֵשׁ,[10] ignis, cuius est naturale desiderium ut sursum tendat in coelum, quia locus ignis proprius coelum est.

Via ad coelestem Ierusalem caritas et tribulationes sunt.

II. Sicut autem hoc tempore et bacchanalibus hisce diebus, cum ad bravium curritur, statuuntur termini ubi incipiendum est et ubi finiendum, statuitur via, cursus et aequalitas cursorum, sic hodie statuuntur termini: Iericho et Ierusalem; statuitur via: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum,* etc.[11] Quoniam vero *caritas patiens est,*[11*] sicut aurum in fornace probatur, sic caritas in camino tribulationis: *Filius hominis tradetur,* etc.;[12] per desertum peregrinabatur arca Dei in terram promissionis.

sed requiritur animus bonus, disciplinatus, bene dispositus,

Deliguntur peregrini: *Assumpsit duodecim discipulos* suos. Ad currendum ad bravium non est aptus homo caecus vel equus lumine orbatus. Hinc hodie cum homo caecus vellet cum Christo sacram hanc peregrinationem suscipere, divinitus illuminatus est et sic cum Christo sanctam peregrinationem magno cum spiritus fervore peregit: *Sequebatur illum magnificans Deum.*[13] Parandi in primis sunt equi ad currendum apti, velocissimi, qui volare videantur, sicut Pegasus;[14] adducuntur equi asturcones et qui vulgo barbari dicuntur, aliique equi ad cursum aptissimi, unde cursones appellantur; instructi autem et bene dispositi, praefixo die ad locum cursus adducuntur ut, dato signo, absque ulla mora, cursui se dedant.

5) Lc 18, 31. 6) Io 16, 28. 7) Cf. Gn 5, 22; Eccli 44, 16; Hebr 11, 5. 8) Cf. 4 Rg 2, 1-11. 9) Cf. Mc 16, 19; Lc 24, 51; Act 1, 9-11. 10) Cf. Gn 2, 23. Ms.: *Isc* et: *Esc*. 11) 1 Cor 12, 31-13, 1. Cf. Missale Rom. Epistola huius Dominicae. 11*) Ibid. vr. 4. 12) Mt 20, 17; Mc 10, 33. 13) Lc 18, 43. 14) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 9, cp. 4, pag. 814-816.

Est equus animal generosum ac spiritosum, valde aptum ad bellum, unde Marti dedicatum fuit;[15] animal disciplinabile, quare aiunt quod a Pallade Corinthi inventum fuit frenum equusque frenatus et domitus.[16] Apud Platonem in *Phaedro* significat bonus equus bonum animum, rationalem, bene disciplinatum, malus equus malum animum, irrationalem, male disciplinatum.[17] In *Apocalypsi* Christum legimus equitantem super equum album[18] et omnes, inquit, *exercitus* coeli *sequebantur eum in equis albis.*[19] Album equum Christus inequitat, nam ut naturales dicunt, equi omnino nigri difficillime frena et sessores admittunt, durae cervicis sunt, fere indomabiles et optimae disciplinae incapaces; albi vero equi multo sunt dociliores et tractabiliores.[20] Non placet Christo animus effrenis et pervicax, qui moderari minime vult, sed instar equi sternacis semper recalcitrat moderatori; placet equus generoso quidem animo, sed qui rectorem et frenum admittit facileque ad nutum equiti obedit.

fortiter enim certandum et currendum est.

Hoc itaque in primis opus est: animus bonus, generosus, nobilis, aptus ad bellum contra vitia, contra satanam, mundum et carnem, nam, ut ille ait:

« Bello armantur equi, bellum haec armenta minantur »;[21]

sed tamen ut sit optime disciplinatus, ut rationis et virtutis imperio promptissime obediat. Animus vero nunc praecipue quaeritur, equus qui ad currendum aptissimus sit, non enim in catadromo currendum est et occurrendum cum belli imagine, uti in hastiludis fit, sed in hippodromo, citra belli simulacrum, de cursus tantum pernicitate certandum est.

Symbolum huius animi caecus pauper, sed spiritu valens.

III. Sed videamus quemnam equum delegit sibi Christus ad currendum. Ad hoc munus deliguntur equi generosi ac magni spiritus, agiles, veloces, sed nudi, non[22] admodum phalerati. Sic delegit Christus hodie hominem pauperem, sed spiritu valentem: *Cum audisset turbam praetereuntem, interrogabat quid hoc esset.* Et cum audisset quia Iesus transiret, clamabat: *Iesu fili David, miserere mei.*

15) Cf. ibid. lib. 2, cp. 7, pag. 136. 16) Cf. Beyerlinck *Theatrum Vitae Humanae* sub verbo: *Frenum;* Gir. Pozzoli *Dizionario d'ogni Mitologia*, sub verbo: *Minerva*. Milano, Battelli e Fanfani, 1822. 17) Lib. 26, pag. 262. 18) Cf. 19, 11. 19) Ibid. vr. 14. 20) Cf. Aldovrandus *De Quadrupedibus Solidipedibus*, lib. 1, pag. 225; Corn. a Lapide *Comment. in Apocalypsim*, 6, 2; 19, 11. 21) Virg. *Aeneid.*, lib. 3 vr. 540. 22) Ms.: *Nam.*

Et cum increparetur ut taceret, *multo magis clamabat: Fili David, miserere mei.*[23] Ubi ostenditur homo solers et diligens, ingenii acumine et sagacitate, perspicaci praeditus intellectu, sicut equus vivus qui, ut dici solet, totus spiritus est, audito buccinae sonitu, vix contineri potest. Vidit Christus equum esse ad cursum aptissimum, sed tamen caecum; sed sicut hirundo magistra natura edocta caecos filios chelidonia oculat,[24] sic Christus caecum hunc equum oculare et valuit et voluit oculatumque equitavit, sed nudum, nam, ut Marcus ait, audiens caecus se vocari a Christo, *posito vestimento suo, exiliens venit ad eum.*[25]

qui statim ac illuminatus a Christo, eum secutus est.

Talis igitur requiritur animus, natura nobilis, divino lumine illustratus, spiritu fervens et quae mundi sunt contemnens, nihili pendens; requiritur animus bonus, candidus, purus, bonitatis amantissimus, sicut caecus iste lucis cupidissimus erat: *Quid vis ut faciam tibi?... Domine, ut videam* lumen.[26] Non quaesivit ab eo divitias, non mundi gloriam, non dignitates et honores, sed sicut Salomon, simili modo accepta divinitus optione: Pete a me quid vis, unam tantum a Deo petiit gratiam, sapientiae donum,[27] sic caecus iste unum tantum petiit, oculorum lumen: *Domine, ut videam* lumen, illudque una cum Salomone obtinuit: *Respice, fides tua te salvum fecit. Et statim vidit et sequebatur eum magnificans Deum,*[28] sanctam cum Christo peregrinationem in Ierusalem peregit, comes factus fuit peregrinationis Christi, peregrinus mundi huius et civis paradisi, supernae Ierusalem. Quod praecipue in equo requiritur, obedientia est; caecus autem iste obedientissimum Christo se praebuit, nam vocatus ab eo, *exiliens venit ad eum.*

Via ad coelum virtus est.

Sed quaenam via currenda est? Via difficilis, quia: *Ecce ascendimus. Fundamenta eius in montibus sanctis;*[29] via est montuosa ab Iericho in Ierusalem, quia via virtutis et non via voluptatis, nam in regno voluptatis non est virtutis locus:[30] *Si... vis ad vitam in-*

23) Lc 18, 36-39. Vulg.: *Cum audiret turbam*, etc. 24) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 8, cp. 27, pag. 86. 25) 10, 50. Vulg.: *Proiecto vestimento suo*, etc. 26) Lc 18, 41. Vulg.: *Quid tibi vis faciam?* etc., cf. not. 12 praec. hom., pag. 126. 27) Cf. 2 Par 1, 7-10. 28) Lc 18, 42 sq.; Mc 10, 50. Vulg.: *Confestim*, etc. 29) Ps 86, 1. 30) Cicero: « Nec libidine dominante temperantiae locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere ». *De Senectute*, t. 4, col. 548; Ovidius: « Virtus est placitis abstinuisse bonis ». *Heroid.*, 17, vr. 98: Philo Iudaeus: « Nullae res adeo pugnant inter se ut virtus et

*gredi, serva mandata;*[31] *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum;*[32] *In via mandatorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis;*[33] *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini;*[34] *Beatus... qui... in via peccatorum non stetit.*[35]

Viam hanc Paulus hodie caritatem esse designat, Christus vero patientiam:[36] *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam;*[37] sed tamen *caritas patiens est,*[38] et ipsamet patientia. Septem annis servivit Iacob pro Rachele, multa passus fuit et nihil sibi pati videbatur.[39] Parentes multa patiuntur et vix sentiunt, quoniam amor dulces reddit labores. Non requirit a nobis Deus nisi amorem, sed coelestium non terrenorum, amorem Dei non mundi huius, nam mundi amor, cupiditas, est *radix... omnium malorum,*[40] Dei autem amor, caritas, est fons omnium bonorum; requirit ut, Iericho terga dantes, in Ierusalem faciem convertamus, dirigentes *pedes nostros in viam pacis,*[41] nam multi *viam pacis non cognoverunt;*[42] vult ut mundum contemnamus et aeternam felicitatem avidissime appetamus.

**Idest caritas patientia et contemptus mundi.**

...

IV. Sed quam ob causam contemnendus est mundus? Quia Iericho. Saepe in Sacris Litteris designatur mundus per regionem Pentapolis, per terram Aegypti,[43] per civitatem Babylonis, sicut Ieremias: *Fugite de medio Babylonis,*[44] fugite et salvate animas vestras, sicut exire compulsus fuit Loth de Sodomis et Pentapoli ac salvari in monte,[45] sicut Deus exire voluit populum suum de Aegypto.[46] Sed hodie praecipue per Iericho designatur; Iericho nanque luna interpretatur et lunatio, sive mensis lunaris; et quidem Iericho erat in regione Galilaeae, quae interpretatur revolutio. Quis non videt mundum hunc vitamque humanam variam esse, mutabilem, inconstantem, instabilem, mille revolutionibus obnoxiam?

**Mundana vita instabilis et mutabilis est et brevissima;**

voluptas ». *De Ioseph* seu *De Vita viri civilis*, t. 1, pag. 470. In Seneca etiam habetur pulcherrima antithesis voluptatis et virtutis. *De Vita Beata*, cp. 7, pag. 653-654.

31) Mt 19, 17. 32) Ps 118, 32. 33) Ibid. vr. 14. Vulg.; *In via testimoniorum*, etc. 34) Ibid. vr. 1. 35) Ps 1, 1. 36) Cf. 1 Cor 13, 1 sqq. Cf. Missale Rom. Epistola huius Dominicae. 37) Lc 24, 26. 38) 1 Cor 13, 4. 39) Cf. Gn 29, 20-30. 40) 1 Tim 6, 10. 41) Lc 1, 79. 42) Ps 13, 3; Rom 3, 17. 43) Cf. Gn 13, 10. 44) 51, 6. 45) Cf. Gn 19, 15-23. 46) Cf. Ex 3, 2 sqq.

sic et mundana felicitas vana et fallax.

Sed et brevissima est: *Breves dies hominis sunt;*[47] *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore.*[48] Vix per diem luna plena est lumine et tunc etiam maculis respersa cernitur. Non est in mundo perfecta consolatio; patuit in fortunatissimo Salomone, qui tamen ait: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas,*[49] quoniam lumen lunae superficiale est, sicut ferrum deargentatum; intus opaca, obscura est, foris tantum luminosa videtur, ut eclipsis manifestat. Sic utique est mundi huius felicitas: superficialis, vana est, fallax est; mundus totus nisi ipsissima vanitas est: *Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praetereunt;*[50] *Universa vanitas omnis homo vivens.*[51] Definit quidnam sit mundus, hominum utique multitudo: *Omnis homo vivens.* Sed quid est mundus iste? *Universa vanitas;* sicut Moyses singula Dei opera recensens, de singulis ait: *Vidit Deus quod esset bonum,*[52] sed postea simul omnia colligens dixit: *Vidit... Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona,*[53] sic colligens omnes homines in unum dixit universam vanitatem, imo alibi: *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant... in vanitate in idipsum,*[54] ubi hebraice: *Certe vani filii hominum, mendaces filii viri,* idest nobiles et ignobiles, *in stateras si ascendant ipsi, pariter leviores sunt vanitate,* idest ipsissima vanitate vaniores. Sic alibi ait: *Omnis homo mendax,*[55] imo *mendacium* ipsum. Hinc Isaias mundum hunc somnio comparat: *Sicut somniat esuriens... et sicut somniat sitiens,* etc.[56] Sic mundus iste luna fallax est. Ubi est homo sua sorte contentus? Mundi felicitas persona est, larva felicitatis. Quis non contemnit adulterinam pecuniam, adulterinas gemmas?

Ideo mundus figuratur per lunam, quae est imperfectissimi luminis;

V. Et quidem mundus iste hanc ob causam praecipue, ut arbitror, luna appellatur, quoniam cum lux symbolum sit bonitatis et coelum sit lucis thesaurus, lumen lunae est omnium imperfectissimum sub sole, qui divinitatis imago est. Tria sunt lumina: Veneris, uti dicunt, Mercurii et lunae, quod infirmum est et valde umbratile. Sic sub Deo tria sunt bonorum genera, sicut tres mundi partes aut tres mundi: angelicus, coelestis et elementalis; paradisus, coelum et terra; sunt

47) Iob 14, 5. 48) Ibid. vr. 1. 49) Eccle 1, 2; 12, 8. 50) Ps 143, 4. 51) Ps 38, 6. 52) Gn 1, 12. 18. 21. 25. 53) Ibid. vr. 31. 54) Ps 61 (hebr. 62), 10. 55) Ps 115 (hebr. 116), 11. 56) 29, 8.

bona gloriae, beatitudo coelestium spirituum; sunt deinde bona gratiae, quae ad animam spectant, ut virtutes et dona spiritualia; sunt postremo bona naturae et quae vulgo f o r t u n a e bona dicuntur, quae nonnisi corporalia sunt.

**bona enim mundi imperfectissima sunt et contemnenda propter coelestia.**

Quare sicut in mirabili illa statua Nabuchodonosor sub aureo capite erant pectus argenteum, venter aeneus et tibiae ferreae, [57] sic sub Deo, qui in *Canticis caput aureum* [58] dicitur, sunt tria haec genera bonorum. Bona mundi huius lunaria sunt, imperfectissima sunt. Quis non facile contemnat ferrum propter argentum? Sic bona mundi huius contemnenda sunt propter bona coelestia, quoniam sicut lumen lunae umbris mixtum est, sic bona mundi, sicut de Iericho legimus: *Habitatio terrae huius optima est . . . sed aquae pessimae sunt.* [59]

**Mundus malus est quia in maligno positus**

Mundus quidem bonus est, quia a Deo est, malus est, quia homines mali sunt: *Mundus totus in maligno positus est.* [60] Invenit Christus in Iericho Zachaeum pecca orem, [61] Bartimaeum pauperem, mendicum, egenum, et in Iericho filii Zebedaei petierunt a Christo primos regni honores, ut sederent alter ad dexteram, alter ad sinistram in regno Christi. [62] Mundus desideriis plenus est. Relinquit Christus Iericho cum suis et pergit in Ierusalem, quoniam paucissimi sunt qui salvantur in Iericho; una tantum domus et familia Rahab salvata fuit a ruina Iericho. [63] Praecepit Deus Hebraeis ne omnino aliquid acciperent de anathemate Iericho, [64] et infelix Achan, quia pallium tulit cum virga aurea et quibusdam siclis argenteis, periit ipse cum universa domo et familia sua. [65] Hinc I o a n n e s ait: *Nolite diligere mundum neque ea quae sunt in mundo . . . quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae.* [66]

**et idololatris plenus.**

Magno miraculo fecit Deus ut muri Iericho corruerent a fundamentis circumductione arcae Testamenti septem diebus, sonitu tubarum sacerdotalium et clamore populi; [67] sic praedicatione christianae fidei et Evangelii Christi corruit mundi iniquitas et idolo-

57) Cf. Dn 2, 31-33. 58) 5, 11. 59) 4 Rg 2, 19. Vulg.: *Habitatio civitatis huius*, etc.
60) 1 Io 5, 19. 61) Cf. Lc 19, 1-10. 62) Cf. Mt 20, 20-21; Mc 10, 35-37.
63) Cf. Ios 6, 23-25. 64) Cf. ibid. vrr. 18-19. 65) Cf. ibid. 7, 1 sqq.
66) 1 Io 2, 15-16. Vulg.: *Quae in mundo sunt . . . quoniam*, etc. 67) Cf. Ios 6, 12-20.

latria, quam ob causam praecipue, ut arbitror, mundus, Iericho, luna dicitur, quia lunam et astra colebat,[68] unde luna *regina coeli* appellabatur.[69] Prohibet autem Deus dari astris divinum honorem in *Deuteronomio*,[70] et Iob ait: *Si vidi solem cum fulgeret et lunam cum fulgeret clare, et laetatum*, idest deceptum *est cor meum in abscondito et osculatus sum manum meam*, idest veneratus sum ea tanquam numina, *quae est*, inquit, *iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum.*[71] Et tamen multi sunt hodie qui coelo et astris, naturae, fato, fortunae omnia tribuunt, non Deo, de quibus per Vatem Dominus: *Dereliquistis Dominum* Deum *qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunae mensam et libatis super eam.*[72]

Ideo anathematizatur a Deo.

Anathematizatur Iericho.[73] Luna est mundus iste semper in motu, patet in mundi monarchia ab Assyriis ad Persas, inde ad Graecos, postea ad Romanos, etc. Luna stultitiae hieroglyphicum est: *Stultus ut luna mutatur.*[74] Mundus stultorum cavea est, patet in hoc stultitiae et insaniae tempore carnisprivii.

Maxima est mundi paupertas.

VI. Merito mundus iste designatur per Iericho, per civitatem lunae, nullum enim astrorum in coelo luna pauperius est, nullum minus, licet ob vicinitatem luna maior stellis videatur. Mundus iste magna res videtur ob vicinitatem, quia obiecti praesentia valde movet, sicut Esau propter ientaculum contempsit deditque primogenituram.[75] Contemnitur paradisus propter mundum, coelum propter terram, cum tamen coeli comparatione terra vix punctum sit. Mundi autem paupertatem verbis assequi quis possit? Cum enim homo anima et corpore constet, quanta est paupertas earum rerum quae ad animam spectant! Paupertas sanctarum virtutum, paupertas scientiarum, sive per definitionem sive per demonstrationem acquirantur, paupertas iudicii, ingenii, memoriae, prudentiae, pulcritudinis et ornatus animi! Quanta corporis paupertas! Quanta necessitas! Paupertas virium, optimae complexionis, sanitatis, integritatis sensuum, paupertas vitae diuturnae et, cum brevissima sit, ut merito comparari possit

68) Chananaei enim hanc superstitionem Persarum et Aegyptiorum sequebantur, contra quam invehitur Ieremias 7, 18; 44, 16 sqq. 69) Ier 7, 18; 44, 17-19. 25.
70) Cf. 4, 19; 17, 2-4. 71) 31, 26-28. Vulg.: *Lunam incedentem clare... in abscondito cor meum*, etc. 72) Is 65, 11. 73) Cf. Ios 6, 26. 74) Eccli 27, 12. Vulg.: *Sicut luna.* 75) Cf. Gn 25, 29-34.

ephemero animalculo, cuius vita unico clauditur die, quot necessitatibus, incommodis, periculis obnoxia est! Quanta est paupertas consolationum, iucunditatum, deliciarum animi! Quis vivit voti compos, sua sorte contentus? Sic mundus pauperrimus, nec verum quidem lumen est, sed luminis imago, veluti in speculo lumen lunae.

Sic nec mundi vera felicitas: *Praeterit... figura mundi huius.* [76] Ficta ac picta figura et imago felicitatis est. Hinc non expletur animus bonis mundi huius, sed crescit cum facultate cupiditas. Gloria mundi huius est sicut aula regia flandricis aulaeis ex lana, serico auroque contextis, mira arte ornata, sed sub anellis nudi sunt parietes absque ullo ornamento; imo sicut ipsa aulaea non talem intus habent pulcram ornatamque faciem qualem foris ostendunt; sic valde diversa est interior animi facies mundi huius ab ea quae foris paret.

**hinc eius felicitas mendax est et miserrima.**

Aliam etiam ob causam lunae comparatur. Nam cum luna velocissime moveatur, currat, volet quasi quavis sagitta, quavis aquila infinitis pene gradibus velocius, quae tam brevi spatio temporis totum coeli circuitum peragit, totum lustrat universum, eius tamen motus oculis vix percipitur, etiam si attentissime fixis oculis eam homo contempletur – hanc ob causam antiqui finxere Dianam alatam et currum eius trahi cervis albis ob velocitatem cervorum, [77] – sic vita nostra, sic gloria mundi huius fugacissima est, nobis tamen perpetua, immortalis videtur.

**eius gloria fugacissima.**

VII. Sed adhuc alia succurrit meditatio. Quo luna maiori lumine splendere videtur, eo magis distat a sole et tunc maxime cum πανσέληνος [78] est, plena luna, tunc in periculo deliquii est si soli occurrat in capite, uti dicunt, vel [in] cauda draconis. Cum autem omnino sine lumine videtur, tunc soli coniunctissima est, tunc interior facies ipsius maximo splendore fulget. Sic utique accidit: quo homo in mundo gloriosior et fortunatior est, magis mente et cogitatione distat a Deo, quia temporalia bona multam requirunt animi sollicitudinem. Hinc ait: *Nemo potest duobus dominis servire... non potestis Deo servire et mammonae.* [79] Tunc homo in magno periculo est damna-

**Quo magis animus humanus mundo adhaeret, eo magis a Deo elongatur,**

76) 1 Cor 7, 31. Vulg.: *Huius mundi.* 77) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 3, cp. 18, pag. 223-228. 78) Ms.: *Pansilenos.* 79) Mt 6, 24; Lc 16, 13.

Ideo Christus beatos dixit mundi contemptores.

tionis arte et opera satanae: patet in Adamo, [80] in Saule, [81] Davide, [82] Salomone [83] et aliis. Iob autem in tribulatione Deo maxime se coniunctum ostendit. [84] Christus Dominus noster, cum animo interius beatissimus esset, foris tamen absque ullo gloriae splendore videbatur; non enim gloriam suam ostendebat, quam in transfiguratione manifestavit. [85] Hanc ob causam Dominus pauperes spiritu, mites, humiles, lugentes, *beatos* dixit ; [86] beatior in hoc mundo humillimus et pauperrimus Minorum Patriarcha Franciscus magno Alexandro.

Et tamen magis mundus diligitur quam Deus.

Et tamen cum ita sit, imo cum nos ita esse fide credamus, vel credere profiteamur, re tamen mundi gloriam magis quam Dei diligimus. Similes sumus infantibus, qui nutrices magis amant a quibus nutriuntur, quam matres a quibus multo magis diliguntur, a quibus geniti, procreati, in lucem editi sunt. Nos magis mundum diligimus a quo nutriti videmur, magis quam Deum a quo creati sumus, servamur et maxime diligimur. Hinc Salomon ait: *Usquequo, parvuli, diligitis infantiam?* Sed quidnam mali hinc sequitur? *Et stulti ea quae... sunt noxia cupient?* [87] Sed quod nocumentum affert haec infantia? *Aversio*, inquit, *parvulorum interficiet eos et prosperitas stultorum perdet illos.* [88] Hoc est: metus levissimarum passionum temporalium malorum, quae tamen non vera sunt mala, cum ea Christus elegerit, sed veluti puerorum terriculamenta sunt, amor etiam levissimarum rerum, quae nonnisi imaginem, imo umbram bonitatis habent, haec, inquit, in causa sunt perditionis, dum causa rerum saecularium contemnunt coelestem vitam. Unde adolescens ille ait: *Pater, peccavi in coelum et coram te :* [89] *peccavi in coelum* imprudens et pessimus rerum aestimator, terrena bona coelestibus anteposui, haec magis dilexi, haec potius concupivi, civis cum Caino primo urbium conditore, [90] non cum Abel peregrinus in mundo hoc esse volui; lunam soli praetuli, tanquam avis lucifuga, nocturna, amatrix tenebrarum, lege immunda. [91]

VIII. Quis nescit tandem quod luna, licet plena, tenebras noctis minime pellit? Quod non potest mundum divina claritate illustrare,

80) Cf. Gn 3, 1-6. 81) Cf. 1 Rg 15, 1 sqq. 82) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 83) Cf. 3 Rg 11, 1-8. 84) Cf. Iob 1, 1-2, 1 sqq. 85) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 1-6; Lc 9, 28-35. 86) Cf. Mt 5, 3-11; Lc 6, 20-22. 87) Prv 1, 22. 88) Ibid. vr. 31. 89) Lc 15, 18. 21. 90) Cf. Gn 4, 17. 91) Cf. Lv 11, 13-19.

Tandem mundana felicitas multorum est in causa malorum.

licet innumero stellarum exercitu comitata? Hoc unus tantum sol potest praestare. Si per diem homo iter agat, nihil timet; si autem per noctem, licet sereno coelo et plena luna, non sine timore ambulat; diurna lux omnem adimit timorem, nocturna vero, tanquam imperfecta et umbratilis, minime. Notum est etiam quod luna saepe multorum est causa malorum, multas gignit aeris perturbationes, pluvias, ventos, nives, pruinas, multa damna affert in terra et in mari; saepe ob multam humoris copiam gravium infirmitatum causa est, contagia et pestes inducit, [92] unde ab antiquis Diana pingebatur venatrix cum arcu et sagittis persequens in montibus silvisque feras. [93] Sic mundi felicitas multorum est in causa malorum, multas gignit perturbationes propter invidiam, multa bella et lites propter insatiabilem cupiditatem, multa scandala propter inexplebilem luxuriam, et, interveniente superbia, honoris causa quot mala a magnis fiunt in mundo! Luna humoris causa, ob multam humoris copiam inducit inertem pigritiam et humanum cerebrum valde laedit, ut patet in lunaticis et amentibus, luna enim plena male afficiuntur; [94] laedit etiam memoriam et oblivionem inducit; sic humana prosperitas inducit otium, malorum omnium seminarium, laedit cerebrum ne Deum bonorum omnium largitorem agnoscamus, inducit oblivionem Dei, sic enim Ephraim et Manasses, abundantia et oblivio, simul manent. [95] Salomon a Deo petebat ne sibi divitiarum abundantiam daret, *ne forte*, inquit, *satiatus illiciar ad negandum et dicam: Quis est Dominus?* [96] Sic Moyses: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Dominum... oblitus* est *Domini creatoris* sui. [97]

O utinam, fratres, huic Iericho terga dantes, cum Christo hodie sacram peregrinationem instituamus in Ierusalem, in coelestem patriam! *Non... habemus hic civitatem permanentem*, etc. [98]

Mundus si quid boni habet, a Deo est.

IX. Scitum etiam illud est quod luna suapte natura nil lucis habet, a sole suscipit lucem omnem. Lux oculos et corda hominum

92) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 110, a. 3, ad 1; 2ª 2ªᵉ, q. 2, a. 3; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 1, cp. 18, col. 43; lib. 20, cp. 7, col. 1103; Beyerlink *Theatrum Vitae Humanae* sub verbo: *Luna.* 93) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 3, cp. 18, pag. 223-228.
94) Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 6, cp. 9, col. 282. 95) Sic latine haec nomina interpretantur. 96) Prv 30, 9. 97) Dt 32, 15-18. Vulg.: *Dereliquit Deum*, etc.
98) Hebr 13, 14. Vulg.: *Manentem civitatem.*

valde laetificat. Nihil habet in se mundus iste quod hominum corda laetificare possit; si quid habet, a Deo est: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* [99] Mundum Deus in tenebris obscurum creavit, postea lucem produxit, [100] ut sciamus quod mundus non a se lucem corda hominum laetificantem habet, sed a Deo. Quis autem adeo caecus est ut non videat quod, si quid boni est in mundo, totum descendit de coelo? Quid boni haberet mundus nisi de coelo lumen solis et pluvia descenderet? Coelum igitur totius bonitatis thesaurus est, bona mundi huius veluti micae et reliquiae sunt mensae coelitum, sicut de coelo pluit Deus fidelibus suis panem Angelorum, cum peregrinarentur in deserto; [101] coelum fons est perennis omnium bonorum. Non ignoramus magnam illam famem et summam rerum caritatem, quando ad iussum Eliae clausum fuit coelum et tribus annis ac sex mensibus pluviam non dedit nec rorem. [102]

Vera ergo bona in coelo sunt et in coelo quaerenda,

Si igitur in coelesti Ierusalem sunt vera bona, vera, perfecta, summa felicitas, ascendamus cum Christo in Ierusalem: *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Innatum est in cordibus nostris desiderium felicitatis; nemo est hominum qui non desideret pervenire ad aliquem vitae statum, in quo laetus et contentus vivat, absque ullo incommodo. Vitae autem talis status in praesenti saeculo reperiri non potest; quod ergo in mundo invenire non possumus, quaeramus in coelo, in paradiso, in Deo. Si tantopere nobis placet lux, an non multo maior est lux diurna quam nocturna? lux solis quam lux lunae?

quae sola cor humanum perfecte satiare possunt.

Non prohibet nobis Deus felicitatem, delicias, voluptates desiderare, quoniam ad felicitatem nos condidit, sed iubet desiderare coelestem felicitatem, bona coelestia, cuius beatitudinis comparatione omnis mundana felicitas nocturna lux est clarissimae luci diei comparata, lux lunae soli collata. Regius Vates ait quod Deus fecit *solem in potestatem,* idest dominium *diei... lunam et stellas in potestatem noctis,* [103] idest ut noctem illustrarent. Quoniam imperfectum est lumen lunae, adiunxit Deus splendorem stellarum; nec tamen una cum tot stellarum splendoribus potest clara luce aerem illustrare, ita ut sit nox sicut clarus dies; adhuc tenebrae regnant

99) Iac 1, 17. 100) Cf. Gn 1, 1-5. 101) Cf. Ex 16, 14 sqq. 102) Cf. 3 Rg 17, 1; Lc 4, 25; Iac 5, 17. 103) Ps 135, 8.

cum tot luminibus, nam *tenebras* appellavit *noctem;* [104] sol autem, quoniam perfectam habet lucem, solus diem clarissime illustrat. Sic mundus iste cum omnibus creaturis non potest hominum cor perfecte laetificare; hoc solus Deus potest sui luminis, idest beatitudinis suae perfecta participatione. Quis nescit quod Adam mundi totius dominus constitutus, non fuit sua sorte contentus, sed divinitatem ipsam concupivit? [105] Cor humanum infinitae capacitatis est.

**Ad haec tendere debemus per viam regiam divinae caritatis.**

O utinam, fratres, nos ad hanc divinitatis lucem cum Christo tendamus per viam regiam divinae caritatis, ita ut Deum vere ex toto corde diligamus! Nam qui perfecte diligit, animus nonnisi unum diligere potest, sicut sponsa nonnisi sponsum suum; si alium diligit, non vere sponsum diligit. Quis autem nescit quam naturale sit bona diligere, et vera, non ficta bona? Et quomodo naturaliter quae meliora et maiora sunt magis diligimus? Plus argentum quam aes? plus aurum quam argentum et maiorem auri copiam magis diligimus? Aurum autem chymicum, adulterinum, minime appetimus. Si coelestia meliora et maiora sunt quam mundana, cur non magis diligimus? Si natura ad hoc conditi sumus ut meliora semper diligamus, ut quid naturae ipsius ordinem invertimus? *Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* [106] Qui *diligit mundum, non est caritas Dei in illo.* [107]

**Luna figura est Ecclesiae et synagogae.**

X. Luna in Sacris Litteris hieroglyphice multa significat, praecipue vero aliquando Ecclesiam, quae dicitur *pulcra ut luna,* [108] et *luna perfecta in aeternum;* [109] aliquando synagogam, quae est luna sub pedibus coelestis mulieris, [110] de qua etiam legimus: *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis, donec auferatur luna.* [111] Iosue, transmisso Iordane, venit in Iericho, [112] sic Christus post baptismum venit ad praedicandum synagogae. [113] Terra Iericho sancta et veneratione digna erat, nam cum Archangelus Michael, qui *princeps exercitus Domini* dicitur, apparuisset ibi Iosue ex parte Dei, dixit illi: *Solve... calceamenta... de pedibus tuis,* [114] sicut Dominus Moysi

104) Gn 1, 5. 105) Cf. ibid. vrr. 28-30; 3, 1-6. 106) Ps 4, 3. 107) 1 Io 2, 15. Vulg.: *Caritas Patris in eo.* 108) Ct 6, 9. 109) Ps 88, 38. 110) Cf. Apc 12, 1. 111) Ps 71, 7. 112) Cf. Ios 3, 1 sqq. 113) Cf. Mt 2, 13-16; 3, 23; Mc 1, 9-15; Lc 3, 21; 4, 15. 114) Ios 5, 14-15. Vulg.: *Calceamentum,* etc.

dixit; [115] sic utique synagoga sancta erat; Iericho divinitus eversa fuit, sic et synagoga; pauci salvati fuerunt ex ruina Iericho, [116] sic ex Iudaeorum synagoga. Metalla omnia, quae reperta fuerunt in Iericho, reposita fuerunt in thesauris Domini; sic meliora quaeque ex synagoga in Ecclesiam: cultus Dei, Scripturarum intelligentia, boni mores, oratio, ieiunium, eleemosyna, vota, sacrae festivitates et alia huiuscemodi.

sed praecipue figura est vanitatis bonorum mundi:

Sed, postremo, luna mundum significat ratione mutabilitatis et inconstantiae. Luna infirmum est astrum, unde a Pythagoricis dicta fuit terrestre coelum, sive terra coelestis; [117] sic bona mundi huius infimae sunt conditionis, propterea Christus bona mundi huius ex alto contempsit, adeo ut potius mala elegerit mundi huius: *Filius hominis tradetur ... ad illudendum et flagellandum et crucifigendum ;* sed: *Oblatus est quia ipse voluit.* [118] Sapientissimus Salomon, cum experimento probasset vanissima esse mundi huius bona, non solum saepe saepius dixit vana esse omnia et ipsissimam vanitatem, quoniam Cain et Abel fratres sunt, possessio et vanitas, [119] sed praetulit fletum laetitiae et risui, aliquando etiam mortem ipsam vitae: *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum ... Melior est ira risu ... cor sapientium ubi tristitia ... et cor stultorum ubi laetitia ;* [120] imo ait: Melior *dies mortis die nativitatis,* [121] et: *Laudavi magis mortuos quam viventes.* [122]

sol autem hieroglyphicum Dei,

*Ecce ascendimus Ierosolymam,* civitatem Dei, [123] qui *lucem inhabitat inaccessibilem,* [124] ad civitatem solis, transimus a luminari minori ad luminare maius, a luce nocturna ad divinam, a lumine lunae ad lucem solis. Sol iste thesaurus et fons lucis, pulcritudo et decor universi, oculus mundi, cor coeli, corona stellarum, sponsus naturae, pulcherrimum est divinae naturae hieroglyphicum. [125] Orphaeus appellavit eum oculum coeli, [126] Euripides lampadem Dei, [127] Democritus natum se dixit videndi solis causa, [128] Plato autem

115) Cf. Ex 3, 5; Act 7, 33. 116) Cf. Ios 6, 20-25. 117) Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 1, cp. 4, col. 14; cp. 15, col. 37. 118) Is 53, 7. 119) Cf. Gn 4, 1-2. Sic latine haec nomina interpretantur. 120) Eccle 7, 3-5. 121) Ibid. vr. 2. 122) Ibid. 4, 2. 123) Cf. Ps 45, 5; 47, 2. 9; Is 60, 4. 124) 1 Tim 6, 16. 125) De laudibus solis cf. Lud. Caelius. *Lect. Antiq.*, lib. 24, cp. 14, col. 1345-1346. 126) *Hymni*, vrr. 1-10, pag. 280-283. 127) In *Phoetonte*, vr. 23. 128) Putamus

imaginem et simulacrum Dei appellavit.[129] Sic in Sacris Litteris [Deus] dicitur *Pater luminum : Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Sic R e g i u s V a t e s : כִּי שֶׁמֶשׁ וּמָגֵן יְהוָה אֱלֹהִים:[130] *Sol et scutum Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus ; non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia ; Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te ;*[131] et alibi: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.*[132]

Sol Deus est, thesaurus infinitus, fons perennis et aeternus omnis lucis, omnis bonitatis, quoniam lux symbolum et hieroglyphicum bonitatis est: וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־הָאוֹר כִּי־טוֹב:[133] *Vidit Deus lucem quia bonum, quia bonitas*, sive quia pulcrum, vel pulcritudo, טוב enim Hebraeis b o n u m et p u l c r u m significat, propterea Deus appellatus est metaphorice *sol*[134] et mundus *luna*, quae a sole lumen omne accipit, sed superficiale, quam tenuissimum, licet magnum videatur. Sic mundi gloria est: licet magna videatur,[135] tamen tenuissima est, sicut vestis, licet aurea videatur, si tamen culicis aculeo perforatur, ita ut carni infigatur aculeus et molestiam afferat, tenuissimam necesse est vestem illam esse.

qui est fons omnis bonitatis.

Magna videbatur gloria et felicitas Aman principis, qui in curia Assueri regis et imperatoris totius orientis primum locum tenebat; sed minima molestia affectus in maximam incidit infelicitatem, ita ut in infami patibulo vitam reliquerit.[136] Sicut unius dissonantia in musica totum concentum corrumpit, sicut dolor unius dentis sanitatem corporis destruit, ita minima molestia hominis in hoc mundo felicitatem in nihilum fere reducit.

Misera est felicitas mundi

S. Auctorem in errorem lapsum esse, hoc enim non de Democrito, sed de Anaxagora refert Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 2, pag. 63. 129) Lib. 31, *De Republica*, dial. 6, pag. 352-353; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 24, cp. 14, col. 1345. In margine haec adiecta fuerunt: « Graeci Phoebum appellarunt quasi *phos tu biu*, lumen vitae, fucina nanque est lucis et caloris vitalis. R e g i u s V a t e s solem appellavit habitatorem coelorum: *Lascemech sam hoel bael*, pulcherrimum naturae sponsum, fortissimum gigantem, mensuram temporum per circularem motum et fucinam ignis vitalis: *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo ; exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius.* M a l a c h i a s Deum iustitiae solem appellavit. Christus Dominus ut ostenderet divinitatem suam speciem assumpsit lucis solaris ». 130) Ms.: *Chi scemesc umaghem iehovah elohim.*
131) Ps 83 (hebr. 84), 12 sq. 132) Ps 35, 10. 133) Ms.: *Vaiar elohim et haor chi tob*, et infra: *Tob.* 134) Cf. Mal 4, 2. 135) Ms.: *Videbatur.* 136) Cf. Est 3, 1-3; 5, 9-13; 7, 6 sqq.

et brevissima.

Sed brevissima etiam est mundi felicitas, brevissimo nanque spatio luna cursum peragit suum, uno tantum mense, unde a luna Hebraei m e n s e m appellant; sicut enim luna ירח dicitur, ita et mensis; licet etiam חדש [137] appelletur, sed a novitate lunae, quoniam apud eos luna nova novus incipit mensis. [138] Sic brevissimo termino clauditur mundana felicitas, sicut et vita brevissima est, fulgur in ictu oculi transiens et evanescens: *Omnis caro foenum et omnis gloria eius sicut flos foeni ; exiccatum est foenum et cecidit flos.* [139]

Exemplo suo Christus nos movet ad contemptum temporalium et ad desiderium aeternorum bonorum.

XI. *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Peregrinatio ista non fit pedibus corporis, sed affectibus animi. Quid igitur est ista peregrinatio? Contemptus temporalium et ardens desiderium aeternorum bonorum, aversio animi a commutabili ad incommutabile bonum se convertens, iter ab Aegypto in terram promissionis. Sed ad hoc animus noster calcaribus eget. Hinc Christus voluit suo nos commovere exemplo, et in hoc sacro itinere loquitur de sua passione et morte sua et de sua resurrectione. Haec sunt calcaria, haec motiva et incentiva animi ad mundi contemptum et desiderium aeternorum: adversitatum perpessio, mors finis praesentis vitae, resurrectio ad aeternam et immortalem vitam.

Deus voluit praesentem vitam miseriis plenam esse, ut ad desiderium vitae aeternae urgeremur.

Quaerit Epicurus apud C i c e r o n e m : Si Deus nostri causa omnia fecit, ad quid viperas procreavit? [140] Utique nostri causa voluit Deus vitam hanc multis molestiis plenam esse, ut hae ipsae molestiae ad desiderium melioris vitae immortalis et aeternae in coelo nos urgerent et provocarent; nam hanc ob causam voluit Hebraeos in Aegypto gravissimam tyrannidem et durissimam servitutem sustinere, [141] ut facile ac libenter Aegyptum relinquere et ad promissionis terram contendere vellent. Habitatio terrae Iericho bona, aquas pessimas habet. Quis non facile domum, possessionem aut aliud quidvis cum multo meliori magna cum usura commutabit? Quis non desiderat incommodis liberari? Quis non libenter aes cum argento commutabit? panem hordeaceum cum triticeo? lutum cum

137) Ms.: *Ierach*, et: *Codesch*. 138) Cf. Sanctes Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub radice: חדש. 139) Is 40, 6-7. Vulg.: *Quasi flos agri*, etc. 140) *Acad. Quaest.*, lib. 4, t. 4, col. 48. 141) Cf. Ex 1, 8 sqq.; 5, 5 sqq.

argento et auro lapidibusque pretiosis? Sic Deus vult ut terrena cum coelestibus, mundana cum divinis donis commutemus. Ioseph cupiebat egredi de carcere et hanc ob causam supplex rogavit pincernam Pharaonis, quoniam in carcere multa patiebatur. [142] Cum in terra Chanaan et universa Palaestina magna esset fames et annonae caritas, Iacob cum filiis suis invitatus a Ioseph ut in Aegyptum abiret, ubi erat frumenti copia, facile reliquit terram Chanaan, domos et possessiones et abiit in Aegyptum. [143] Si nos multa in hoc mundo patimur, cur in coelum abire non desideramus, ubi nihil penitus est quod molestiam nobis afferre possit?

Cogitatio mortis etiam facile movet animum ad contemptum mundi.

Loquitur etiam Dominus de morte. Fratres mei, facile contemnit omnia qui moriturum se cogitat. [144] Quid proderunt in morte omnia bona mundi huius? quid divitiae? quid honores? quid voluptates? Cum suppetunt harum rerum desideria, cogita finem: quid inde? Cogita te assecutum omnia quae unquam in optatis habueris: quid inde? Sic meditans passionem et mortem suam Christus peregrinationem suam in sanctam civitatem Ierusalem prosequebatur. Sed adiunxit etiam meditationem resurrectionis ad vitam immortalem et aeternam in coelis. Quidam philosophus disputans de immortalitate animae dicebat quod illi qui animam immortalem faciebant, non credebant quod affirmabant, nam alioquin mortem non timerent, si meliorem sui partem immortalem existimarent; [145] nam Socrates disputans de animae immortalitate laetus cicutam bibit et tanquam cygnus cum laetitia cantans mortem obivit. [146]

desiderium et spem excitando vitae aeternae in coelo.

Ego similiter dicam, fratres, quod si nos vere vitam aeternam bonis omnibus cumulatissimam crederemus in coelis, facili negotio mortalem hanc contemneremus in terris, libentissime commutaremus desertum hoc, vallem hanc lacrimarum cum paradiso voluptatis et omnium deliciarum. Quam dulces fuerunt Stephano Protomartyri lapides, cum vidisset coelum apertum et gloriam Dei! [147] Quam dulces persecutiones pro Christo toleratae Paulo, cum raptus fuisset in paradisum et vidisset gloriam Beatorum Dei ineffabilem et incomprehensibilem! [148]

142) Cf. Gn 40, 5-15. 143) Cf. ibid. 45, 1-46, 1-6. 144) Cf. S. Hieronymus Epist. 53, (P. L. 22, 549). 145) Quisnam sit iste philosophus, invenire non potuimus. 146) Cf. Plato lib. 29, *Phaedo* vel *De Anima*, pag. 283-300. 147) Cf. Act 7, 55 sqq. 148) Cf. 2 Cor 12, 2-4.

Omnes peregrini sumus in hoc mundo, quia mortales;

XII. *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Peregrinus ostenditur Christus, sed sanctus, in sanctam civitatem Ierusalem. Omnis homo peregrinus est, quia homo omnis mortalis natus est: *Omnes morimur et sicut aquae dilabimur . . . quae non revertuntur.* [149] Sed non omnis homo peregrinus sanctus est. Peregrinus sanctus Abel, non Cain qui civitatem aedificavit in terra. Omnes homines peregrini sunt in mundo, sed hi cum Christo peregrinantur a Iericho in Ierusalem, illi autem cum Adamo ab Ierusalem in Iericho; hi ascendunt cum Christo diligentes coelestia et divina, illi descendunt cum Adamo diligentes mundana et terrena. Omnes peregrini sumus, sed non omnes eiusdem civitatis cives: hi quidem cives sunt Ierusalem cum Christo principe paradisi, illi vero cives sunt Babylonis cum Lucifero principe inferni. Via ducens ad civitatem Ierusalem caritas est, via ducens in Babylonem cupiditas; illa via spiritus est, haec via carnis. Dicas mihi, homo: peregrinus cum sis, per quam viam ambulas? Ascendis in Ierusalem, an descendis in Iericho?

sed duplex est terminus peregrinationis: Ierusalem vel Babylon;

via ad Ierusalem caritas est, ad Babylonem cupiditas.

Christus in fine huius peregrinationis susceptus fuit in Ierusalem magno cum honore. [150] Sic et mendicus ille Lazarus: *Factum est . . . ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae.* [151] Sed non sic epulo: *Mortuus est . . . dives:* ecce finis peregrinations, *et sepultus est in inferno:* [152] ecce civitas Babylonis.

Christum sequamur fide, devotione et spiritus fervore.

O felicem hodie caecum Bartimaeum illuminatum a Christo, qui cum prius, quandiu caecus mansit, civis esset Iericho, illuminatus a Christo, factus fuit cum Christo peregrinus in Ierusalem, comes sanctae peregrinationis, sanctus peregrinus: *Sequebatur illum magnificans Deum!* [153] Ille vere peregrinus sanctus est qui Christum sequitur peregrinum in Ierusalem fide plenus et devotione, magno spiritus fervore. Quisquis civis est Iericho, caecus est, ideo amat mundi huius bona, quia meliora non novit, *quae praeparavit Deus diligentibus se.* [154] Sed Deus non vult in paradiso caecos, ait enim: *Caecus et claudus non ingredietur in templum.* [155]

149) 2 Rg 14, 14. Vulg.: *Quasi aquae*, etc. 150) Cf. Mt 21, 1-9; Mc 11, 1-11; Lc 19, 29-38; Io 12, 12-14. 151) Lc 16, 22. 152) Ibid. 153) Ibid. 18, 43. 154) 1 Cor 2, 9. Vulg.: *Qui diligunt illum.* 155) 2 Rg 5, 8. Vulg.: *Non intrabunt in templum.*

# ADVENTUS SECUNDUS

## DOMINICA PRIMA

I. Fabricator qui sua tum artis scientia tum virium potestate potuit domum construere, poterit profecto et multo facilius destruere, cum multo plura requirantur ad construendum quam ad destruendum. Quod si Deus omnipotenti virtute sua tanquam summus artifex potuit hunc mundum, coelum et terram et omnia quae in eis sunt ex nihilo creare, poterit procul dubio, cum voluerit, in nihilum etiam redigere. Quare docet Dominus noster in sacrosancto hodierno Evangelio quod, sicut mundus hic principium habuit a Deo, finem quoque ab ipsomet Deo habiturus [est],[1] sicut videmus quod quaecunque natura generantur, natura etiam corrumpuntur, et omnia quae nascuntur, ad mortem interitumque pergunt omniaque aedificata destruuntur: *Tempus nascendi et tempus moriendi;*[2] nascitur homo et tandem moritur. Sicut autem ante mortem ad finem vitae deveniens dat signa mortis in oculis aliisque sensibus corporis, sic Christus ait: *Erunt signa in sole et luna et stellis.*[2a] Sic Christus hodie vaticinatur de mundi fine ac de signis quae praecessura sunt.

**Mundus sicut principium habuit, ita et finem habiturus est.**

***Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris... arescentibus hominibus prae timore, etc.***[3]

II. Inter duodecim fidei nostrae articulos, qui sunt duodecim lapides pretiosi in *Rationali* summi sacerdotis,[4] duodecim lapides

**Articulus de secundo Christi adventu**

1) Ms.: *Habiturum.* 2) Eccle 3, 2. 2a) Lc 21, 25. 3) Pericope huius diei Lc 21, 25-33. Cf. Missale Rom. 4) Cf. Ex 28, 15-21; 39, 8-14.

principalissimus est inter duodecim articulos fidei,

educti ex alveo Iordanis, [5] duodecim boves aenei sustinentes mare aeneum in templo Salomonis, [6] duodecim panes propositionis, [7] duodecim portae civitatis Ierusalem [8] et duodecim stellae in capite coelestis mulieris, [9] articulus secundi adventus Christi in mundum ad iudicandum, sicut primus fuit ad salvandum, secundi in maiestate, sicut primus fuit in humilitate, secundi qui totus erit in gloria divinitatis, sicut primus totus fuit in mansuetudine humanitatis, hic, inquam, articulus principalissimus est, uti est ultimus, tanquam dilectissimus Beniamin in duodecim filiis Iacob. [10] Nam hic solus videtur omnes alios continere, sicut denarius omnes numeros, coelum supremum omnes alios coelos, homo in virtute omnes alias creaturas, unde ultimus omnium creatus formatusque fuit princeps. [11]

quia in hoc uno omnes continentur,

idest articulus Trinitatis, mundi creationis,

Hic enim manifestabitur divinitas Christi et per consequens tota Trinitas: *Videbitis*, inquit, *Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli.* [12] Hinc apud Danielem legimus primo, quod *throni positi sunt et Antiquus dierum sedit*, et deinde, *quasi Filius hominis in nubibus coeli ... usque ad Antiquum dierum pervenit.* [13] Tunc coram universo mundo dicet Deus Pater Christo: *Sede a dextris meis,* [14] ostendens Christum sibi esse aequalem; et sicut Isaiae visus est Christus in gloria divinitatis inter duos Seraphim, [15] sic videbitur in die iudicii Christus inter Patrem et Spiritum Sanctum, qui summi sunt Seraphim igne caritatis ardentes. Hic manifestabitur articulus creationis mundi, tunc enim recreabitur mundus: *Ecce nova facio omnia;* [16] erunt *coeli novi et terra nova,* [17] et, ut Isaias ait, *erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis ... septempliciter, sicut lux septem dierum.* [18] Hic manifestabitur articulus incarnationis, cum videbitur humanitas assumpta divinitatique unita, infinita deitatis gloria resplendens; hic Christi nativitas, cum eius Mater a dextris eius videbitur: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate;* [19] hic eius passio, nam: *Parebit signum Filii hominis,* [20] idest crux Christi in coelo, et in manibus, pedibus et latere eius cicatrices videbuntur plagarum tanquam

Christi incarnationis, et nativitatis,

passionis et resurrectionis,

5) Cf. Ios 4, 2-8. 6) Cf. 3 Rg 7, 23-25; 2 Par 4, 2-15. 7) Cf. Lv 24, 5-8. 8) Cf. Apc 21, 10-13. 9) Cf. ibid. 12, 1. 10) Cf. Gn 44, 20 sqq. 11) Cf. ibid. 1, 26-30. 12) Mt 26, 64. 13) 7, 9. 13. Vulg.: *Cum nubibus coeli quasi Filius*, etc. 14) Ps 109, 1. 15) Cf. Is 6, 1-3. 16) Apc 21, 5. 17) Is 66, 22. 18) 30, 26. 19) Ps 44, 10. 20) Mt 24, 30.

stellae; hic eius resurrectio, nam videbitur vivus qui fuit mortuus [21] et videbitur in gloria in qua resurrexit, sole multo splendidior ac gloriosior; hic eius ascensio, cum videbitur de coelo descendere: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet*, etc.; [22] *Omnes Angeli* eius *cum eo;* [23] hic tandem videbitur paradisus Dei cum omnibus Angelis, hic infernus cum omnibus daemonibus; hic Ecclesia Christi omnesque electi, synagoga satanae omnesque reprobi.

**paradisi et inferni.**

Quare etsi omnes articuli fidei panes sunt salutares et verba vitae aeternae, hic tamen panis saluberrimus est, si quis tanquam ovis Christi et mundum animal cibum hunc ruminet. [24] Homo enim ad bene operandum movetur vel virtutis amore vel formidine poenae [25] vel spe praemii motus, uti qui in stadio currunt ad accipiendum bravium et qui in agone contendunt ad accipiendam coronam [26] pro viribus laborant omnesque nervos intendunt. Sed hic ostenditur qualis quantaque sit virtutis pulcritudo, honor, voluptas atque utilitas, quanto eam Deus honore et praemio afficiat, et, e contra, qualis quantaque sit vitiorum poena, quae qualiaque improbos supplicia maneant, adeo ut lapidea, marmorea, adamantina corda moveri possint consideratione iudicii ad virtutem sequendam; siquidem paradisus universus, universa sanctorum Angelorum Deique ipsius infinita gloria virtutis praemium est, infernus autem, daemonum societas omniaque tormenta diaboli vitii poena.

**Ideo huius articuli meditatio valde efficax est ad bene operandum.**

III. Hinc in Divinis Scripturis nullum est fidei nostrae mysterium tantopere praedicatum ac istud, de quo saepissime loquuntur utriusque Testamenti paginae. De hoc M o y s e s ait: *Videte quod ego sim solus et non est alius Deus praeter me; ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere. Levabo ad coelum manum meam et dicam: Vivo ego in aeternum! Si acuero ut fulgur gladium meum et arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis et his qui oderunt me retribuam.* [27] De hoc Anna mater Samuelis: *Dominus iudicabit fines terrae et dabit imperium regi suo et sublimabit cornu Christi sui.* [28]

**Mysterium hoc supra cetera praedicatur in Veteri Testamento**

21) Cf. Apc 1, 18. 22) Act 1, 11. 23) Mt 25, 31. 24) Alludit ad legem de animalibus mundis. Cf. Lv 11, 1 sqq. 25) Ex Horat. *Epist.*, lib. 1, epist. 16, vrr. 52-53. 26) Cf. 1 Cor 9, 24-25. 27) Dt 32, 39-41. Vulg.: *Et non sit alius Deus*, etc. 28) 2 Rg 2, 10.

De hoc R e g i u s V a t e s : *Iudicabit orbem terrae in aequitate et populos in veritate sua ;*[29] et iterum: *Iudicabit orbem terrarum in iustitia et populos in aequitate.*[30] De hoc I s a i a s : *Ecce Dominus in igne veniet et quasi turbo quadrigae eius ; reddere in indignatione furorem suum et increpationem suam in flamma ignis ; quia in igne Dominus iudicabit et in gladio suo ad omnem carnem.*[31] De hoc I e r e m i a s : *Ecce turbo Domini furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquiescet. Non avertet iram indignationis Dominus, donec faciat et compleat cogitationem cordis sui ; in novissimo dierum intelligetis ea.*[32] De hoc D a n i e l : *Iudicium sedit et libri aperti sunt.*[33] De hoc S o p h o n i a s : *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est et velox nimis ; vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis, dies tubae et clangoris super civitates munitas*, etc.;[34] et iterum: *Argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos in die irae Domini; in igne zeli eius devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram;*[35] et adhuc idem: *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meae in futurum, quia iudicium meum ut congregem gentes et colligam regna et effundam super eos indignationem meam* et *omnem iram furoris mei, in igne enim furoris mei devorabitur omnis terra.*[36] De hoc I o e l : *A facie eius contremuit terra, moti sunt coeli, sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum*, etc.[37] Et tandem, ne omnes recenseam et mare velim vasculo concludere, M a l a c h i a s ait: *Dies* Domini *veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi et omnes facientes iniquitatem stipula et inflammabit eos dies veniens.*[38]

et in Novo, maxime in Evangelio,

In Novo autem Testamento de hoc iudicio saepissime locutus est Christus: in parabola decem virginum,[39] in parabola decem minarum,[40] in alia quinque talentorum,[41] in parabola zizaniorum,[42] in parabola sagenae missae in mare,[43] in parabola decem millium

29) Ps 95, 13. 30) Ps 97, 9. 31) 66, 15-16. Vulg.: *Dominus diiudicabit.*
32) 30, 23 sq. 33) 7, 10. 34) 1, 14-16. 35) Ibid. vr. 18. 36) Ibid. 3, 8.
37) 2, 10. 38) 4, 1. Vulg.: *Facientes impietatem*, etc. 39) Cf. Mt 25,1-13.
40) Cf. Lc 19, 13-27. 41) Cf. Mt 25, 14-30. 42) Cf. ibid. 13, 24-30. 43) Cf. ibid. vrr. 47-49.

talentorum,[44] in parabola regalium nuptiarum unde eiectus fuit non habens vestem nuptialem,[45] et sine parabolis multis in locis verbis claris et apertis, uti quod reddenda sit ratio de omni verbo otioso in die iudicii,[46] quod in die iudicii surget regina Austri et viri Ninivitae contra Iudaeos,[47] maxime vero apud M a t t h a e u m: *Cum... venerit Filius hominis,*[48] etc., et apud L u c a m: *Sicut fuit in diebus Noe et in diebus Loth... secundum haec erit qua die Filius hominis revelabitur.*[49]

Et quidem facilius esset stellas coeli numerare quam loca Divinarum Scripturarum recensere, in quibus Moyses et Prophetae, Christus et Apostoli de futuro universali iudicio locuti sunt. Nec immerito, sed quia in hoc mysterio veluti in mirabili quadam ἀνακεφαλαίωσι[50] continetur atque proponitur et credenda omnia et speranda, diligenda, facienda et fugienda, in quibus nostra salus consistit, si in his nihil peccemus.

continet enim omnia facienda et fugienda ad aeternam salutem consequendam.

IV. De hoc itaque secundo adventu suo Christus et de futuro universali iudicio verba faciens in sacrosancto hodierno Evangelio dicit multa signa atque portenta fore iudicium praecessura: *Erunt signa in sole et luna et stellis.* M o y s e s dixit luminaria haec a Deo facta esse in signa: *Fiant,* inquit, *luminaria in firmamento coeli et dividant diem ac noctem et sint in signa et tempora et dies et annos.*[51] Christus autem declarat esse haec in signa non tantum naturalium, sed etiam supernaturalium rerum. Naturalium quidem, quoniam signa sunt horarum, dierum, mensium temporumque: veris, aestatis, autumni et hiemis; signa temporum aptorum vel ineptorum nautis ad navigandum, agricolonis ad seminandum, plantandum, inserendum atque metendum, medicis ad curandum, omnibusque mortalibus signa praebent apti vel inepti temporis ad sua opera peragenda. Supernaturalia vero, sicut hic Dominus ait: *Erunt signa in sole et luna et stellis;* signa, inquam, supernaturalia, uti legimus in Aegypto obscurata fuisse omnia luminaria coeli, adeo ut per trium dierum spatium factae fuerint Aegyptiis palpabiles tenebrae;[52] uti Iosue

Christus signa enunciat universale iudicium praecessura,

naturalia

et supernaturalia,

44) Cf. ibid. 18, 23 sqq. 45) Cf. ibid. 22, 1-14. 46) Cf. ibid. 12, 36.
47) Cf. ibid. vrr. 41-42. 48) Ibid. 25, 31. 49) 17, 26-30. Vulg.: *Sicut factum est,* etc.
50) Ms.: *Anachephaleosi.* 51) Gn 1, 14. 52) Cf. Ex 10, 21-23.

per spatium unius diei immobilem stare fecit in coelo solem et lunam;[53] uti Ezechiae datum fuit ab Isaia signum in sole per decem gradus decemque horas contra naturalem cursum retrocedente;[54] sicut in passione Domini supra naturae ordinem sol eclipsatus est dieique lux in nocturnas tenebras fuit conversa.[55] Sic ait: *Erunt signa in sole et luna et stellis*, nam, ut Matthaeus[56] ait, *sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stellae cadent de coelo.*[57] Sic

etiam a Prophetis praedicta.

enim et apud Isaiam legimus: *Ecce dies Domini veniet crudelis et indignationis plena ... furorisque ad ponendam terram in solitudinem et peccatores eius conterendos de ea. Quoniam stellae coeli et splendor earum non expandent lumen suum; obtenebratus est sol in ortu suo et luna non splendebit in lumine suo;*[58] et apud Ezechielem: *Operiam, cum extinctus fueris, coelos et nigrescere faciam stellas eius; solem nube tegam et luna non dabit lumen suum; omnia luminaria coeli moerere faciam.*[59] Sic apud Ioelem: *Contremuit terra, moti sunt coeli, sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum;*[60] itemque idem: *Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.*[61] Sic et Amos: *Et erit in die illa, dicit Dominus ... occidet sol in meridie et tenebrescere faciam terram in die luminis, et convertam festivitates vestras in luctum et ... cantica vestra in planctum.*[62] Id vero ait Vates, quoniam ait Dominus apud Lucam: *Sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus Filii hominis: edebant et bibebant, uxores ducebant et dabantur ad nuptias, usque in diem qua intravit Noe in arcam, et venit diluvium et perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Loth: edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et aedificabant; qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem et sulphur de coelo et omnes perdidit.*[63] Sic et Paulus ait *1 Thessalonicensibus: Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient.*[64]

53) Cf. Ios 10, 12-13. 54) Cf. 4 Rg 20, 9-11; Is 38, 7-8. 55) Cf. Mt 27, 45; Mc 15, 33; Lc 23, 45. 56) Ms.: *Lucas.* 57) 24, 29. 58) 13, 9-10. Vulg.: *Indignationis plenus*, etc. 59) 32, 7-8. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Coelum et nigrescere*, etc. 60) 2, 10. 61) Ibid. vr. 31. 62) 8, 9-10. 63) 17, 26-29. 64) 5, 2-3.

V. Quare signa haec in ipsomet die iudicii erunt. Sicut enim Dominus veniens daturus legem, ad terrendos Hebraeos magna cum tempestate et tremenda maiestate venit,[65] sic utique veniet ad iudicandum, ut Regius Vates ait: *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet et in circuitu eius tempestas valida;*[66] et alibi: *Nubes et caligo in circuitu eius, iustitia et iudicium correctio sedis eius. Ignis ante ipsum praecedet et inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terrae, vidit et commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini.*[67] Sic terribilia et horribilia nimium signa vindictae, irae et furoris Domini conspicientur in coelo.

Erunt signa irae et vindictae Dei, ideo terribilia et horribilia.

*Sol*, inquit, *obscurabitur*, non quidem sicut luna, quae, adveniente sole, maiori lumine victa, obscurari videtur, sicut dicere videtur Isaias: *Erubescet luna et confundetur sol cum regnaverit Dominus*,[68] nam ista non est vera obscuratio; sed inquit: *Sol convertetur in tenebras.* Quare quae hic Dominus dicit, non metaphorice, sed vere intelligenda sunt, sicut Divus Petrus 2 *Canonica* ait: *Adveniet... dies Domini tanquam fur, in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur;*[69] et iterum: *Per quem coeli ardentes solventur, elementa vero ignis ardore tabescent.*[70]

Sol obscurabitur, vel Deo virtutis influxum subtrahente,

Obscurabitur autem sol vel Deo virtutis influxum subtrahente, nam sicut sol astris influit lumen, ita Deus soli, quod subtrahere cum voluerit potest, vel maxima nube eum operiente, vel per eclipsim factam praeter naturae ordinem, sicut in passione Domini. Et primum quidem dicere videtur ipse per Ioelem: *Sol convertetur in tenebras*, secundum per Ezechielem: *Solem nube tegam*, et tertium innuere videtur Evangelista, nam ait: *Virtutes coelorum commovebuntur.*[71]

vel nube eum operiente, vel per eclipsim;

Virtutes autem coelorum et exercitus coelorum in Divinis Scripturis stellae ipsae intelliguntur, quae etiam quandoque *militiae coeli* dictae sunt;[72] sic cum ait: *Verbo Domini coeli firmati sunt et*

stellae horribili spectaculo commovebuntur,

65) Cf. Ex 19, 16-19. 66) Ps 49, 3. 67) Ps 96, 2-5. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Illuxerunt*, etc. 68) 24, 23. 69) 3, 10. Vulg.: *Ut fur*, etc. 70) Ibid. vr. 12. Vulg.: *Et elementa ignis*, etc. 71) Lc 21, 26. Vulg.: *Movebuntur.* 72) Cf. Dt 17, 3; 4 Rg 17, 16; 21, 3, 5; 23, 4; Is 24, 21; 34, 1; Ier 8, 2; 19, 13; Soph 1, 5; Act 7, 42.

*spiritu oris eius omnis virtus*, sive *exercitus eorum*, [73] stellae intelliguntur, sicut cum saepe in Scripturis dicitur *Deus virtutum*, [74] idest *exercituum*, et illud: *Completi sunt coeli et terra et omnis ornatus*, sive *exercitus eorum*. [75] Cum igitur ait commovendas coelorum virtutes, stellarum commotionem intelligimus, cuius commotionis terribili horribilique spectaculo homines nimium terrebuntur: *Arescentibus*, inquit, *hominibus prae timore et expectatione quae supervenient universo orbi, nam virtutes coelorum commovebuntur.*

In terram veluti decidentes,

Haec igitur commotio in causa erit nimii illius timoris ac terroris, nam coelestia omnia astra confundi ac perturbari videbuntur, et nedum de loco suo moveri, sed etiam de coelo cadere: *Et stellae*, inquit, *cadent de coelo*, vel *erunt decidentes*, ut ait M a r c u s . [76] Multae ergo stellae sic decidentes poni sub sole poterunt suaque interpositione eum eclipsare, ut interposita luna facit. Neque tamen dicit quod stellae in terram cadent, sed *stellae*, inquit M a t t h a e u s , *cadent de coelo et virtutes coelorum commovebuntur*, [77] cui consonat M a r c u s : *Sol contenebrabitur et luna non dabit splendorem suum, et stellae coeli erunt decidentes et virtutes, quae in coelis sunt, movebuntur*, [78] ut posterius sit prioris veluti declaratio: *Cadent*, quia movebuntur de loco suo, deorsum tamen tendentes.

Ita ut maximo pavore exterriti omnes arescant.

Et quidem non immerito homines talia tantaque portenta videntes timore nimio exterriti arescent et exanimabuntur, siquidem Pharao et omnes Aegyptii nimio fuerunt timore perculsi cum, extendente Moyse virgam in coelum, *dedit Dominus tonitrua et grandinem ac discurrentia fulgura . . . . super terram Aegypti*. [79] Similiter Hebraei in deserto nimium fuere perterriti ac pavore concussi cum, descendente Domino ad dandam legem, viderunt totum Sinai montem ad maximae fornacis instar fumantem flammasque emittentem, visis etiam lampadibus ac fulguribus discurrentibus auditisque tonitruis cum terribili buccinarum sonitu. [80] Sic etiam orante Samuele et sacrificium offerente pro Hebraeis, *intonuit . . . Dominus fragore magno . . . . super Philisthiim et exterruit eos* ; [81] et orante eodem Samuele, statim

73) Ps 32 (hebr. 33), 6. 74) Ps 23 (hebr. 24), 10; 47 (hebr. 48), 9; 58 (hebr. 59), 6; 68 (hebr. 69), 7; 79 (hebr. 80), 5. 8, 15. 20; 83 (hebr. 84), 2. 4. 9. 13; 88 (hebr. 89), 9. 75) Gn 2, 1. Vulg.: *Perfecti sunt*. 76) 13, 25. 77) 24, 29. 78) 13, 24-25. 79) Ex 9, 23. Vulg.: *Dominus dedit*. 80) Cf. ibid. 10, 10-23. 81) 1 Rg 7, 10.

serenum coelum contenebratum fuit auditaque sunt horribilia tonitrua, unde timuit populus vehementer cognovitque se peccasse regem petendo, cum Dominus esset eorum rex. [82] Quod si, viso contenebrato coelo, auditu tonitruorum et visu discurrentium fulgurum timore magno consternamur, quid, quaeso, tunc erit visis tot in coelo portentis? *In terra*, inquit, *pressura gentium*, idest angustia magna, *prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore et expectatione quae supervenient universo orbi*, quoniam haec summa infinitaque mala irae Dei impiis portendent hominibus.

**Evenient haec signa ad ostendendum Dei furorem in impios**

VI. Sed ad quid, quaeso, haec signa? Primo quidem, ad ostendendam ingentem Domini indignationem, iram atque furorem contra impios. Hinc dies ille dicitur *dies irae*, indignationis atque furoris: *Ignis accensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima.* [83]

**et simul cordis eius dolorem.**

Secundo, quoniam tenebrae tanquam lugubria vestimenta signa sunt moestitiae, ad ostendendum quod, cum Deus diligat omnia et nihil odiat eorum quae fecit, [84] imo qui *sic ... dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, [85] moestus ac veluti dolens venit ad puniendum damnandumque mundum, veluti si pater iustitiae legibus cogatur in filium mortis atque poenarum ferre sententiam. Deus enim, qui *omnes ... vult salvos fieri* [86] et neminem vult perire, [87] qui non vult mortem peccatoris, [88] damnare neminem vellet. Hinc Isaias ait: *Sicut ... in monte divisionum Dominus stabit, sicut in valle quae est in Gabaon irascetur, ut faciat opus suum, alienum opus eius ; ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* [89] Meminit duarum vindictarum: unius quidem quam exercuit contra Philisthaeos in favorem David, [90] et alterius quam exercuit contra Chananaeos, cum Iosue stare fecit in coelo solem et lunam et Deus praegrandes lapides pluit de coelo contra inimicos populi sui. [91] Sed cum haec, inquit, agit Deus, *alienum opus* agit. Verum duo dicit: *suum* et *alienum* ac *peregrinum : suum*, quoniam iudex est mundi, *alienum*, quoniam pater; sic Eliae dictum ab Angelo est quod non

82) Cf. Ibid. 12, 17-19. 83) Dt 32, 22. Vulg.: *Ignis succensus est.* 84) Cf. Sap 11, 25. 85) Io 3, 16. 86) 1 Tim 2, 4. 87) Cf. 2 Petr 3, 9. 88) Cf. Ez 18, 23; 33, 11. 89) 28, 21. Vulg.: *Stabit Dominus*, etc. 90) Cf. 2 Rg 5, 20. 91) Cf. Ios 10, 10-13.

est Dominus in spiritu grandi et forti, subvertente montes et conterente petras, neque in commotione neque in igne, sed in sibilo aurae tenuis atque suavis, [92] quoniam Deus totus bonitas, totus benignitas, totus misericordia et clementia est. Sic *alienum* et *peregrinum*.... *opus eius*. Hinc *tactus dolore cordis intrinsecus* [93] misit aquas diluvii ad impium mundum submergendum in eo ; [94] *tactus dolore cordis*, quoniam pater est, fecit tamen, quoniam iustus est, iudex universae terrae, sicut Abraham appellavit eum, cum sibi a Deo revelata fuit Pentapolis combustio. [95] Hinc Dominus universale iudicium simile fore ait diluvio et combustioni Pentapolis.

et etiam maximum odium quo prosequitur peccatum,

Tertio, ad ostendendum quanto odio Deus prosequatur peccatum. Sicut enim ob peccatum hominis maledixit terram, quae arborem illam produxerat cuius occasione peccavit homo, et serpentem etiam maledixit, quia eo instrumento usus fuit diabolus ut hominem tentatione peccati impeteret, [96] sic quoniam terra, coelo, elementis et astris male usus est homo ad peccandum, ob id Deus mundum hunc in vindictam peccati destruet, sicut destruxit civitatem Iericho ob peccata Chananaeorum [97] et sicut civitatem Ierusalem una cum templo igne combussit ob peccatum Iudaeorum; [98] sic iussit ut si homo cum animali peccaret, una cum homine ipsum quoque animal combureretur, [99] voluitque ut vitulus aureus, quem Hebraei coluerant, comminutus conflagraretur. [100] Sic in odium peccati Deus solem, lunam, astra, coelum, terram omniaque elementa puniet ac veluti in nihilum rediget.

cum enim omnia propter hominem condita sint, hoc deleto, omnia interitui dabuntur.

Quarto, ad ostendendum quod omnia haec propter hominem facta erant, quare, intereunte homine propter quem facta sunt omnia, sicut in diluvio una cum homine omnia animalia quae propter ipsum facta erant interiere, sic Deus in extremo die omnia interitui dabit. Sicut enim si non sit oculus, frustra sunt ocularia, si non sit corpus, vestimentum, si non sit pes, calceamentum, si non sit habitator, domus, sic, abeunte mundi huius habitatore homine, Deus hanc domum, quam propter ipsum fecerat, destruet.

Quinto, quia Deus, cum nolit mortem peccatoris, sed ut conver-

92) Cf. 3 Rg 19, 11-12. 93) Gn 6, 6. 94) Cf. ibid. 7, 10 sqq. 95) Cf. ibid. 18, 16-25. 96) Cf. ibid. 3, 1-17. 97) Cf. Ios 6, 1 sqq. 98) Cf. 4 Rg 25, 8-10; 2 Par 36, 14-20. 99) Cf. Lv 20, 15-16. 100) Cf. Ex 32, 4-20. Ms.: *Ut vitulum aureum.*

tatur et vivat, his signis terrere vult mundum, ut vel timore compulsi ad Deum per veram poenitentiam conversi salventur ab ira futura, nam, inquit: *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.*[101] Et quidem Deus non est sicut venatoı aut aucupes qui silent expectantque ut percutiant et occidant; non sic Deus, sed clamat et strepit ut salventur homines; sed facit Deus sicut fecit Abner princeps exercitus Israelis Asaeli qui eum persequebatur: monuit enim eum dicens: *Recede* a me et *noli me sequi ne compellar te confodere ;* sed quia ille audire contempsit, percussit eum hastaque transfodit;[102] sic Deus monet primo peccatorem. Monuit enim per Moysen et Aaron Pharaonem ut dimitteret populum Domini, nec verbis tantum, sed etiam signis divinitus factis; deinde venit ad flagella incipiens a levioribus et ad graviora procedens, quousque tandem eum cum universo exercitu suo in mari Rubro submersit,[103] quo tandem omnes impoenitentes peccatores deveniunt. Sic monebit tunc Deus mundum per Enoch[104] et Eliam;[105] deinde signis hisce terrebit, antequam ad fulminandam contra reprobos mortis aeternae sententiam veniat.

**Evenient haec signa ad terrendos etiam peccatores ut convertantur et salvi fiant.**

Sexto, quoniam sol, luna et stellae sunt veluti coeli fenestrae ac portae per quas quodammodo nobis est aditus introitusque in paradisi gloriam et per quas radius qualis qualis illius perpetuae gloriae nobis effulget – unde in gloriosa Christi transfiguratione *resplenduit facies eius sicut sol,*[105a] – dum luminaria haec contenebrantur, signum est quod reprobis coeli fenestrae et paradisi portae in aeternum occluduntur, nunquam eis aperiendae; nam *dicet ... iis qui a sinistris* eius *erunt : Ite, maledicti, in ignem aeternum ;*[106] *et ibunt hi in supplicium aeternum.*[107] Quod si post has tenebras multo gloriosius aperiuntur hae portae – siquidem: *Erit lux lunae sicut lux solis et lux solis septempliciter, sicut lux septem dierum,* – aperientur quidem, sed iustis, nam *dicet his qui a dextris ... erunt : Venite, benedicti Patris mei,* etc.,[108] sic: *Ibunt ... iusti ... in vitam aeternam.*[109] Hoc est quod in Malachia legimus: *Ecce enim dies* Domini *veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi et omnes facientes impie-*

**Sol obscurabitur ad significandum praeclusum esse reprobis regnum aeternae lucis.**

101) Lc 13, 3. 5. Vulg.: *Habueritis, omnes similiter peribitis.* 102) 2 Rg 2, 22-23. Vulg.: *Confodere te.* 103) Cf. Ex 7, 1-14, 1 sqq. 104) Cf. Eccli 44, 16. 105) Cf. ibid. 48, 10; Mal 4, 5 sq. 105a) Mt 17, 2. 106) Ibid. 25, 41. Vulg.: *His qui... Discedite a me, maledicti,* etc. 107) Ibid. vr. 46. 108) Ibid. vr. 34. 109) Ibid. vr. 46.

*tatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non derelinquet eis radicem et germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae.*[110] Quare dies iudicii impiis quidem reprobisque omnibus ignis erit comburens, sed electis sol lucens. Nam delectabile est oculis videre solem, et sol quidem iste electis perpetuum faciet clarissimumque diem, reprobis autem sempiternam teterrimamque noctem, electis perpetuum, amoenissimum floridissimumque ver cum suavissimis fructibus autumni, reprobis autem sempiternam horridissimamque hiemem una cum ardentissima inflamatissimaque aestate; hiems enim illis erit omnis boni privatio poenaque infiniti ac sempiterni damni, aestas vero ardor ignis aeterni. Sic epulo ille perpetuo cruciatus in aeterna flamma guttam aquae ad refrigerandam linguam obtinere non potest.[111]

dum, e contra, electis fulgere incipiet.

VII. Et quidem sol non tantum diem et noctem et quattuor anni tempora operatur in mundo, sed etiam hebdomadas iuxta septem planetas, et menses duodecim iuxta duodecim signa coeli, quae in obliqua zodiaci zona statuuntur, quidpiam forte in Christo mystice significantia, nam et ob id forte dixit Moyses posita luminaria in signa.[112] Nam sicut mundus hic mystice Ecclesiam designat, terra activos ad instar Marthae, unde: *Aliud cecidit in terram bonam,*[113] coelum contemplativos ad instar Magdalenae, unde: *Nostra autem conversatio in coelis est,*[114] sic stellae electos Dei designant: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli,*[115] luna Ecclesiam quae per fidem in tenebris lucet: *Pulcra ut luna,*[116] sol vero Christum: *Orietur . . . Sol iustitiae;* et diurna quidem lux gratiam Christi, nam: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est,*[117] hebdomas vero septiformem Christi gratiam[117a] in septem Ecclesiae Sanctae aetatibus ab initio mundi usque in finem. Nam sicut hominis sunt septem aetates: infantia, pueritia, adolescentia, iuventus, virilitas, senectus et decrepitas, sic septem sunt aetates Ecclesiae: prima ab Adam ad Noe; secunda usque ad Abraham, tertia usque ad Moysen; quarta usque ad David; quinta usque ad babylonicam captivitatem; sexta usque ad Christum et septima usque ad iudicium, quae, facta mortuorum resurrectione,

Sol dividens hebdomadam in septem dies

mystice significat in septima mundi aetate eventurum iudicium.

110) 4, 1-2. 111) Cf. Lc 16, 19-25. 112) Cf. Gn 1, 14. 113) Mc 4, 8; Lc 8, 8.
114) Phil 3, 20. 115) Gn 22, 17; 26, 4. 116) Ct 6, 9. 117) Io 1, 17.
117a) Ms.: *Septiformis Christi gratia.*

non habebit finem. Et in omnibus viguit fides et gratia Christi: in prima in Abel, Seth, Enos, Enoch et aliis, in quibus fuit vera lux fidei et iustitiae; in secunda in Noe, Sem, Iaphet, quando divisae sunt aquae fidelium ab infidelibus idololatris;[118] in tertia in Abraham, Isaac, Iacob et duodecim Patriarchis, quando terra produxit herbam virentem et ligna pomifera,[119] quando, inquam, genitus fuit populus Dei; in quarta in Moyse, Aaron, Iosue, Caleb et innumeris aliis, quando Moyses cum lege resplenduit tanquam sol,[120] Aaron cum summo sacerdotio tanquam luna, omnes alii sacerdotes et levitae tanquam stellae;[121] in quinta in David, Salomone, Ezechia, Iosia, Iosaphat, Elia, Eliseo et aliis, quando aquae fidelis populi produxerunt pisces et aves, animalia benedicta a Deo;[122] in sexta formatus natusque est Christus, ante cuius ortum viguit eius fides in Esdra, Nehemia, Zorobabel, Iesu sacerdote, in Machabaeis multisque aliis; et tandem in septima post Christum usque ad iudicium in omnibus Christi fidelibus, Apostolis, Martyribus, Pontificibus, Doctoribus, sacerdotibus et innumeris confessoribus virisque catholicis. Hac autem finita hebdomada, novus orietur mundus in mortuorum resurrectione, in die iudicii, quando Adam iterum de terra formabitur cum omnibus filiis suis. Hoc igitur signum in sole Dominus posuit, quod, finita hac hebdomada septem aetatum Ecclesiae, quibus ἱεράκοσμος[123] iste complendus est, mundus iste profanus claudet extremum diem.

*Idem mysterium significatur etiam per duodecim menses, quibus annus completur;*

VIII. Idem etiam in duodecim mensibus, quibus completur annus, mysterium designatur. Siquidem universum Ecclesiae tempus per unum annum in Divinis Scripturis expressum est. Regius Vates ait: *Benedices coronae anni benignitatis tuae;*[124] et Isaias: *Praedicare annum Domini acceptum.*[125] Duodecim autem menses huius anni sunt duodecim aetates Ecclesiae utriusque Testamenti: sex ante Christum: prima ab Adam ad Noe, secunda ad Abrahamum, tertia ad Moysen, quarta ad David, quinta ad transmigrationem et sexta ad Christum; ita etiam post Christum: prima Apostolorum, secunda Martyrum, tertia Doctorum, quarta Monachorum, quinta

118) Cf. Gn 1, 7; 11, 8-10. 119) Cf. ibid. 1, 12. 120) Cf. Ex 34, 33 sqq. 121) Cf. ibid. 29, 1-35. 122) Cf. Gn 1, 21-22. 123) Ms.: *Hieracosmos.* 124) Ps 64, 12. 125) 61, 2. Refert ex Lc 4, 19.

Religiosorum, sexta antichristi. Et prima quidem respondet C a p r i c o r n o, quando incipit crescere dies, sic coepit fides Ecclesiae ab Abel et crevit, quoniam Enos *coepit invocare nomen Domini;* [126] secunda A q u a r i o, quoniam tunc fuit diluvium crevitque magis fides in Noe; [127] tertia P i s c i b u s, quoniam tunc electi peregrini in mundo tanquam pisces in mari erant, maxime tamen in aegyptiaca captivitate, ubi tamen, Sacra referente Scriptura, ad instar piscium crescebat populus Dei; [128] quarta A r i e t i, nam tunc Moyses dux factus est populi [129] sicut aries ovium et tunc multo magis crevit fides, accepta coelitus lege; quinta T a u r o, nam Davidis et Salomonis tempore adauctus fuit vehementer cultus Dei, aedificato templo; [130] sexta G e m i n i s, quoniam per geminos viros illos Esdram et Nehemiam aedificata civitas et per Zorobabelem et Iesum sacerdotem templum Domini, et tandem in Christi incarnatione coniunctae sunt geminae naturae Filii Dei et Filii hominis. Hic sol fuit in altissimo coelo, hic vere fuit *magna . . . gloria domus istius novissimae magis quam primae.* [131]

sex enim sunt aetates Ecclesiae in Veteri Testamento

In hoc G e m i n i sic completae sunt sex aetates antiquae Ecclesiae Veteris Testamenti, quae Christum praecessit, et secuta est nova Ecclesia, nam *et qui praeibant et qui sequebantur clamabant . . . Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* [132] Coepit ergo post Christum prima novae Ecclesiae aetas in Apostolis et apostolicis viris, quae C a n c r o respondet, cum incipit decrescere dies, minor enim fuit caritatis ardor in apostolicis viris ac successoribus quam in Apostolis ipsis, qui Spiritu Sancto repleti fuerunt; [133] secunda fortissimorum Martyrum, quae fortissimo L e o n i respondet; tertia Doctorum sanctorumque Pontificum et sacerdotum, qui immaculatam ac virginalem quandam vitam ducebant, unde haec V i r g i n i respondet; quarta christianorum principum post Constantinum Magnum, qui iustissimis ac sanctissimis legibus mundum reformarunt, haec L i b r a e respondet; quinta Religiosorum, qui coelestis quidam sunt S c o r p i o, nam sicut virga Moysi serpens facta devoravit serpentes Aegyptiorum [134] et serpens aeneus occidit serpentes igneos, [135]

et sex etiam aetates Ecclesiae in Novo;

126) Gn 4, 26. 127) Cf. ibid. 7, 1-8, 1 sqq. 128) Cf. Ex 1, 7 sqq. 129) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 130) Cf. 3 Rg 9, 1-9; 2 Par 7, 1 sqq. 131) Agg 2, 10. Vulg.: *Plus quam primae.* 132) Mc 11, 9-10. 133) Cf. Act 2, 4. 134) Cf. Ex 7, 12. 135) Cf. Nm 21, 6-9.

sic coelestis iste S c o r p i o devorat mundanos scorpiones errorum, vitiorum ac mortalium peccatorum; sexta tandem erit antichristi, qui tanquam S a g i t t a r i u s et truculentus venator, saevissimarum persecutionum acutissimis sagittis universam Christi Ecclesiam sagittabit. Sed hoc unum erit tunc solatium, quod sub S a g i t t a r i o annus prope finem est et iam iam appropinquat caput caudam serpentis huius devorans.[136] Et quidem Christus sub S a g i t t a r i o natus fuit, in fine, inquam, S a g i t t a r i i et C a p r i c o r n i initio, quando in mundum primo adveniens synagogam convertit in Ecclesiam legemque timoris in amoris suavissimi legem.

ultima autem aetate finita, claudetur hic mysticus annus.

Sic tandem in fine persecutionis antichristi adveniet Christus, ut P a u l u s inquit: *Quem Dominus . . . interficiet spiritu oris sui,*[137] militantemque in terris Ecclesiam transferet in triumphantem in coelis, gratiam enim in gloriam commutabit et terrestrem in coelestem paradisum. Sic finietur claudeturque corona huius anni benignitatis Domini. Et tandem *erunt signa in sole et luna et stellis,* signa his quidem irae et vindictae, illis vero misericordiae et clementiae; irae et vindictae infidelibus, misericordiae et clementiae fidelibus; irae et vindictae epuloni, misericordiae et clementiae Lazaro; irae Esau, misericordiae Iacob; irae Aegyptiis, misericordiae Hebraeis. Sic enim illis nubes, in qua erat Angelus Domini, erat obscura, his autem splendida;[138] sic enim Dominus electis suis ait: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*[139]

et tunc iustis orietur sol aeternae lucis, impiis vero nox sempiterni horroris.

Sicut enim qui apud Turcas captivi detinentur in aliqua civitate, videntes appropinquare exercitum Christianorum ad eam expugnandam civitatem gaudent, quoniam libertatem sperant ab illa miserabili captivitate, sic Christus ait appropinquare redemptionem electorum suorum; deinde, quia sicut sol in hoc mundo simul omnia tempora efficit, nam cum apud nos est dies, apud antipodas est nox, et cum apud nos mane, apud illos serum, et cum apud australes est aestas, apud septentrionales est hiems, et cum hic est ver, ibi est

136) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 5, cp. 36, (P. L. 82, 222); S. Beda *De Temporum Ratione*, cp. 35, ibid. 90, 459-462; Alexander ab Alexandro *Geniales Dies*, lib. 3, cp. 24, f. CXXVIIª; Ios. Scaliger *De Emendatione Temporum*, lib. 3, pag. 194. 137) 2 Thess 2, 8.
138) Cf. Ex 14, 20. 139) Lc 21, 28.

autumnus, sic Christus in hoc mundo facit; idem cum sit, in diversis et apud diversos diversa operatur. In hoc mundo electi sunt in hieme horridissima vel aestate fervidissima tribulationum sicut mendicus Lazarus, reprobi autem in floridissimo vere et copioso autumno sicut epulo;[140] sed hi qui bonis in hoc mundo fruuntur, in alio mala expectant. Hinc timendum illis est, nam post bona tempora sequuntur mala, post ver aestas et post autumnum hiems; at iusti, qui in hoc mundo multis affecti sunt malis, bona expectant, sicut post mala tempora sequuntur bona. Sic ait: *Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*[141] Hinc Christus ait quod homines arescent prae timore et expectatione malorum, sicut arbores autumnales incipiunt arescere a frigore correptae, sed hiemales arbores, vere appropinquante, virescere incipiunt.

Sol Christus est nunc multis in locis obscuratus ob haereticorum pravitatem.

*Erunt signa in sole et luna et stellis.* Christus sol, Ecclesia luna, fideles stellae. Obscuratus est sol in oriente, ubi splendidissimus lucebat temporibus Chrysostomi, Basilii, Gregorii et aliorum Sanctorum; obscuratus in Africa, ubi nil minus lucebat tempore Augustini; obscuratus magna ex parte in universa Germania, in quibus omnibus locis luna Ecclesiae non dat lumen splendoremque suum, infideles enim et haeretici, qui in Christum vere non credunt, Ecclesiam minime audiunt. Sic multae stellae ceciderunt de coelo, nam multi populi, relicta vera fide, prolapsi sunt in infidelitatem vel haereticam pravitatem, quae pestis perniciosissima [est]. Sic Ioannes vidit quod serpens antiquus, habens capita septem et cornua decem, traxit cauda sua de coelo tertiam partem stellarum et voluisset coelestis mulieris filium penitus devorare.[142]

Regius Vates docet quid timendum sit in die iudicii.

IX. *Arescentibus hominibus prae timore et expectatione quae supervenient universo orbi.*[143] Sed quid, quaeso, timendum in die iudicii erit? Infernus quia apertus videbitur? Minime, quia infernus non pro hominibus, sed pro diabolo et angelis eius creatus fuit: *In ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.*[144] Aspectus satanae et horribilium daemonum? Sed sicut videbitur tunc non tantum in-

140) Cf. ibid. 16, 19 sqq. 141) Ibid. vr. 25. Vulg.: *Fili, recordare,* etc.
142) Cf. Apc 12, 1-4. 143) Lc 21, 26. 144) Mt 25, 41.

fernus apertus, verum etiam paradisus, sic non tantum videbuntur daemones, sed etiam Angeli, nam: *Omnes Angeli* eius *cum eo.* [145] Quid timendum? Aspectus irati iudicis? Sed hic iucundissimo vultu dicet multis: *Venite, benedicti Patris mei, possidete*, etc. [146] Timendus Deus *qui potest et animam et corpus mittere in gehennam?* [147] Sed Deus pater noster est clementissimus et sicut in gehennam mittere potest, sic et potest et vult – qui *vult omnes homines salvos fieri,* [148] – mittere in paradisum, quem pro hominibus creavit, sicut mox creatum hominem in paradisum immisit. [149] Quid ergo timendum? Hoc sibi Regius Vates quaesivit dicens: *Cur timebo*, sive quid timebo *in die mala ?* Diem malam dicit diem iudicii, quae dies erit indignationis et irae.

Respondet autem: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, idest iniquitas tantum mihi timenda est, ne hac circumdatus iniquitate inveniar in die iudicii, sicut circumdabit eos *qui confidunt in virtute sua et in multitudine divitiarum suarum gloriantur;* [150] nam huiuscemodi hominem iusti tunc irridebunt dicentes: *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum et praevaluit in vanitate sua !* [151] Nam, inquit, si iniquitate tunc circumdatus inveniar, *frater non redimet, redimet homo*, sive *frater non redimendo, redimet hominem*, sive *fratrem non redimendo, redimet homo*, idest nullo pacto redimet, nullus tunc hominem ab iniquitate redimere poterit hominem, nec Christus quidem, et *non dabit Deo placationem suam ;* [152] nam ait: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua ? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis et tunc reddet unicuique secundum opera sua ;* [153] ideo ait: *Non dabit Deo* frater aut homo quivis, etiam Christus, *placationem* pro anima tunc iniquitate circumdata. Nam si placatus in hoc mundo Deus non fuit, tunc placari non poterit cum iniquis, sicut nec cum daemonibus, nec dabit *pretium redemptionis animae suae ;* [154] Christus enim tunc non redemptor, ut in primo adventu, erit, sed iudex veniens ad iudicandum non ad salvandum. *Et laborabit in aeternum et vivet adhuc in finem:* [155] homo iniquitate circumdatus in aeter-

**idest sola iniquitas et peccatum;**

**si enim in hoc mundo Deus placatus non fuerit, tunc placari minime poterit.**

145) Ibid. vr. 31. 146) Ibid. vr. 34. 147) Ibid. 10, 28. Vulg.: *Perdere in gehennam.* 148) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc. 149) Cf. Gn 2, 15. 150) Ps 48, 6-7. 151) Ps 51, 9. 152) Ps 48 (hebr. 49), 8. 153) Mt 16, 26-27. Vulg.: *Opera eius.* 154) Ps 48 (hebr. 49), 9. 155) Ibid. vrr. 9-10.

num laborabit et in aeternum vivet, quare cum aeterna vita aeterna erit et poena; vel melius: etiam si homo viveret in aeternum et in aeternum laboraret, aeternam poenitentiam faceret ad dandam Deo placationem et pretium redemptionis pro anima circumdata iniquitate, non poterit eam redimere atque salvare. Hinc ait Regius Vates solam sibi timendam esse iniquitatem atque peccatum, haec enim si non adsit, nihil timendum erit, siquidem ob iniquitatem Angeli de coelo [156] et homines de paradiso eiecti fuerunt. [157]

**Adventum Christi iudicis describunt sacri Vates Daniel et Ezechiel.**

X. *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate.* [158] Sic Daniel Christum vidit venientem ad iudicium: *Aspiciebam*, inquit, *in visione noctis, et ecce eum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat, et... ad Antiquum dierum pervenit et in conspectu eius obtulerunt eum; et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae servient ipsi. Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur, et regnum... quod non corrumpetur.* [159] Ezechiel quoque Christum vidit in nube venientem ad iudicandum in prima sua visione: *Ecce*, inquit, *ventus turbinis veniebat ab aquilone et nubes magna et ignis involvens et splendor in circuitu eius;* [160] et tandem, visis quattuor animalibus cum quattuor rotis, supra eorum capita vidit firmamentum ad instar crystalli et [160a] super illud thronum sapphirinum ac desuper Christum sedentem et ad ignis instar splendentem. [161] Et quidem quod visio haec divinum iudicium repraesentet, ipse Vates ait capite 43 iterum spectro huiuscemodi viso: *Et vidi*, inquit, *visionem secundum speciem, quam videram quando venit ut disperderet civitatem, et species secundum aspectum quem videram iuxta fluvium Chobar;* [162] et capite 10 sedens super solium sapphirinum praecipit viro induto lineis ut ingressus in medium rotarum, impleat manus suas prunis et effundat super civitatem ad comburendam eam. [163] Quare id quod apud Danielem est *Antiquus dierum* et *quasi filius hominis* ad eum usque perveniens, est apud Ezechielem sedens super solium sapphirinum et vir lineis indutus; quod vero Daniel ibi dicit datam esse

156) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 157) Cf. Gn 3, 1 sqq. 158) Lc 21, 27.
159) 7, 13-14. Vulg.: *Ipsi servient*, etc. 160) 1, 4. 160a) Ms.: *Est*.
161) Is 4, 5 sqq. 162) Vr. 3. 163) Cf. vrr. 1-2.

Christo potestatem et honorem eique gentes omnes subiectas, hoc in figura Ezechielis designant quattuor animalia et rotae, quae sunt quattuor monarchiae et regna, quae quidem apud Danielem designantur in quattuor statuae partibus, capite 2,[164] et in quattuor bestiis: leaena, urso, pardo et bestia innominata, capite 7, quae, ut ibi declaratur, quattuor sunt regna, sed Christo subiecta;[165] hoc est enim quod lapis de monte sine manibus abscissus percutiens statuam ad nihilum redegit et hoc est quod Ezechiel quattuor animalia et rotas videt sub pedibus Christi, *cum*, ut ait Apostolus *1 Corinthiis, evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem... omnia enim subiecit sub pedibus eius*,[166] sic Christus ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*;[167] et quod Daniel ait: *Potestas eius potestas aeterna*, Ezechiel dicit thronum eius positum super firmamentum crystallinum, idest super coelum, quod suapte natura incorruptibile est, et quod Daniel ait sedisse iudicium, Ezechiel inquit venisse ad disperdendam civitatem, et quod Daniel inquit: *Thronus eius flamma ignis, rotae eius ignis accensus*,[168] Ezechiel ait quod *similitudo animalium*, quibus insidebat iudex, et *aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium et quasi aspectus lampadarum*;[169] et tandem quod ait Daniel: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius*,[170] Ezechiel ait acceptum ignem de medio rotarum et proiectum super civitatem.

XI. Haec autem omnia sacrosanctum Evangelium his verbis aperit: *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate, nam omnes Angeli* eius erunt *cum eo*, sicut Daniel ait: *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.*[171] *Cum potestate magna et maiestate*, quia *Rex regum et Dominus dominantium.*[172] *Tunc*, inquit, visis prodigiosis portentosisque signis in coelo, in sole, luna et stellis; *tunc*, cum apparuerit, ut Matthaeus ait, *signum Filii hominis in coelo*,[173] idest crux Christi, quod erit veluti imperiale Christi insigne et stemma, et quia per cru-

**Sed clarius ipse Christus in hodierno Evangelio.**

164) Cf. vrr. 31-45. 165) Cf. vrr. 1-7. 166) 15, 24-26. 167) Mt 28, 18. 168) 7, 9. 169) 1, 13. 170) 7, 10. 171) Ibid. 172) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 173) 24, 30.

cem sibi iudiciariam hanc potestatem acquisivit: *Propter quod et Deus... dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine,* etc.,[174] sic canit Ecclesia: « Hoc signum crucis[174a] erit in coelo, cum Dominus ad iudicandum venerit »[175] – sicut enim virgam Moysi et Aaron servari in tabernaculo iussit Dominus in signum rebellionis filiorum Israel,[176] et sicut gladius, quo David Goliam occidit, in signum tantae victoriae servatus in tabernaculo Domini fuit,[177] ita crux Domini servatur in die iudicii ostendenda in coelo ad gloriam Christi, consolationem fidelium et confusionem infidelium ac reproborum omnium cruciatum; *tunc,* – cum congregatae fuerint omnes gentes ad iudicium, facta mortuorum resurrectione Angelorum ministerio – nam: *Mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos eius a quattuor ventis, a summis coelorum usque ad terminos eorum,*[178] idest ab omnibus mundi plagis, hebraismus enim hic est, peculiaris tropus et phrasis Scripturae, – *congregabuntur*[178a] *ante eum omnes gentes,* sed separabuntur reprobi ab electis sicut oves ab haedis.

Facta mortuorum resurrectione, omnes gentes congregabuntur ante Christum iudicem et ab invicem separabuntur.

Resurgent autem mortui, quoniam *omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei,*[179] sicut Lazarus,[180] quoniam, ut Paulus ait *1 Thessalonicensibus : Ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de coelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi ;*[181] *Exercitus magnus valde,* ut ait Ezechiel,[182] quos item Daniel *multos* appellat,[183] per multos omnes intelligens, quoniam omnes vere erunt multi. In tubae autem sonitu veniet, sicut venit ad dandam legem;[184] sic enim tubae sonitu[184a] per sacerdotes populus convocabatur ad tabernaculum testimonii.[185] Sic

174) Phil 2, 8-10. Vulg.: *Et donavit illi,* etc. 174a) Ms.: *Magnum* loco: *Crucis.*
175) Cf. Breviarium Rom. die 3 Maii in Festo Inventionis S. Crucis, hym. ad *Vesperas.*
176) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. Ex hoc loco et pluribus aliis videtur Sanctus Auctor opinari virgam Moysi eam fuisse quae in manu Aaron floruit et in arca Domini posita fuit. Cf. *Quadragesimale Secundum,* part. 1, pag. 198. Virga autem tot portentorum in manu Moysi operatrix, non illa Aaronis erat quae fronduerat, haec enim tantum fuerat signum sacerdotii Aaron consignati atque ad eius rei testimonium reposita in arca Domini; nullibi vero legimus Deum ea usum fuisse ad prodigia patranda. De virga autem Moysi nescitur quonam devenerit; attamen ex Scriptura certe constat in arca non fuisse repositam. Cf. Aug. Calmet *Dictionarium Historicum,* sub voce: *Virga ;* Corn. A Lapide *Comment. in Numeros,* 20, 9. 177) Cf. 1 Rg 17, 54. 178) Mt 24, 31. 178a) Ms.: *Autem* adicitur.
179) Io 5, 28. 180) Cf. ibid. 11, 43-44. 181) 4, 15. 182) 37, 10. Vulg.: *Exercitus grandis nimis valde.* 183) Cf. 12, 2. 184) Cf. Ex 19, 9-21. 184a) Ms.: *Sonitus.* 185) Cf. Nm 10, 1-6.

tunc, facta mortuorum resurrectione et congregatis omnibus ante tribunal Christi, videbunt omnes: *Videbit omnis caro salutare Dei.* [186]

Christum gloriosum videntes iusti maxime laetabuntur,

Non tamen omnes eo aspectu laetabuntur, sed multi plangent. Sic Divus Ioannes ait *Apocalypsi* 1: *Ecce venit cum nubibus et videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt; et plangent se super eum omnes tribus terrae.* [187] Sic etiam Divus Matthaeus ait: *Tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt,* idest videntes, *Filium hominis venientem cum nubibus coeli cum virtute multa et maiestate.* [188] Plangent cum lacrimis quaerentes poenitentiae tempus cum Esau, [188a] sed non invenient; plangent videntes sibi paradisum clausum, infernum apertum, Deum inimicum, Christum iratum, nec ex omni parte nisi fletus causam habentes: intra se conscientiam accusantem: *Vermis eorum non moritur,* extra se ignis conflagrationis: *Ignis non extinguitur;* [189] supra se paradisum clausum et Deum iratum, infra se infernum apertum et diabolum praeparatum; ante se iudicem contra ipsos mortis aeternam sententiam fulminantem, et post se paratos daemones ad exequendam sententiam expectantes; a dextris privationem omnium bonorum, et a sinistris abyssum omnium malorum.

Impii autem desperato fletu plangent.

Sic *plangent se... omnes tribus terrae,* ii qui terrena tantum sapere voluerunt, qui noluerunt portare imaginem novi hominis coelestis, sed tantum veteris terreni; [190] plangent maxime crucem Christi intuentes et passionis eius mysteria, [191] quae Christus passus fuit in mundo pro salute eorum considerantes et sese accusantes quod tantam spreverint salutem talemque gratiam et bonitatem Dei. Videbunt venientem de coelo, non ad salvandum, sed ad iudicandum, ad exercendum non misericordiae sed iustitiae opera; venientem sicut Moyses descendit de monte ad puniendum eos qui aureum vitulum adoraverunt; [192] videbunt venientem sicut venit Deus ad puniendum Adae peccatum in terrestri paradiso, non tamen cum sibilo aurae suavi, [193] sed *in spiritu iudicii et spiritu ardoris,* [194] ad fulminandam aliam mortis et poenarum sententiam. *Videbunt*

186) Lc 3, 6. 187) Vr. 7. 188) 24, 30. Vulg.: *In nubibus coelis,* etc.
188a) Cf. Gn 27, 34-36. 189) Mc 9, 43. 45. 47. 190) Cf. 1 Cor 15, 47-49.
191) Ms.: *Intuentes* hic iterum ponitur. 192) Cf. Ex 32, 1-28. 193) Cf. Gn 3, 8.
194) Is 4, 4.

*Filium hominis*, non in forma humilis servi, veluti in primo adventu, quando *cum in forma Dei esset, non rapinam*, etc.,[195] sed in forma summi regis et hominis, in divinitate, maiestate et gloria Deo aequalis, venientem in nube sicut in nube ascendit in coelum[196] et in nube lucida transfiguratus apparuit, quando *resplenduit facies eius sicut sol;*[197] in nube, quia ex nubibus egrediuntur fulgura fulminaque, sic ex nube fulminabit impios Christus eosque in aeternum occidet.

Veniet Christus cum maiestate magna, Angelis constipatus,

XII. *In nube* autem *cum virtute et potestate magna*, idest magno exercitu copiisque angelicis constipatus: *Omnes Angeli* eius *cum eo*, inter quos splendebit sicut sol inter astra; sic arca Domini manebat in medio cherubim gloriae.[198] *Cum potestate magna et maiestate*, sedens super thronum maiestatis suae, sicut Isaias vidit eum *sedentem super solium excelsum et elevatum*[199] in medio Seraphim et Michaeas vidit *sedentem* super altissimum *solium suum* omnesque exercitus coeli assistentes ei *a dextris et a sinistris.*[200] *Cum potestate . . . et maiestate* tanquam auctor naturae, fons gratiae, rex gloriae, verus et summus Deus Optimus Maximus. Hinc tanquam auctor naturae hodie mortuos omnes suscitabit omniaque corpora aeterna immortalitate donabit, ut nec damnati quidem in flammis infernalis ignis mori in perpetuum possint, sed semper sint ibi incorruptibiles tanquam aurum in fornace; uti fons gratiae omnes electos suos in gratia confirmabit, adeo ut in perpetuum amplius peccare minime possint; ut rex gloriae omnes electos suos perpetua sempiternaque gloria decorabit sicut sol astra: *Venite, benedicti Patris mei*, etc.[201] Demum ut verus Deus Sanctos omnes faciet divinitatis suae participes et consortes, ut Petrus ait: *Divinae consortes naturae.*[202]

tanquam rex ad dandam mercedem, his quidem in fornace aeterna, illis autem in regno gloriae sempiternae.

Nil ergo iustis timendum est, sed expectanda sunt praemia.

Hinc iustis timendum nil est, quapropter ait: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra,*[203] respicite coelum versus, ubi [fulgebitis] tanquam *stellae in perpetuas aeternitates;*[204] stellae autem sole multo clariores ac fulgidiores habitaturi victurique estis; *respicite et levate capita vestra*, quoniam vobis non timenda supplicia sunt, sed expectanda praemia; *levate capita vestra* tanquam mox

195) Phil 2, 6. 196) Cf. Act 1, 9. 197) Mt 17, 2. 198) Cf. Ex 40, 32-33. 199) 6, 1. 200) 3 Rg 22, 19. 201) Mt 25, 34. 202) 2 Petr 1, 4. 203) Lc 21, 28. 204) Dn 12, 3.

ab humilitate terrena ad coelestem gloriam exaltandi; *quoniam appropinquat redemptio vestra,*[205] de qua Apostolus *ad Romanos: Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat... adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri,* idest *quia et ipsa creatura liberabitur* aliquando *a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei,*[206] nam: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*[207] Sic enim et Ioannes ait: *Carissimi, nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus* autem *quoniam cum apparuerit, tunc similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.*[208] Sic ait: *Respicite et levate capita vestra,* ut me summo cum gaudio excipiatis venientem ad glorificandum vos et suscipiendum *vos ad meipsum, ut ubi ego sum et vos sitis,*[209] in gloria Patris mei. Per redemptionem enim corporis regnum Dei intelligit, ait enim: *Videte ficulneam et omnes arbores: cum producunt iam ex se fructus, scitis quoniam prope est aestas. Ita et vos cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.*[210]

XIII. Quibus verbis ostendit Dominus non longo temporis intervallo signa haec praecessura esse iudicium, sicut non magnum est spatium inter gemmas arborum, cum iam cauliculos foliculosque tenerescentes rami parturiunt, et veris, quod hic aestas dicitur, primordium, sed in ipso veris primordio haec fiunt; ita signa haec in ipsis regni Dei primordiis ventura designat. Secundo, quod sicut aestas necessario sequitur arborum erumpentes gemmas, ita regnum Dei certo certius sequetur iam praefata portenta. Tertio, electos suos ficui comparat, quae dulcissimos fructus suavissimosque gustui facit, quoniam sic iustitiae operibus delectatur Deus; et ficus quidem sua sorte contenta supra ligna silvarum promoveri minime voluit, sicut nec vitis aut oliva.[211] Deinde, quia ficus, sicut et vitis, nisi ficus bonas proferat, vix ad ullum aliud opus apta est, unde Dominus ficulneae maledixit, quae folia tantum, non fructus habebat;[212] sic enim *omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mitte-*

**Signa haec brevi temporis intervallo iudicium praecedent.**

205) Lc 21, 28. 206) 8, 19-21. Ordine inverso affert hos vrr. 207) Phil 3, 20-21.
208) 1 Io 3, 2. Vulg.: *Quoniam videbimus*, etc. 209) Io 14, 3. Vulg.: *Ubi sum ego.*
210) Lc 21, 29-30. Vulg.: *Ex se fructum*, etc. 211) Cf. Idc 9, 8-15. 212) Cf. Mt 21, 19.

*tur.*[213] Hinc ait: *Cum producunt iam ex se fructum.* Tandem quarto, his arboribus non horridam hiemem superventuram, sed amoenam aestatem repromittit, non damnationem, sed salutem, non maledictionem cum reprobis, sed benedictionem cum electis: *Scitote quoniam prope est regnum Dei. Regnum* dicit summam copiam[214] honorum et voluptatum, quae hominibus maxime desiderabilia sunt; et *regnum Dei* dicit, quia summa haec infinitaque affluentia non terrenorum bonorum erit, sed coelestium, non temporalium sed aeternorum, non humanorum sed divinorum; *regnum Dei* omne bonum Dei: *Dicite iusto quoniam bene,*[215] idest omne bonum: *Ego ostendam tibi omne bonum,*[216] sicut Deus dicitur e n s simpliciter: *Ego sum qui sum,*[217] quia omnium entium perfectiones in unitate suae essentiae simplicissime et perfectissime continet, sicut sol omnem astrorum splendorem, aurum omnium metallorum valorem, lux omnium colorum pulcritudinem, unitas omnium numerorum species; *regnum Dei* omnem Dei hereditatem, nam: *Si... filii et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.*[218] *Regnum Dei,* non regnum Davidis aut Salomonis, quod arctissimis terminis angustissimisque spatiis concludebatur; sed *regnum Dei,* quod infinitum est; non regnum Adae in paradiso terrestri aut Luciferi in coelesti, nam neuter eorum fuit sua sorte contentus et maiora appetiit. Hoc autem *regnum Dei* est, quo nihil maius desiderari potest.

**Verba sua Christus veluti iuramento firmat,**

XIV. *Amen dico vobis quia non praeteribit generatio haec donec omnia... fiant. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*[219] Sicut Abrahae per semetipsum iuravit Dominus et iuramento promissiones illi factas firmavit: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito propter me,* benedicens *benedicam tibi,* etc.,[220] ita hic Christus promissa sua iuramento veritatis firmat: *Amen dico vobis... non praeteribit generatio haec,* extrema haec mundi aetas; siquidem nos sumus *in quos fines saeculorum devenerunt,*[221] inquit P a u l u s ; P e t r u s vero ait quod *omnium... finis appropinquavit,*[222] et I o a n n e s quod

213) Ibid. 3, 10; 7, 19; Lc 3, 9. 214) Ms.: *Voluptatum,* quod potest repetitur.
215) Is 3, 10. 216) Ex 33, 19. Vulg.: *Omne bonum tibi.* 217) Ibid. 3, 14.
218) Rom 8, 17. 219) Mt 24, 34-35. Vulg.: *Non praeteribunt.* 220) Gn 22, 16-17.
221) 1 Cor 10, 11. 222) 1 Petr 4, 7.

*novissima hora est.*[223] Totum enim tempus inter primum Christi et secundum adventum intercedens, una est aetas ac novissima mundi, nec alia ante Christi adventum singularis expectanda est orbis immutatio, sicut ante incarnationem expectabatur. Hinc ait: *Non praeteribit generatio haec,* aetas haec novissima mundi, *donec omnia . . . fiant,* omnia quae ventura praedixit. Nam hic Christus totus propheta est, nec propheta qui falli possit, sicut Samuel qui putavit quod primogenitus Isai a Deo electus esset in regem,[224] et Nathan qui consuluit David ut templum Domino aedificaret, cum tamen non ea esset Domini voluntas,[225] et Isaac Iacob benedixit putans se benedicere Esau,[226] Iosue item a Gabaonitis deceptus fuit;[227] neque propheta cui aliquid sit absconditum, ut Eliseus cui mors filii mulieris sunamitidis abscondita fuit;[228] sed propheta omnium Prophetarum, propheta ille in Lege promissus: *Prophetam suscitabit tibi Dominus . . . de gente tua et de fratribus tuis,* etc.;[229] propheta futura omnia certissime cognoscens, non tantum secundum naturalium et inferiorum causarum rationem, sed etiam secundum supernaturalem divinae voluntatis dispositionem; nam primi generis vaticinia variari possunt et aliter evenire, sicut accidit Isaiae vaticinanti mortem Ezechiae regi,[230] Ionae vaticinanti Ninivitis interitum,[231] Nathano vaticinanti David perditionem ob adulterium et homicidium,[232] et aliis.

**quia prophetice loquitur.**

Nam de huius generis vaticiniis, quae vel maxime in comminationibus malorum et bonorum promissis consistunt, ait Dominus per I e r e m i a m: *Repente loquar adversus gentem et adversus regnum,* etc.,[233] et per E z e c h i e l e m: *Etiam si dixero iusto quod vita vivat, et confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem . . . in iniquitate sua, quam operatus est . . . morietur. Si autem dixero impio: morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato suo . . . vita vivet,* etc.[234] Sed ut ostendat Dominus vaticinium suum non esse huiusmodi, sed secundum supernaturalem divinae voluntatis dispositionem, ait: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt,* idest: Quae dico certissime sunt eventura ac multo certius quam certum sit nunc coelum et terram

**sed absolute et certissime ex dispositione divinae voluntatis.**

223) 1 Io 2, 18. 224) Cf. 1 Rg 16, 6-7. 225) Cf. 1 Par 17, 1-15. 226) Cf. Gn 27, 1-37. 227) Cf. Ios 9, 3-22. 228) Cf. 4 Rg 4, 27. 229) Dt 18, 15. Vulg.: *De gente tua et de fratribus tuis . . . suscitabit,* etc. 230) Cf. 4 Rg 20, 1. 231) Cf. Ion 3, 3-4. 232) Cf. 2 Rg 12, 1-12. 233) 18, 7. Vulg.: *Adversus gentes,* etc. 234) 33, 13-15.

consistere. *Coelum et terra transibunt :* facilius est, inquit, ut coelum et terra, tanquam multo infirmiora deficiant ad nihilumque tendant, quam ut verba mea deficiant a veritate, nam coelum quidem et terra transitura sunt: *Initio tu, Domine, terram fundasti et opera manuum tuarum sunt coeli ; ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnia sicut vestimentum veterascent et sicut mutatorium mutabis eos et mutabuntur, tu autem idem ipse es et anni tui non deficient ;* [235] et Isaias : *Coeli sicut fumus liquescent et terra sicut vestimentum atteretur ;* [236] et Divus Petrus : *Adveniet... dies Domini sicut fur, in quo coeli magno impetu transient... coeli ardentes solventur ;* [237] sed *verbum... Domini manet in aeternum.* [238] Sic vaticinium Christi multo firmius est quam sit coelum et terra, quae tamen suapte natura perpetua et incorruptibilia sunt: *Terra... in aeternum stat,* dixit Ecclesiastes ; [239] et pater eius: *Statuit ea in aeternum et in saeculum saeculi, praeceptum posuit et non praeteribit.* [240]

**Diem iudicii Christus dicit se nescire, sed quatenus homo,**

XV. Nec tamen minuit vaticinii Christi dignitatem aut certitudinem quod ait se diem iudicii nescire: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in coelo, neque Filius, nisi* solus *Pater.* [241] Id enim nescire se dicit, non quod vere nesciat, cum in eo sint *omnes thesauri sapientiae et scientiae* [242] Dei, cumque ipse dixerit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo,* [243] sed quod id quatenus homo nescit, nam Dei non hominis est futura praenoscere naturali scientia humanaque experimentali, etsi supernaturali infusa ipse cognoverit; vel forte nescire se dicit diem et horam iudicii ad eam manifestandam nobis, cum id scire non expediet nobis, sicut nec diem aut horam mortis nostrae. Unde ad compescendam ingenii humani curiositatem id dixit, sicut post resurrectionem ascensurus in coelum a discipulis interrogatus: *Domine,* quando *restitues regnum Israel ?* respondit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.* [244]

**et ad compescendam hominum curiositatem,**

**Ideo id tantum locutus est**

Noluit Dominus nos admodum curiosos esse in secretis cognoscendis quae scire nil expedit; hinc obscure nimis loquuntur Divinae Scripturae de principio et fine mundi, de opere, inquam, creationis

235) Ps 101 (hebr. 102), 26-28. 236) 51, 6. 237) 2 Petr 3, 10-12. 238) Is 40, 8; 1 Petr 1, 25. 239) 1, 4. 240) Ps 148, 6. 241) Mc 13, 32. 242) Col 2, 3. 243) Mt 11, 27. 244) Act 1, 6-7.

et finalis iudicii; manifestissime autem de opere redemptionis nostrae, sicut Seraphim apud I s a i a m velabant alis caput et pedes, apertis autem mediis alis volabant,[245] quoniam in hoc opere nimium divina caritas, bonitas, misericordia et pietas elucet, quae quidem summe cognoscere expedit. Ob id Christus de futuro iudicio tantum locutus est quae nobis scire expedit, ad divinam iustitiam cognoscendam; nam sicut in mundi creatione potentia et sapientia Dei summopere eluxit, in redemptione caritas, misericordia et bonitas, ita in finali iudicio summopere divina iustitia elucebit.

quod nobis summe expedit cognoscere.

XVI. Ob id enim vel maxime Deus universale iudicium in fine mundi facere decrevit, ut sicut in mundi creatione potentissimum ac sapientissimum se ostendit, in mundi redemptione piissimum ac misericordissimum, ita in universali iudicio iustissimum se ostendat, quodque non minor in eo iustitia sit quam potentia, sapientia, bonitas, misericordia et caritas; hae enim sunt sex alae Seraphim. Et sicut in avibus aequales omnino sunt alae, uti in homine brachia, manus, pedes, oculi aliaque membra, quae suapte natura sunt paria, ita in Deo aequales omnino sunt et pares misericordia et iustitia, bonitas et caritas, potentia et sapientia.

Faciet Deus universale iudicium ad ostendendam iustitiam suam.

Infinitam igitur puritatem iustitiae suae ostensurus est Dominus in die iudicii reddens *unicuique secundum opera sua*,[246] bonis infinita aeternaque praemia et malis sempiterna supplicia pro meritis uniuscuiusque. Quamvis autem multas in elapsis temporibus fecerit Deus claras iustitiae suae demonstrationes contra impios, uti eiciens angelos malos de coelo,[247] homines de paradiso,[248] submergens mundum diluvio,[249] Pentapolim igne de coelo comburens,[250] Aegyptum decem plagis flagellans,[251] multa Hebraeorum millia in deserto occìdens,[252] nunc famem plurium annorum, nunc bella, nunc pestes et alia huiuscemodi in mundum immittens; nulla tamen adhuc pro meritis facta est demonstratio, sed in die iudicii reservatur.

unicuique retribuendo iuxta opera sua.

Arguitur a nonnullis de iniustitia Deus, quoniam impios in hoc

245) Cf. 6, 2. 246) Ps 61, 13; Prv 24, 19; Mt 16, 27; Rom 2, 6; Apc 22, 12.
247) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 248) Cf. Gn 3, 6 sqq. 249) Cf. ibid. 7, 1 sqq.
250) Cf. ibid. 19, 24-25. 251) Cf. Ex 7, 1-12, 1 sqq. 252) Cf. Ex 32, 27-28; Nm 11, 33; 16, 49; 25, 9.

Multi nunc scandalizantur varias hominum fortunas videntes,

mundo bonis potius quam malis afficit. Hinc Iob ad Deum ait: *Quare... impii vivunt, sublevati sunt confortatique divitiis?... Domus eorum confortatae sunt et pacatae et non est virga Dei super illos.*[252a] Ieremias item: *Iustus quidem... es, Domine, si disputem tecum; veruntamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui... inique agunt?*[253] Et Habacuc: *Quare respicis* contemptores *et taces conculcante impio iustiorem se?*[253a] Sic multi scandalizantur varias hominum fortunas videntes, uti Lazari mendici et epulonis. Sed Deus in die iudicii ostendet iustitiae suae rationem, et si nunc tacet videns mala quae fiunt in mundo, tunc clamabit, ut per Isaiam ait: *Tacui semper, silui, patiens fui; sicut parturiens loquar, dissipabo et absorbebo simul.*[254] Sic clamans impiis dicet: *Esurivi... et non dedistis mihi manducare*, etc.[255]

sed in die iudicii ostendet Christus iustitiae suae rationem impios perdendo

Sicut Deus recensens mala quae Amalec fecit Israeli in deserto, iussit Sauli regi Israel ut, congregato exercitu, percuteret Amalec et universa eius demoliretur, nulli parcens rei,[256] sic in die iudicii Deus recensens omnia mundi peccata, iubebit Christo ut veniat ad iudicandum mundum et perdendos omnes impios de terra. Christus enim *constitutus a Deo est iudex vivorum et mortuorum*,[257] Pater enim *omne iudicium dedit Filio... et dedit ei potestatem iudicium facere, quia Filius hominis est.*[258] *In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur;*[258a] ideo Filius hominis venturus est ad iudicandum, missus a Deo tanquam Saul contra Amalec; nec parcet tunc alicui Christus sicut Saul, sed Amalecitas omnes disperdet dicens: *Discedite a me omnes operarii iniquitatis*[259] *in ignem aeternum.*

et ad aeternos cruciatus damnando,

Duplex hic poena exprimitur: damni quidem: *Discedite a me, maledicti:* privatio omnis boni; *in ignem aeternum:* poena sensus aeternusque cruciatus. Prima quidem gravissima est, sicut Absalom ait: Melius est mihi mori quam faciem regis non videre;[260] sic omnes reprobi privatione videndi faciem Dei animis summopere crucia-

252a) 21, 7-9. Vulg.: *Domus eorum securae sunt*, etc. 253) 12, 1. 253a) 1, 13. Vulg.: *Devorante impio.* 254) 42, 14. 255) Mt 25, 42. 256) Cf. 1 Rg 15, 1-3. 257) Act 10, 42. Vulg.: *Constitutus est*, etc. 258) Io 5, 22-27. Vulg.: *Et potestatem dedit ei*, etc. 258a) Rom 14, 9. Vulg.: *Mortuorum et vivorum dominetur.* 259) Lc 13, 27. 260) Cf. 2 Rg 14, 32.

buntur, hic est *eorum vermis* qui *non moritur;* deinde *ignis* affligens corpus *non extinguitur:* [261] *In ignem aeternum.* Haec est olla succensa quam Ieremias vidit, postquam viderat virgam vigilantem; [262] per haec enim spectra designantur duo genera punitionum, scilicet temporalium et aeternorum; temporalis punitio virga est, sed in manu patris; punitio autem aeterna, olla succensa: *In ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius,* sic enim facies eius a facie aquilonis, unde *pandetur omne malum.* [263]

iustos autem praemiando et ad aeternam gloriam exaltando;

Dies iudicii erit sicut mare Rubrum, in quo salvati sunt Hebraei, damnati vero Aegyptii, ibi cum Pharaone submersi; [264] sicut transitus Iordanis, postquam Iosue partem populi posuit super montem Garizim, quam benedixit, et partem super Hebal, quam maledixit; [265] sicut Noe benedixit Sem et Iapheth ob pietatem, Cham autem ob impietatem et ignominiam, qua patrem affecit, maledixit; [266] sic Christus hodie. Sicut Abraham eiecit a domo sua ancillam et filium eius, qui Isaac persequebatur filium liberae, [267] sic eiciet Christus hodie reprobos omnes qui secundum carnem vixerunt, eos autem qui secundum spiritum vixerint, aeterna benedictione donabit. Hodie Christus tanquam alter Isaac benedicet Iacob primogenitumque constituet omnibus bonis ditatum, Esau vero planget eiulatu magno: [268] *Venite, benedicti Patris mei;* sic Isaac benedixit Iacob, sic Iacob moriturus omnes filios suos, [269] sic Moyses omnes tribus Israel. [270]

ideo his signa videntibus iudicii venturi timendum non erit, sed iubilandum.

Quapropter etsi ait: *Erunt signa in sole et luna et stellis,* signa terribilia nimis, attamen iustis Ieremias ait: *A signis coeli nolite metuere quae timent gentes, quia leges populorum vanae sunt.* [271] Sed si scire vultis quibus timendum non est, attendite. Ait Dominus: *Facto vespere, dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim coelum; et mane ... tempestas* erit, *rutilat enim triste coelum.* [272] Coelum rubicundum est signum serenitatis, rubedo enim illa signum est puri aeris tenuiumque vaporum, quos solis radius pertransiens rubicundos facit; sed triste coelum signum est densarum nubium vaporumque nimium crassorum et aeris valde impuri, hinc pluviae signum est,

261) Mc 9, 43. 45. 47. Vulg.: *Vermis eorum non moritur.* 262) Cf. Ier 1, 13. 263) Ibid. vr. 14. 264) Cf. Ex 14, 24 sqq. 265) Cf. Ios 8, 33. 266) Cf. Gn 9, 20-27. 267) Cf. ibid. 21, 9-14; Gal 4, 30. 268) Cf. Gn 27, 27-40. 269) Cf. ibid. 41, 1 sqq. 270) Cf. Ex 33, 1 sqq. 271) 10, 2-3. 272) Mt 16, 2-3.

tempestatis, turbinum, pluviarum, grandinum, fulgurum ac tonitruorum. Aer ergo purus signum est futuri temporis iucundi, aer vero impurus signum iniucundi. Sic pura conscientia dat spem salutis in die iudicii, conscientia autem impura incutit timorem damnationis et perditionis aeternae: *Tempestas* erit, *rutilat enim triste coelum;* sic enim mala conscientia semper timorem incutit malis. Hinc Adam post peccatum praesentiens adventum Domini, timuit et abscondit se, eo quod nudus esset, iam amissa innocentiae veste;[273] sic fratres Ioseph nimio fuerunt timore perterriti, cum cognoverunt fratrem eorum Ioseph, quem ipsi odio habentes tanquam vile mancipium Ismaelitis vendiderant,[274] esse summum principem ac dominum universae terrae Aegypti.[275] Conscientia laesa facit hominem timidum;[276] sic Adonias, Ioab et Abiathar sacerdos timuerunt valde, audito quod Salomon institutus erat a Davide rex Israel, quoniam ipsi adversarii erant Salomonis.[277]

Docet Christus hodie quid nobis faciendum sit ne iudicium divinum timeamus,

XVII. Ne autem merito in die iudicii timendum nobis sit, Apostolum monentem audiamus: *Hora est iam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.*[278] Surgamus de somno, ne cum fatuis virginibus dormientes inveniamur,[279] et omnia vitia omniaque peccata abiciamus, quae dicuntur *opera tenebrarum*, nam vitia, cum foeda ac turpia sint, tenebras amant, ut in abscondito et secrete fiant, opera autem bona sunt opera lucis, nam cum laude possunt publice et coram omnibus fieri.

cui consonat Isaias loquens de iudicio Dei super Iudaeos venturo;

Consonat autem Christo in Evangelio et Paulo in Epistola Isaias propheta in matutinis lectionibus: *Visio Isaiae filii Amos, quam vidit super Iudam et Ierusalem,* idest contra Iudam et Ierusalem: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui, Israel autem me non cognovit... populus meus non intellexit. Vae genti peccatrici,*

273) Cf. Gn 3, 7-11. 274) Ms.: *Cum cognoverunt quod frater eorum... videntes eum esse*, etc. 275) Cf. Gn 45, 3-4. 276) Proverbium familiare S. Auctori, cf. *Explanatio in Genesim*, pag. 276; *Quadragesimale Secundum*, part. 1, pag. 280; *Quadragesimale Tertium*, pag. 507. 277) Cf. 3 Rg 1, 7 sqq. Ms.: *Sadoc*, loco: *Abiathar*. Lapsus est manifestus, Abiathar enim adiuverat partes Adoniae, Sadoc vero Salomonis. 278) Rom 13, 11-13. 279) Cf. Mt 25, 2-8.

*populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis!* [280] Praedicit enim hic Vates iudicium Dei, quod futurum erat ac venturum super Iudaeos in figuram futuri universalis iudicii, unde Christus simul coniunxit excidium Ierosolymorum cum universali iudicio in fine mundi, [281] quando igne conflagrationis mundus iste totus comburendus est, [282] sicut civitas Ierusalem igne combusta fuit, primo quidem per Chaldaeos [283] ac postea per Romanos. [284] Unde ait Vates: *Civitates vestrae succensae igni.* [285] Nam civitas ipsa Ierusalem, sicut et templum in ea, typus quidam ac figura erat mundi huius, qui civitas et templum Dei est: *Coelum et terram ego adimpleo,* [286] sicut et mundi huius tabernaculum etiam Moysi et arca Noe hieroglyphica quaedam fuerunt. Arca enim Noe tribus constabat solariis: infimo, medio et supremo; [287] tabernaculum Moysi tribus partibus: atrio, sancto et sancto sanctorum; [288] similiter templum Salomonis tribus hisce; [289] et civitas Ierusalem tribus identidem partibus constabat, tribus murorum gyris circumdata: uno quidem infimo et extremo, ubi plebs habitabat, altero medio, ubi nobiles, et tertio supremo, ubi templum erat et regale palatium. [290] Sic mundus iste tribus partibus constat: terra, coelo et empyreo, qui locus supremus est, designatus per supremum solarium arcae Noe, in quo ipse cum tribus filiis habitabat, in figuram Dei et trium hierarchiarum angelicarum. Designatus in sancto sanctorum tabernaculi Moysi et templi Salomonis, ubi erat divinum propitiatorium in medio cherubim, in signum Dei in medio Angelorum; et designatus tandem in suprema parte Ierusalem, quae habitaculum erat regis, summi sacerdotis ac principum, [291] ad idem designandum. Sic mediae partes horum hieroglyphicorum mediam mundi partem, idest coelum ipsum designabant, infimae autem infimam hanc partem mundi, terrenam hanc molem. Sed sicut destructa fuit Ierusalem et templum et sicut tabernaculum etiam Moysi aliquando desiit, [292] et arca Noe destructa fuit, sic mundus iste in die iudicii igne conflagrationis destruetur.

**Ierusalem enim typus erat mundi huius.**

280) 1, 1-4. Breviarium Rom., secunda lectio ad Mat. 281) Cf. Mt 24, 15 sqq. 282) Cf. 1 Petr 3, 7-10. 283) Cf. 4 Rg 25, 8-22; 2 Par 36, 17-21. 284) Cf. Aug. Calmet *Dictionarium Historicum S. Scripturae*, sub voce: *Ierusalem*. 285) Is 1, 7. 286) Ier 23, 24. Vulg.: *Ego impleo.* 287) Cf. Gn 6, 14-16. 288) Cf. Ex 26, 1 sqq.; 36, 8 sqq. 289) Cf. 3 Rg 6, 1-36. 290) Cf. Aug. Calmet *Dictionarium Historicum S. Scripturae*, sub voce: *Ierusalem*. 291) Cf. 2 Rg 5, 9; 2 Par 11, 8. 292) Cf. 3 Rg 8, 4.

In extremo iudicio credentes praecipue iudicabuntur de malis operibus

XVIII. Sed quid est quod Vates ait: *Super*, idest contra *Iudam et Ierusalem*, cum Ierusalem civitas sancta esset et Iudaei populus electus atque fidelis? Utique quia *qui*... *non credit, iam iudicatus est*, [293] sed credentes praecique iudicabuntur. Iudicabuntur autem de duobus: de bonis operibus non bene actis et de malis male actis. Primum exprimit mala opera male acta dicens: *Ipsi autem spreverunt me; cognovit bos possessorem suum*, etc. *Vae genti peccatrici!* etc. Deinde opera bona non bene acta: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum, holocausta* vestra *arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum et agnorum*... *nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quaesivit haec de manibus vestris, ut ambuletis in atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi; neomeniam et sabbatum et festivitates alias non feram; iniqui sunt coetus vestri, calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine plenae sunt.* [294] Haec autem duo Apostolus dicit primum quidem *opera tenebrarum*, secundum vero *somnum* appellat: *Hora est iam nos de somno surgere.* Haec sunt quae Christus ait: *Discedite a me omnes operarii iniquitatis;* et iterum: *Ite, maledicti, in ignem aeternum*... *esurivi enim et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi bibere.* [295]

et de bonis omissis vel male factis.

Imo tres causas Vates assignare videtur: primam [296] opera mala facta: *Spreverunt me*, secundam otium et torporem a bonis operibus: *Israel*... *me non cognovit et populus meus non intellexit*, et tertiam bona opera male facta: *Quo mihi?* etc. Sic Christus ait per Regium Vatem: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* [297] Sic enim cum dicent reprobi: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* [298] haec quidem bona opera sunt; dicet tamen Dominus illis: *Discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Nam Moyses ait: *Iuste quod iustum est exequeris;* [299] hinc ait Divus Petrus

293) Io 3, 18. 294) Is 1, 11-15. Vulg.: *Ut ambularetis*, etc. 295) Mt 25, 42. Vulg.: *Mihi potum*. 296) Ms.: *Prima* et infra: *Secunda*... *torpor*... *et tertia*. 297) Ps 74, 3. 298) Mt 7, 22. 299) Dt 16, 20. Vulg.: *Persequeris*.

quod *iustus vix salvabitur,*[300] quoniam *omnes iustitiae nostrae . . . pannus mulieris menstruatae.*[301] Ergo si salvari volumus, surgamus a somno, ab otio bonorum operum, *abiciamus . . . opera tenebrarum,* omnia mala opera. *Lavamini,* inquit Isaias, *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite bene facere, quaerite iudicium, subvenite oppresso.*[302]

XIX. Quare hodie ex una quidem parte terremur adventu Christi ad iudicandum, ad destruendum hunc mundum, sicut lapis ille excisus de monte sine manibus statuam a Nabuchodonosor visam destruxit;[303] sicut vigil veniens de coelo et praecipiens ut arbor Nabuchodonosor praecidatur et ad nihilum fere redigatur;[304] nam mundus hic per illam statuam designatur, sicut in aegyptiis hieroglyphicis per figuram Pan, quod universum significat,[305] et per figuram Argi centoculi custodientis iuvencam Iunonis;[306] et per arborem etiam illam maximam, nam illa totum mundum implebat, sed tandem praecisa fuit et ad nihilum fere redacta, radice tantum in terra relicta; sic mundus ad primum illud chaos fere in die iudicii reducetur, ut fiant *coeli novi et terra nova;*[307] sicut figulus ille apud Ieremiam factum vas destruxit, et ex eadem materia vas aliud formavit.[308] Et quidem mundus iste veluti vas est in manu Domini, sicut Aegyptii hieroglyphico demonstrabant pingentes Deum, quem Eneph dicebant, luce amictum coelumque ac terram zona quadam colligata atque praecincta manu tenentem altera, altera vero virgam rectissimam cum oculo in apice virgae.[309]

Terribilis ergo erit adventus Christi

Et plane summa cum ratione mundus in manu Dei regendus ponitur ac sustentandus. Nam mundus quidem hic finitus est et extra mundum nihil est cui permaxima haec moles veluti fundamento et basi innitatur; hinc Sacra ait Scriptura quod tribus digitis Deus terrae molem sustentat.[310] Quod si in manu Dei est mundus, poterit profecto ad nihilum redigere cum voluerit iterumque reficere cum libuerit. Sic mundi interitu nos Christus hodie terret.

ad mundum destruendum et reficiendum;

300) 1 Petr 4, 18. 301) Is 64, 6. Vulg.: *Universae iustitiae,* etc. Ordine inverso affert hunc vr. 302) 1, 16-17. 303) Cf. Dn 2, 31-35. 304) Cf. ibid. 4, 7-12. 305) Deus Arcadius, sic dictus quasi totius naturae deus. Cf. Natalis Comes *Mythologiae,* lib. 5, cp. 6, pag. 381-389. 306) Cf. ibid. lib. 8, cp. 18, pag. 763. 307) Is 66, 22. 308) Cf. 18, 4-6. 309) Pierius Valerianus *Hieroglyphica, Comment.,* pag. 620. 310) Cf. Is 40, 12.

*sed nihil nobis timendum erit, si boni fuerimus vel de peccatis poenitentiam egerimus.*

At vero ex altera solatur: quod si boni fuerimus, nil nobis timendum sit, et si mali simus, dat nobis contra aeternae mortis venenum salutare antidotum, poenitentiam: *Hora est iam nos de somno surgere;* ex altera parte immittit ardentes serpentes ad occidendum nos, et ex altera erigit contra hos serpentes mortiferos serpentem aeneum salutiferum;[311] ex altera parte ignem comburentem, sed ex altera aquam ad ignem hunc extinguendum; ex altera amarissimas aquas Mara et ex altera lignum quod eas dulces efficit;[312] ex altera pessimas aquas Iericho, reprobatae civitatis,[313] sed ex altera vas novum plenum sale, quo aquae sanentur istae;[314] ex altera ostendit vitam, ex altera mortem; ex altera maledictionem et ex altera benedictionem; ex altera poenam inferni et ex altera gloriam paradisi, sicut Ieremias in porta templi vidit duos calathos ficuum, sed unus quidem ficuum optimarum, alter vero ficuum pessimarum.[315] Nostra nunc interest ut quas magis libet eligamus.

## II. ALIA HOMILIA

*Divinum iudicium valde terribile erit.*

I. Dum princeps aliquis ad ostensionem iustitiae suae, ut ostendat quanto prosequatur odio facinora et facinorosos, publicam facit contra insignes aliquos malefactores iustitiam, magnis eos afficiens suppliciis ob atrocia delicta, timent vehementer non tantum rei faciem videre irati iudicis, audire sententiam contra se fulminandam, videre praeparatum patibulum et ferre supplicia extrema, sed etiam assistentes populi ad tale spectaculum ad terrorem convocati, quamvis nullius criminis conscii sint, sed videntes tantum parata tormenta, patibula atque supplicia, iudicem pro tribunali sedentem cum assistentibus, audientes legi processum reorum et fulminari contra eos suppliciorum et mortis sententiam; sic hodie rei timebunt: *Arescentibus hominibus prae timore,* et *virtutes* etiam *coelorum commovebuntur,* idest electi, adeo tremendum erit hodiernum iudicium!

311) Cf. Nm 21, 6-9. 312) Cf. Ex 15, 23-25. 313) Cf. Ios 6, 26. 314) Cf. 4 Rg 2, 19-22. 315) Cf. 24, 1.

*Arescentibus hominibus prae timore et expectatione quae supervenient universo orbi, nam virtutes coelorum movebuntur,* etc. [1]

II. Naturale admodum homini est supervenientium malorum timore concuti, adeo ut sicuti vel nihil est in terra adeo constans et firmum quod fulmini coelesti possit resistere, ita nec reperitur cor adeo forti adamante indutum quod ictu timoris supervenientium malorum non frangatur, non conteratur. Hinc Adam post peccatum sentiens Dei adventum, timuit vehementer et timore victus, abiens se in nemore denso abscondit, cum tamen non veniret Dominus in tremenda maiestate nec nimio cum terrore, sed cum leni quadam aura diei,[2] quia etiam parva timere solemus; sic enim et experimur et legimus non tantum in magnis timore homines concuti, sed etiam in parvis. Cuinam homini inermi veniat obviam leo rugiens et fremens, et timore non concutiatur? Quis in navicula positus in mari, tempestate orta, ascendentibus undis, flantibus cum impetu procellosis ventis, turbato coelo, tonantibus et coruscantibus nubibus, non exterreatur? Quis coram iudice positus, convinctus de delicto commisso, videns tormenta sibi parari fornacemque ignis, in qua primum candentibus laminis adustus, tandem comburendus sit vivus, non concutiatur timore talibus spectaculis visis? Timemus minima quaeque mala vel suspicione tantum moti, timemus scintillas ignis, nedum fornaces.

**Naturale est homini supervenientium malorum timore concuti,**

Est autem natura mali ut quo maius est, eo maiorem incutiat timorem. Sic legimus Iacob vehementi timore perculsum cum audivit quod Esau frater eius veniebat contra ipsum cum quadringentis viris armatis, timens ne ipsum universamque familiam suam gladio perimeret;[3] sic Loth timuit vehementer videns de coelo ignem descendere civitatesque et universam regionem comburere;[4] sic filii Israel timuerunt videntes maximum ignem, in quo Deus descendit, audientesque tonitrua et buccinas perstrepentes nubesque coruscantes et fulmina ferientia emittentes videbant.[5] Rex David, *cuius cor erat quasi leonis*,[6] videns Angelum Domini evaginatum gladium

**quo autem maius malum est, maiorem incutit timorem.**

1) Lc 21, 26. 2) Cf. Gn 3, 6-11. 3) Cf. ibid. 32, 6-8. 4) Cf. ibid. 19, 14-25.
5) Cf. Ex 19, 16-20. 6) 2 Rg 17, 10.

manu tenentem versum contra Ierusalem, maximo fuit timore exterrefactus;[7] sic inquit Dominus quod arescent homines prae timore videntes in die iudicii horribilia signa ac prodigiosa portenta: *Arescentibus hominibus prae timore et expectatione.*

Malum reprobis superventurum in die iudicii maximum erit,

Malum enim superventurum maximum, infinitum et aeternum est, cum in die iudicii contra impios fulminanda sententia illa erit: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.*[8] O malum super omne malum! *Ite:* ecce Adam de paradiso ob peccatum eiectus.[9] Civi grave est a patria exul relegari, maxime si perpetuum futurum sit exilium, et eo gravius malum est quo patria unde relegatur est beatior et locus ubi relegatur infelicior. O exilium! relegari a paradiso in infernum, eici a domo Dei in domum diaboli, privari in aeternum hereditate Dei, infinito thesauro, hereditate regni! *Ite* a Deo ad diabolum, a paradiso ad infernum, a gloria ad poenas, ab Angelis ad daemones, a luce perpetua ad tenebras sempiternas, a Christo ad satanam, a salute perpetua ad perditionem aeternam! O iter o iter! *Ite*, sed *ite, maledicti.* Esau flebat eiulatu magno videns se paterna benedictione privatum;[10] hic autem non solum reprobi privantur benedictione, non solum non benedicuntur, sed etiam maledicuntur. O maledictio!

quod exprimitur in sententia maledictionis contra eos lata,

*Ite, maledicti.* Illud *ite* est privatio gloriae, istud *maledicti* privatio gratiae, privatio adoptionis filiorum Dei. Nec tantum importat aeternam privationem gratiae, caritatis, amoris, misericordiae et clementiae Dei, sed etiam aeternam inimicitiam, aeternum odium, aeternam iram, aeternum furorem, aeternam vindictam Dei: *Ite, maledicti, in ignem.* Si bonis tantum gloriae et gratiae Dei privarentur damnati, forte vel leviter putarent se damnum illud, quamvis infinitum, ferre posse, quamvis non leviter feratur fames ac sitis, caecitas et alia huiuscemodi, quae privationes bonorum sunt. At maledictio ista omnis consolationis privationem importat omnisque boni privationem aeternam, aeternam famem, aeternam sitim, aeternas tenebras.

quae importat aeternam privationem gratiae et gloriae et aeternum odium et vindictam Dei contra impios.

7) Cf. 1 Par 21, 16 sqq. 8) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc.
9) Cf. Gn 3, 22 sqq. 10) Cf. ibid. 27, 34.

III. Huic tamen aeterno damno aeternus etiam superadditur cruciatus et cruciatus maximus. Nulla in mundo poena poenae ignis aequari potest; haec autem eo est maior quo ignis calor intensior est. Nam ignis temperatus calor algentibus membris solatium affert, sed combustio supplicium maximum; eo autem ignis calor intensior quo in crassiori est accensus materia; hinc enim magis urit pruna accensa quam flamma, et quo densior carbo eo urentior; sic ferrum ignitum et candens vehementius urit quam quivis carbo, quoniam compactior est ferri quam carbonis materia. At vero, sicut videmus in mundo hoc quod quo magis sursum tendunt elementa eo sunt tenuiora, sic enim aqua tenuis magis quam terra et aer aqua, et quo altius ascenditur eo purior, subtilior tenuiorque aer reperitur, sic supra aerem coelestis ignis tenuissimus; ita in descendendo semper crassior materia reperitur. Quare materiam quae in centro mundi est, ubi infernus, [11] necesse est crassissimam esse; ignem ergo in crassissima hac materia accensum esse urentissimum et nostrate hoc multo urentiorem, quam sit flamma fumo calidior. **Accedunt etiam aeternae poenae in igne intensissimo,**

Ad hanc ergo fornacem igneam inferni et tali igne accensam immittuntur infelices damnati; haec fornax est babylonica septuplo accensa quam accendi consueverat, ignis ille septuplo nostrate hoc urentior; sed flamma cubitis quadraginta novem ascendit, ad quinquagesimum iubilaei et indulgentiae numerum non pervenit. [12] *Ad ignem*, inquit *aeternum*, infinitis saeculis duraturum, ignem ἄσβεστον, [13] inextinguibilem, adeo ut si homo singulis annis ab oculis singulas tantum emitteret lacrimas, citius fieret diluvium Noe et centuplo maius, quam ignis iste terminetur et mons adamantinus omnium maximus plumbeo gladiolo ac pueruli manu multo citius dissolveretur in pulverem factus, quam fornax haec extinguatur. Poena ignis eo est maior quo diuturnior; haec autem infinitae diuturnitatis aeternaeque durationis; ergo maxima et infinita. **inextinguibili,**

Sed saltem haberent qui eos tantis in poenis constitutos sola-

11) De loco inferni diversae sunt catholicorum sententiae. Quod sit in centro terrae, Suarez ait hanc esse communem SS. Patrum sententiam. *De Angelis*, lib. 8, cp. 16. Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Tertium*, pag. 106, not. 69. 12) Cf. Dn 3, 19. Alludit S. Auctor ad annum iubilaei, qui quinquagesimo quoque anno celebrabatur, in quo omnia debita, quibus unus alteri adstringebatur, remittebantur, unde quinquagenarius numerus remissionis, veniae et indulgentiae est indicativus. 13) Ms.: *Asbeston*.

absque ullo penitus levamine.

tium aliquod afferrent et aliquo modo vel verbis consolarentur. Sed: *Ite* cum *diabolo et angelis eius*, qui eos mirum in modum cruciatibus mille afficient multoque peius tractabunt quam tractaverit satanas Sanctum Iob.[13a] Tantum ergo cum superventurum malum sint homines in iudicii die expectaturi, merito Dominus ait quod prae timore arescent: *Arescentibus hominibus.*

Merito ergo timendus est ille iudicii dies,

IV. Sed, quid, quaeso, est quod nos haec audientes vel minimo timore concutimur? Ieremiae iussit Dominus ut librum sumeret scriberetque in eo omnia mala quae facturus ipse erat Iudaeis et gentibus omnibus, nisi converterentur et poenitentiam agerent. Quod cum fecisset Ieremias per Baruch scribam suum et per eum populo legisset Dei comminationes, omnes qui audierunt obstupescentes, nimio fuerunt timore concussi;[14] sic Christus hodie facit, qui verus est Ieremias, sanctus ab utero, propheta divinus.[15]

in quo pariter damnabuntur qui mala egerunt

Sed forte illaesa conscientia nos facit intrepidos, quia nihil nobis conscii sumus, quia bonum nobis testimonium nostra conscientia reddit. Sed Paulus ait: *Nihil... mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum ; qui autem iudicat me Dominus est.*[16] Rudis pictor pinxerit ipse imaginem nullumque in ea defectum agnoscet; at si excellenti pictori praesentetur pictura, mille in ea errores reperiet. Sic Iob ait: *Si voluero cum eo contendere, non potero respondere ei unum pro mille ;*[17] sed postea: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est.*[18] Adam propter unum tantum peccatum extimuit.

et qui bona agere omiserunt.

Quod si nullum commiserimus peccatum, quot bona opera, ieiunia, eleemosynas, orationes facere potuerimus, quae non fecimus? Et bona quae fecerimus, si qua sunt, quid scimus an bene iusteque fecerimus? An munda animalia obtulerimus Deo, an ignem sacrum vel profanum cum Nadab et Abiu?[19] In lege sterilis mulier maledicta erat,[20] et fecunda post partum quadraginta diebus immunda;[21] sic damnantur et qui male agunt et qui bona non agunt et qui male bona agunt.

13a) Cf. Iob 1, 12-2, 1-8. 14) Cf. Ier 36, 2-16. 15) Cf. ibid. 1, 4. 16) 1 Cor 4, 4. 17) 9, 3. Vulg.: *Si voluerit... non poterit ei respondere*, etc. 18) 1 Io 1, 8. Vulg.: *Quoniam peccatum*, etc. 19) Cf. Lv 10, 1-2; Nm 3, 4. 20) Cf. Ex 23, 26; Dt 7, 14; S. Hieronymus *Contra Iovinianum*, lib. 1, (P. L. 23, 241). 21) Cf. Lv 12, 2-4.

V. Sed forte spes misericordiae nos alit nihilque timentes facit. Sed quam, quaeso, misericordiam tunc sperare poterimus, si damnari multos videmus qui vel nihil peccarint, sed quia opera bona non egerint? *Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi bibere.* [22] Tunc enim [non] erit misericordiae sed iustitiae exercendae tempus. Nunc, nunc tempus misericordiae est: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies,* etc. [23]

Non erit tunc misericordiae tempus sed iustitiae.

Ego, ut quod sentio ingenue fatear, existimo ex incredulitate nostram hanc intimiditatem procedere, vel ex mala credulitate, credentes quod non erit talis tantusque dies iste iudicii, qualis et quantus dicitur. Sed si non credimus, iam iudicati sumus: *Qui ... non credit, iam iudicatus est.* [24] Multi forte non credunt quia tot iam praeteriere saecula ex quo iudicium istud futurum praedicatum est et nondum apparuit. Sed hoc nobis deberet maiorem timorem incutere, signum enim est quod paucissimi sunt qui salvantur, nam tunc erit iudicii dies mundique terminabitur cursus, cum fuerit completus numerus electorum in coelo; ait enim: « Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum ». [25] Multi non credunt nec volunt credere iudicium futurum, ne a peccatis vitiisque abstineant, sicut in diebus Noe nolebant credere superventurum diluvium [26] et in diebus Loth futurum incendium, [27] ideo perierunt.

Parum timetur divinum hoc iudicium ex incredulitate.

Fratres mei, vos per salutem vestram rogo, caveamus ab incredulitate ne pereamus. Fidelis est Deus et verax; praedixit diluvium et incendium, praedixit Ierosolymorum utrunque excidium, et omnia uti praedicta fuerant acciderunt. Sed si credimus, ne simus immemores et incogitantes eorum quae credimus. Nos uti homines scimus nos morituros et uti christiani in iudicio de omni vita nostra rationem reddituros. Cogitemus, cogitemus haec, quia forte haec cogitatio magnum pariet nobis fructum, sicut villico illi qui timens auferri sibi villicationem, prudenter fecit, uti Dominus ait; [28] ut nos quoque eius exemplo simile faciamus, peccata nostra eleemosynis redimentes ut recipiamur in aeterna tabernacula; et sicut illi qui debitor decem millium talentorum oblatus est regi ponenti rationem cum servis suis,

Credere debemus Deo loquenti, ut timentes vitam nostram sancte instituamus.

22) Mt 25, 35. 23) 2 Cor 6, 2. 24) Io 3, 18. 25) Breviarium Rom. in festo SS. Innocentium respons. secundae lect. ad Mat. Cf. Apc 6, 11. 26) Cf. Gn 7, 1 sqq.; 1 Petr 3, 20. 27) Cf. Gn 19, 14. 28) Cf. Lc 16, 2-9.

sed petens veniam dicens: *Patientiam habe in me et omnia reddam tibi*,[29] obtinuit remissionem. Cogitemus peccata nostra commissa, opera bona dimissa et bona non bene acta, nam sine caritate bona opera nihil valent: *Si distribuero... omnes facultates meas et... tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*[30] Faciamus quod Dominus ait in fine sermonis habiti de iudicio: *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quae futura sunt et stare ante Filium hominis.*[31]

assidue etiam divinum iudicium meditari debemus,

Fides est veluti granum: *Semen est verbum Dei*;[32] pinsendum nobis hoc granum in molendino cordis nostri est per continuam meditationem, ut nobis panem vitae aeternae faciamus. Ne simus sicut infirmus ille qui medicum quidem libenter videt et loquentem audit, non tamen obedit; attente audit medicum de medela et potione salutifera disserentem, de virtutibus et proprietatibus ingredientium compositionem eius medicaminis, sed tamen eam sumere recusat, opinatus eam nimis amaram nimisque gustui et stomacho iniucundam esse, quare ipse sibi procul dubio causa mortis erit.

ut poenitentiam agamus et de misericordia Dei non abutamur.

Ecce medela: *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis*;[33] *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.*[34] Ne abutamur Dei misericordia et clementia, quae in die iudicii in severam iustitiam convertenda est, sicut nubes, quae Hebraeis ducatum praestabat in terram promissionis, die quidem nubes erat, sed sero convertebatur in ignem[35] et quae Hebraeis splendebat, Aegyptiis obscura erat,[36] in signum salutis illorum et perditionis horum. Ne, quaeso, expectemus iram Dei, sed *praeoccupemus faciem eius*,[37] ut in die iudicii gaudentes et laeti statuamur a dextris, non a sinistris. Dimittamus peccata; ne expectemus ut peccata dimittant nos, manentes cum voluntate peccandi, veluti accidit illis qui volentes per totam noctem ludere, deficientibus luminibus coguntur a ludo surgere, quia commoditas ludendi deficit, non voluntas. Sic et ob id impii aeternis poenis donabuntur, propter malam voluntatem peccandi et quia tunc in inferno, facta eorum voluntate immutabili, poenitere non poterunt. Dimittamus peccata, quoniam peccati de-

29) Mt 13, 26. 30) 1 Cor 13, 3. Vulg.: *Caritatem autem non habuero*, etc.
31) Lc 21, 36. 32) Ibid. 8, 11. 33) Ibid. 13, 3. 5. Vulg.: *Omnes similiter peribitis.*
34) Mt 3, 2; 4, 17. 35) Cf. Ex 13, 21 sq.; Dt 1, 33; Ps 77, 14; 104, 39.
36) Cf. Ex 14, 19. 37) Ps 94, 2.

lectatio brevis est, sed poena aeterna, uti in Adae peccato cernimus. Nos felices quos faciunt aliena pericula cautos! [38]

. . .

In die illa maxima divinae iustitiae severitas apparebit,

VI. Videamus ne in die iudicii videntes signum Filii hominis cum tribubus terrae plangamus; [39] sed sine fructu, nam crux tunc demonstrabit quanto odio Deus prosequatur peccatum, cum ob peccatum Adae voluerit unigenitum Filium suum pati talem tantamque mortem in cruce. Hinc elucebit qualis quantaque sit severitas divinae iustitiae. Crux tunc demonstrabit vanitatem mundi, nuditas Christi in cruce damnabit tunc pompas atque divitias, ignominia Christi in cruce vanos honores, poena Christi in cruce carnales delicias. Heu! quid tunc dicemus cum Christus ostendet nobis crucem suam et cicatrices corporis sui dicens ea se pro salute nostra passum, et nos mundum potius, carnem et diabolum sequi voluisse quam ipsum? Quid tunc dicemus cum apparuerit quanta sit vitii turpitudo? cum *manifestabit abscondita tenebrarum et revelabit consilia cordium*, ut laus sit *unicuique a Deo ?* [40] cum revelabit pudenda nostra in oculis totius mundi? [41] Siquidem

turpitudo vitii clarissime cognoscetur,

« Cuncta ... cunctorum cunctis ... patebunt ». [42]

Dabit Deus omnibus tale intellectus acumen, ut intelligant et clare cognoscant omnia opera, sive bona sive mala, omnium hominum, quasi quisque in fronte universam vitam suam diligentissime ac minutissime scriptam deferret.

in conspectu totius mundi conscientia revelabitur.

Bone Deus, qualis tunc erit malorum pudor, verecundia, confusio, ignominia, cum confundentur ac vituperabuntur a Christo in conspectu totius mundi, in theatro illo et spectaculo tam admirabili? Sed summa bonorum gloria erit, cum ab eodem Christo laudabuntur aeternumque honorem cum infinita gloria in sempiterna saecula saeculorum consequentur.

Fratres mei, satagamus, quaeso, ut per bona opera nostra certam nostram vocationem et electionem faciamus, [43] ut cum in die

38) Ex noto versu Aesopi:
« Felix quem faciunt aliena pericula cautum »,
Gualtero Anglico interprete. Leopoldo Hervieux *Les Fabulistes Latins*, vol. 2, pag. 368.
39) Cf. Apc 1, 7. 40) 1 Cor 4, 5. Vulg.: *Illuminabit abscondita... manifestabit consilia*, etc. 41) Cf. Nh 3, 5. 42) Versus Sybillae. Cf. S. Bernardus *De cognitione Humanae Conditionis*, cp. 2, (P. L. 184, 488). 43) Cf. 2 Petr 1, 10.

Satagamus ergo ut in die iudicii inter electos inveniamur.

iudicii dividet Deus bonos a malis, sicut in primo die mundi *divisit lucem a tenebris,* [44] nos in parte lucis simus, non tenebrarum. Lux enim sunt boni, mali autem tenebrae: *Eratis... aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.* [45] Sic ultimus dies mundi respondebit primo, cum benedicet Deus bonis, sicut tunc lucem benedixit: *Vidit Deus lucem quod esset bona ;* [46] et luci quidem dedit coelum ac diem, tenebris autem terram ac noctem.

Tunc enim iusti a reprobis separabuntur

Simus, simus lux, non tenebrae. Dividet lucem a tenebris, sicut duodecim nomina filiorum Israel, quae pontifex in pectore portabat, in signum desiderii salutis omnium; postea in aequas partes divisa portabat super humeros, sex quidem a dextris et sex a sinistris. [47] Sic ex una parte erit exercitus Israelitarum et ex altera Philisthaeorum, [48] sic dividetur lux a tenebris in die iudicii ut primae diei respondeat ultima, veluti in circulo finis principio. Sicut enim in prima creatus est mundus, sic in ultima recreabitur: *Erunt coeli novi et terra nova et erit lux lunae sicut lux solis,* [49] et sicut in prima ex tenebris facta lux est, sic in ultima ex morte vita et vita immortalis et in electis beata. O qualis lux! o quale spectaculum videre a terra tot soles resurgere quot erunt electi! Turba magna quam dinumerare nemo potest; [50] sed omnes erunt sole fulgentiores: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.* [51] O quale coelum erit videre illa die tali sole, Christo, tali luna, Maria Virgine, talibus solibus potius quam astris ornatum! Sicut in prima die creavit omnes Angelos et bonos separavit a malis, sic in ultima reformabit et recreabit omnes homines separans bonos a malis.

et in regno Patris sicut sol gloria et luce fulgebunt.

44) Gn 1, 4. 45) Eph 5, 8. 46) Gn 1, 4. 47) Cf. Ex 28, 17-21; 39, 6-14. 48) Cf. 1 Rg 17, 1-52. 49) Is 30, 26. 50) Cf. Apc 7, 9. 51) Mt 13, 43. Vulg.: *Iusti fulgebunt.*

## III. ALIA HOMILIA

*Erunt signa in sole et luna et stellis et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris, etc.* [1]

I. In hodierno Evangelio prophetice loquitur Christus de futuro universali iudicio vaticinans, futurus enim erat Messias propheta singularissimus, sol Prophetarum, similis Moysi, sic enim Moyses ipse in suo *Deuteronomio* dixit: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus... ipsum audies.* [2]

Prophetice loquitur Christus de futuro iudicio universali,

Isaias autem agens de divini huius Prophetae praedicatione, ita ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit... me, praedicare pauperibus misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem, ut praedicarem annum placabilem Domino et diem ultionis Deo nostro.* [3] Quattuor inquit quod praedicaturus erat divinus iste Propheta: *indulgentiam, apertionem, annum placabilem* et *diem ultionis. Indulgentiam*, idest remissionem omnium peccatorum, et *apertionem*, sive, ut est apud Lucam, ubi Christus de seipso vaticinium hoc interpretatur: *Praedicare captivis remissionem et caecis visum ;* [4] visus autem vivam fidem significat et gratiam Spiritus Sancti. Haec duo spectant ad praesens tempus At vero quoad futurum: *Ut praedicarem annum placabilem Domino*, sive *annum beneplaciti Domino, et diem ultionis Deo nostro. Annum placabilem*, annum iubilaei perpetui, aeterni sabbati, cui benedixit Dominus, nec vesperam assignavit: [5] *Benedices coronae anni benignitatis tuae et campi tui replebuntur ubertate ;* [6] et *diem ultionis*, diem utique universalis iudicii, quo Deus vindictam sumet de omnibus inimicis suis. [7]

quod Isaias appellavit annum placabilem Domino pro iustis,

et diem ultionis pro reprobis.

De his duobus mysteriis vaticinatur Christus in hodierno Evangelio, post enarrata signa quae praecessura sunt diem iudicii: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* [8] Hic est annus beneplaciti; cum autem

De his duobus vaticinatur hodie Christus.

1) Lc 21, 25. 2) 18, 15. 3) 61, 1-2. Vulg.: *Eo quod unxerit... me, ad annuntiandum mansuetis misit me.* 4) 4, 18-19. 5) Cf. Gn 2, 3. 6) Ps 64, 12. 7) Cf. Ier 46, 10. 8) Lc 21, 28.

ait: *Arescentibus hominibus prae timore et expectatione quae supervenient universo orbi, nam virtutes coelorum commovebuntur, et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate,* [9] praedicit et praedicat *diem ultionis Deo nostro.*

Haec duo mysteria simul enunciata fuerunt a sanctis prophetis Malachia, Isaia,

II. Haec duo mysteria simul complexus fuit Malachias dicens: *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non derelinquet eis radicem et germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae et sanitas in pennis eius, et egrediemini et salietis sicut vituli de armento.* [10] Specialiter autem agit hodiernum Evangelium de die ultionis, de qua per Isaiam Dominus ait: *Ecce dies Domini venit crudelis et indignationis plenus et irae furorisque, ad ponendam terram in solitudinem et peccatores eius conterendos de ea; quoniam stellae coeli et splendor earum non expandent lumen suum; obtenebratus est sol in ortu suo et luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala et contra impios iniquitatem eorum.* [11] Haec dies de qua Ieremias: *Vae quia magna dies illa, nec est similis eius* [12] et tribulabitur Iacob! De hac Ioel: *Magnus ... dies Domini et terribilis valde, quis sustinebit eum?* [13] De hac Amos: *Vae desiderantibus diem Domini! ... Dies Domini ista tenebrae et non lux. Quomodo si fugiat vir a facie leonis et occurrat ei ursus et ingrediatur domum et innitatur manu sua super parietem et mordeat eum coluber. Nunquid non tenebrae dies Domini et non lux, et caligo et non splendor in ea?* [14] De hac Sophonias: *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta ... et velox nimis; vox diei Domini amara, tribulabitur* in ea *fortis. Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis, dies tubae et clangoris super civitates munitas ... Et tribulabo homines et ambulabunt ut caeci, quia Domino peccaverunt; et effundetur sanguis eorum sicut humus et corpora eorum sicut stercora. Sed et argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos in die irae Domini, in igne zeli eius devorabitur*

Ieremia, Ioel, Amos,

Sophonia.

9) Ibid. vrr. 26-27. Vulg.: *Movebuntur.* 10) 4, 1-2. 11) 13, 9-11. Vulg.: *Veniet, crudelis.* 12) 30, 7. 13) 2, 11. 14) 5, 18-20.

*omnis terra.*[15] Sic a Divinis Vatibus dies ultionis huius supra modum terribilis horribilisque describitur.

Isaias horrens ac tremens describit extremam et irreparabilem mundi ruinam

Hinc Isaias de divino iudicio loquens ait: *Visio dura nunciata est mihi... propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis; corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem; emarcuit cor meum, tenebrae stupefecerunt me.*[16] Cur tantus tremor, Vates sanctissime? Unde tantus horror? Quia, inquit, *cecidit, cecidit, Babylon* illa magna *et omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram,*[17] idest damnabitur mundus et irreparabiliter peribit, honor autem et divitiae carnisque sensus, qui nunc dii sunt mundi huius, in die iudicii totaliter conterentur. Tunc fiet quod idem Isaias ait: *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir proeliator suscitabit zelum,* idest iram, *vociferabitur et clamabit, super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui; sicut parturiens loquar, dissipabo et absorbebo simul; desertos faciam montes et colles et omne germen eorum exiccabo; et ponam flumina in insulas et stagna arefaciam,*[18] hoc est revocabit sibi tunc Deus in memoriam omnia peccata mundi ad excitandam iram suam, revocabit in memoriam patientiam et tolerantiam suam; tandem peccatores bonis omnibus privabit malisque omnibus afficiet, cum eos sorbebit terra et fornax inferni perpetuo cruciabit; nam infernus erit ad instar babylonicae fornacis, cuius flammae ad quadragesimum usque nonum cubitum ascenderunt, sed non pervenerunt ad quinquagesimum remissionis et indulgentiae.[19] Sic plenus ira et furore veniet ad iudicandum in maiestate terribili et tremendissima.

et iudicem venientem in maiestate terribili.

Sic etiam Ioannes apostolus in *Apocalypsi*

Divus Ioannes in *Apocalypsi* 10 capite sic eum venientem depingit: *Vidi... Angelum fortem, descendentem de coelo, amictum nube et iris in capite eius, et facies eius erat ut sol et pedes eius tanquam columnae ignis; et habebat in manu sua librum apertum; et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram; et clamavit voce magna quemadmodum cum leo rugit.*[20] Capite autem 14 inquit quod in manu sua habebat falcem acutam,[21] et 19 quod *oculi... eius sicut flamma ignis... et de ore eius procedit gladius ex*

15) 1, 14 sqq. Vulg.: *Tribulabitur ibi fortis*, etc. 16) 21, 2-4. 17) Ibid. vr. 9. 18) 42, 13-15. Vulg.: *Omne gramen eorum*, etc. 19) Cf. Dn 3, 19-22. Cf. not. 12 hom. praec., pag. 183. 20) Vrr. 1-3. Vulg.: *Libellum apertum*, etc. 21) Cf. vrr. 14-19.

*utraque parte acutus.* [22] Hoc autem quid est nisi quia totus apparebit terribilis? Terribilis aspectus, quia oculi eius erunt tanquam ignis ardens ira accensi; terribilis vox, quia erit sicut leonis rugientis: *Leo rugiet, quis non timebit ?* [23] terribilis lingua, quia erit sicut gladius acutus ad occidendum; terribilis manus, quia habebit falcem acutam; terribiles pedes, quia erunt sicut columnae, quemadmodum alibi legimus: *Crura illius marmoreae columnae, quae fundatae sunt super bases aureas.* [24]

mystice designans aeternitatem misericordiae Dei in gloria electorum

Designant autem hae columnae aeternitatem divinae misericordiae et iustitiae, quia tum gloria tum poena erit aeterna: *Ite, maledicti, in ignem aeternum... Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* [25] *Posuit dextrum pedem super mare, sinistrum autem super terram: Statuet oves... a dextris, haedos autem a sinistris* [26] Aqua suapte natura clara et mobilis est, terra autem obscura et immobilis, et nobilior superiorque natura aqua est quam terra. In aqua autem Baptismi institutum est sacramentum *regenerationis et renovationis Spiritus Sancti,* [27] non in terra. Aqua sit quisquis in die iudicii consequi vult aeternam misericordiam, nam si terra fuerit, aeternae subiacebit iustitiae. Considerate, fratres, rogo, aeternitatem hanc quid est: supplicium aeternum et vita aeterna, nam aeternum est quod nunquam habiturum est finem. Damnatus quisque designatus est per hominem illum qui debebat regi decem millia talenta et missus est in carcerem quoadusque redderet universum debitum, [28] ita ut si post mensem hic interrogatus fuisset: Quantum debes regi? Decem millia talenta; et si post annum aut decem vel viginti aut triginta annos, semper essent decem millia talenta. Sic omnis damnatus debet Deo semper aeternam infinitamque poenam: *Ibunt hi in supplicium aeternum.* Si esset mare multo maius diluvio Noe et per singulos annos una tantum guttula absorberetur ex eo a formica, citius totum mare a formicula absorberetur quam aeternitas ista finiatur.

et aeternitatem iustitiae in poena reproborum.

Pauci erunt tunc salvandi,

III. Sed quid est, fratres, quod *Angelus* iste *magni consilii* [29] librum manu tenet? Hoc est quod Angelus Danieli dixit: *In tempore...*

22) Vrr. 12-15. 23) Am 3, 8. 24) Ct 5, 15. Vulg.: *Columnae marmoreae.* 25) Mt 25, 41-46. Vulg.: *Discedite a me, maledicti, etc.* 26) Ibid. vr. 33. 27) Tit 3, 5. 28) Cf. Mt 18, 24-25. 29) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta.

*illo salvabitur . . . omnis qui inventus fuerit scriptus in libro.* [30] Magnum necesse est esse librum istum, in quo descripti sunt omnes omnium temporum et locorum homines qui salvandi sunt; erit forte liber ille magnus, quem volantem vidit Zacharias, cuius longitudo erat viginti cubitorum, latitudo autem decem. [31] Sed inquit quod habebat in manu libellum parvum, adeo quod eum Ioannes potuit devorare et factus est in ore ipsius tanquam mel dulcis, [32] sicut liber quem Ezechiel quoque de manu Angeli acceptum devoravit. [33] Quid est hoc? Quod pauci sunt electi, pauci qui salvantur, sicut pauci remanent in vinea racemi post vindemiam, pauculae spicae in campo post messem, paucae olivae in olea post excussionem; hinc ait Christus electis: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum;* [34] reproborum autem et damnatorum erit numerus infinitus; electi sunt sicut lapides pretiosi, reprobi autem sicut lateres et communes lapides; electi sicut stellae coeli, reprobi autem sicut arena maris. [35] Deus per Amos prophetam dicit: *Revelabitur quasi aqua iudicium et iustitia sicut torrens fortis.* [36] Erit iudicium simile diluvio, ex quo paucissimi in arca Noe salvati fuere. [37]

multi autem damnandi.

Fratres mei, si volumus salvari, demus operam virtuti, incumbamus bonis operibus, satagamus vitam nostram a vitiis emendare. Non decipiat nos diabolus vana spe divinae misericordiae, ut diutius in peccatis perseveremus. Sciamus quod omnia instrumenta divinae misericordiae erunt in die iudicii instrumenta divinae iustitiae provocantia ad iram, incitantia ad vindictam. Sic *parebit signum Filii hominis,* [38] idest crux in coelo. Lingua Christi sanctissima, quae verba vitae aeternae habebat, [39] tunc erit sicut gladius acutus; oculi Christi clementissimi, fontes divinae misericordiae, ardebunt sicut ignis prae ira, totum terrebunt mundum.

Quae nunc instrumenta sunt misericordiae, in die iudicii instrumenta erunt divinae iustitiae.

IV. *Erunt signa in sole et luna et stellis et in terris pressura gentium;* [40] *Et tunc parebit signum Filii hominis in coelo,* etc. In *Apocalypsi* legimus quod, aperto sexto sigillo, factus est terraemotus

Hoc innuit etiam Amos propheta.

30) Dn 12, 1. 31) Cf. 5, 2. 32) Cf. Apc 10, 9-10. 33) Cf. 3, 1-3. 34) Lc 12, 32. 35) Cf. Gn 22, 17. 36) 5, 24. Vulg.: *Quasi torrens.* 37) Cf. Gn 7, 23; 1 Petr 3, 20. 38) Mt 24, 30. 39) Cf. Io 6, 69. 40) Lc 21, 25.

magnus et sol factus est niger, veluti opertus sacco cilicino, luna autem tota facta est sicut sanguis et stellae ceciderunt de coelo, sicut cadunt fructus de arbore cum magno vento movetur et excutitur; coelum autem recessit tanquam libri volumen involutum et factus est timor maximus super universas gentes propter iram Agni, *quoniam venit dies magnus irae ipsorum,* idest contra eos, *et quis poterit stare?*[41] Nam: *Iustus vix salvabitur, impius* autem *et peccator ubi parebunt?*[42] Amos propheta ait: *Vae desiderantibus diem Domini! Ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebrae et non lux. Quomodo si fugiat vir a facie leonis et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum et innitatur manu sua super parietem et mordeat eum coluber. Nunquid non tenebrae dies Domini et non lux, et caligo et non splendor in ea?*[43]

Triplici ex capite multi in die iudicii damnabuntur: ob peccata commissionis,

Triplici ex capite multi damnabuntur in die iudicii. Primo, quia multa scelera commiserunt: *Discedite a me omnes operarii iniquitatis;*[44] *Dixi iniquis: Nolite inique agere; et delinquentibus: Nolite exaltare cornu. Nolite loqui adversus Deum iniquitatem... quoniam Deus iudex est,* nec poterit fuga patere *neque ab oriente neque ab occidente neque a desertis montibus,*[45] Deus enim ubique manus extendit.

omissionis,

Quod si quis fugiat a facie leonis, nam multi sunt qui a gravibus peccatis et sceleribus abstinent, occurret ei ursus, multi enim damnabuntur ex defectu bonorum operum, ob peccata non commissionis, sed omissionis: *Ite, maledicti, in ignem aeternum... Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, sitivi et non,* etc.;[46] *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.*[47]

et etiam ob bona opera male facta.

Poterit autem quis effugere etiam ab urso sicut et a leone, nam multi abstinent a malis et incumbunt operibus bonis, sed mordebit eum coluber de pariete: domus est Sancta Ecclesia, parietes opera bona, sed potest latere coluber in pariete. Damnabuntur multi hypocritae, qui declinarunt quidem a malo et fecerunt bonum, sed non propter Deum, ideo *receperunt mercedem suam:*[48] *Iuste quod iustum est exequeris;*[49] *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo:*[50] non dicit iniquitates, sed *iustitias,* iudicabit enim opera bona an sint facta ex caritate propter Deum. Hinc sequitur eodem loco Amos pro-

41) 16, 12 sqq. 42) 1 Petr 4, 18. 43) 5, 18-20. 44) Lc 13, 27.
45) Ps 74, 5-8. Ordine inverso affert hos vrr. 46) Mt 25, 41-42. 47) Ps 40, 2.
48) Mt 6, 16. 49) Dt 16, 20. Vulg.: *Persequeris.* 50) Ps 74, 3.

p h e t a : *Odi et proieci festivitates vestras et non capiam odorem coetuum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi holocautomata et munera vestra, non suscipiam et vota pinguium vestrorum non respiciam.* [51] Haec profecto bona opera sunt; sed opera bona non placent Deo neque merentur vitam aeternam, nisi ex caritate sint facta. Quis igitur poterit stare coram iudice? Quis diem Domini sustinere?

**Nunc tempus est misericordiae, tunc tempus erit iustitiae.**

V. *Tunc parebit signum Filii hominis.* Universum tempus in duas partes Deus divisit, et alteram quidem dedit homini, alteram vero pro se retinuit; divisit in n u n c et t u n c : nunc est tempus hominis, tunc autem est tempus Dei: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo ;* nunc est tempus misericordiae, tunc tempus iustitiae; nunc tempus est voluntatis humanae, tunc tempus voluntatis divinae; nunc tempus meriti vel demeriti, tunc tempus praemii vel supplicii. *Semel locutus est Deus, duo haec audivi : quia potestas Dei est et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.* [52] Audivit mysteria misericordiae et iustitiae divinae et quod Deus potest simpliciter exequi tum misericordiam tum [52*] iustitiam suam; non enim est sicut homo qui multoties vult et non potest; Deus potest omne quod vult.

**Vivendum ergo nobis est cum spe divinae misericordiae et cum timore divinae iustitiae.**

O felices qui semper inter hos duos terminos vivunt, inter n u n c et t u n c ! *Si dormiatis inter medios cleros,* sive inter terminos, *pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi eius in pallore auri :* [53] erit, inquit, unaquaeque anima ad instar columbae simplicis et fecundae, candidae et fulgidae ob vitae innocentiam et sanctitatem, si vivat inter hos terminos, spei divinae misericordiae et timoris divinae iustitiae: divinae misericordiae, quae ostensa est in primo Christi adventu, et iustitiae, quae ostendetur in secundo.

**Hinc hodie Ecclesia duos Christi adventus simul coniungit.**

Hinc Divinae Scripturae saepe primum Christi adventum cum secundo coniungunt, sicut Ecclesia hodie facit, ut ex consideratione unius concipiamus spem et ex consideratione alterius timorem: *Orietur stella ex Iacob:* hic est primus adventus, *exurget virga ex Israel et percutiet principes Moab et omnes filios Seth devastabit:* [54] hic est secundus: *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeri-*

51) 5, 21-22. 52) Ps 61, 12 sq. 52*) Ms.: *Suam* loco: *Tum.* 53) Ps 67, 14.
54) Nm 24, 17. Vulg.: *Consurget virga de Israel... aures Moab vastabitque omnes filios Seth.*

ut ex utriusque consideratione spem et timorem concipiamus.

*tis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus... et quis poterit sustinere diem adventus eius? et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis,* etc.[55] Sic semper inter hos terminos incedendum nobis est, ut recte ambulemus, non declinantes neque ad dexteram neque ad sinistram. Hinc Christus ex misericordia sua divinam iustitiam denunciat: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.*[56] Arcus divinae iustitiae nunc tentus videtur in coelum, sicut iris, arcus coelestis, sed tunc directus erit contra terram; nunc Deus nos ad poenitentiam expectat.

Multi autem quia sententia tardat, sine timore in peccatis vivunt et sic pereunt.

Sed heu! quia non statim, ut Sapiens ait, *profertur contra malos sententia,*[57] absque ullo timore filii hominum perpetrant malum. Sed: *O homo,* inquit Paulus, *an divitias bonitatis... et patientiae et longanimitatis* Dei *contemnis? ignoras quod benignitas Dei ad poenitentiam te expectat? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor* tuum *thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.*[58] *Divitias* inquit *bonitatis* ob collata beneficia, divitias *patientiae* ob acceptas iniurias, divitias *longanimitatis,* quia tanto tempore expectat ad poenitentiam; ideo *thesaurizas tibi iram in die irae,* propter ingratitudinem erga bonitatem Dei *et revelationis* iniquitatum tuarum *et iusti iudicii Dei,* quo te damnabit ob impoenitentiam tuam.

Accidet tunc mundo sicut accidit Balthassar regi, qui inter epulas sententiam mortis accepit.

VI. *Erunt signa in sole et luna et stellis.* Accidet impio mundo sicut accidit regi Babylonis Balthassar. Cum enim, facto solemni ac splendido convivio, epularetur et sacra divini templi vasa profanaret, apparuit quasi manus hominis scribens in superficie parietis contra candelabrum; scriptura autem erat: *Mane, thecel, phares.*[59] Convivabitur tunc mundus et secundum carnem omnino vivet, sicut Dominus ait evenisse in tempore diluvii et incendii Pentapolis;[60] profanabit vasa sacra templi per contemptum Dei et abusum spiritualium rerum.

Sed ecce manus quasi hominis: Christus est brachium et manus Dei, qua Deus omnia operatus est; sed iudicabit Christus tanquam

55) Mal 3, 1-2. Vulg.: *Poterit cogitare diem,* etc. 56) Ps 59, 6. 57) Eccle 8, 11. Vulg.: *Non profertur cito,* etc. 58) Rom 2, 3-5. Vulg.: *Quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit,* etc. 59) Cf. Dn 5, 1-25. 60) Cf. Lc 17, 26-30.

homo et in forma humana, ideo dicitur *quasi manus hominis*, sed scribentis.[61] Constat manus quinque digitis, sed in scribendo tribus tantum utitur. Sunt Dei quinque attributa specialia: potentia, sapientia, bonitas, iustitia et misericordia; sed in die iudicii tria attributa specialiter apparebunt: potentia, sapientia et iustitia; potentia qua suscitabuntur omnes mortui: *Congregabuntur* enim ante iudicem *omnes gentes;* sapientia, qua discernentur electi a reprobis quasi oves ab haedis; et iustitia, qua statuentur oves a dextris, haedi autem a sinistris.[62] Sapientia est: *Numeravit... regnum tuum et complevit:*[63] numerabit tunc Christus infinita sapientia sua omnes dies cuiuscunque hominis et omnia quae gesta in illa sunt; iustitia: *Appensus es in statera et inventus es minus habens;*[64] *Esurivi... et non* dedisti *mihi manducare*, etc.; potentia: *Divisum est regnum tuum et datum est Persis et Medis,*[65] datum inimicis tuis: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Scribebat manus hanc sententiam contra candelabrum in superficie parietis, loco patenti et ubi ob lumen candelabri clare videri posset scriptura, quoniam tunc revelabuntur abscondita tenebrarum et manifestabuntur consilia cordium:[66] nunc iudicia Dei et causae iudiciorum Dei secreta sunt, tunc autem omnibus manifesta erunt.

**Tria attributa Dei specialiter apparebunt in die iudicii:**

**potentia, sapientia et iustitia.**

Exterritus fuit et vehementer conturbatus rex, viso hoc signo irae Dei contra ipsum; sic arescent, inquit, homines *prae timore et expectatione quae supervenient universo orbi.*[67] Nos autem, o fratres, tam impavido corde nunc sumus ut nihil timeamus? Divus Lucas refert in *Actis Apostolorum* quod, disputante Paulo de finali iudicio, Felix, Iudaeae praeses, quamvis gentilis esset et nec Deo, nec Christo, nec Legi, nec Evangelio crederet, tremefactus tamen fuit.[68] Beatus Iob, vir testimonio Dei sanctissimus, qui de seipso vere dicebat: *In universa vita mea non reprehendit me cor meum,*[69] quamvis verum sit quod *gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae,*[70] tamen sciens quod Deus maior est corde et conscientia nostra, timebat diem iudicii; et nos nihil timemus? Christus dicit

**Sancti ipsi diem iudicii formidabant,**

**quanto magis nos timere debemus!**

61) Dn 5, 5. 62) Cf. Mt 25, 32. 63) Dn 5, 26. 64) Ibid. vr.27.
65) Ibid. vr. 28. Vulg.: *Medis et Persis.* 66) Cf. 1 Cor 4, 5. 67) Lc 21, 26.
68) Cf. 24, 25. 69) 27, 6. Vulg.: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.*
70) 2 Cor 1, 12.

quod arescent homines prae timore divini iudicii; nos ergo cum nihil timeamus, vel supra homines sumus angeli in carne, vel infra homines animalia bruta, *quibus non est intellectus*[71] ad praevidenda, timenda et praecavenda futura mala.

Duplex describitur Dei adventus in Divinis Litteris:

VII. *Tunc... videbunt Filium hominis venientem in nube... cum potestate magna et maiestate,*[72] nam *omnes Angeli* eius erunt *cum eo.*[73] Duplex Dei adventus in mundum describitur in Divinis Litteris: prior ad salvandum mundum, posterior ad iudicandum; prior in humilitate, posterior in gloria et maiestate. In priori Deus paravit expeditionem contra diabolum, in posteriori parat expeditionem contra hominem. Contra diabolum superbum venit in humilitate, ad ostendendos thesauros pietatis et sapientiae suae. Nota erat diabolo Dei gloria in coelo, sed non humilitas in terra. Contra homines humiles et abiectos veniet in gloria et maiestate, nam hominibus nota est Dei humilitas in terra, sed non gloria et maiestas in coelo. Sic, inquit, *videbunt Filium hominis venientem in nube... cum potestate magna et maiestate et tunc plangent omnes tribus terrae.*[74] Videbunt tunc quem offenderunt. Hinc innuitur quod ex hoc capite, ex hac radice et fonte oriuntur mala omnia, eo quod non cognoscunt homines in mundo Dei potestatem et maiestatem, cum nonnisi terrena et mundana sapiant homines animales et non percipiant *quae sunt spiritus Dei;*[75] tunc autem, cum viderint et cognoverint, plangent scientes quem offenderint.

Primus cum venit in humilitate, secundus cum veniet in maiestate et gloria.

71) Ps 31, 9. 72) Mt 24, 30. Vulg.: *In nubibus... cum virtute multa,* etc.
73) Ibid. 25, 31. 74) Ibid. 24, 30. 75) 1 Cor 2, 14.

## DOMINICA SECUNDA

Ioannes discipulos suos hodie ad Christum mittit ad ipsius Christi gloriam et discipulorum salutem.

I. Aurea lux ignisque splendens, qui coelestis solis naturam imitatur in terra, quamvis ferreo carcere sit in laterna inclusus, per translucida tamen vel crystalla vel vitra vel cornua vel saltem per parva foramina transiens radiosque emittens, pellit nocturnas tenebras, illuminat oculos hominum, in profunda nocte caecaque, coelo tenebris obducto, demonstrat ambulantibus bonam viam gressusque dirigit ne viator offendat, ita plane Ioannes Baptista praecursor Christi, tanquam lucerna ardens et lucens: *Ille*, inquit de eo Christus, *erat lucerna ardens et lucens*,[1] qui coelestium illorum astrorum, de quibus scriptum est: *Ubi eras . . . cum me laudarent . . . astra matutina et iubilarent omnes filii Dei ?*[2] virtutes imitabatur in terra, unde *Angelus* meruit appellari: *Ecce ego mitto Angelum meum*, etc.,[3] hodie, quamvis in carcere inclusus ferreisque vinculis tentus, per foramina carceris loquens discipulis suis lumine coelestis doctrinae eos illuminat. Et quoniam missus fuit a Deo *ut testimonium perhiberet de lumine*,[4] Christo, qui est vera lux,[5] mittit discipulos suos ad Christum summa quadam coelesti ac divina prudentia ignorantiam fingens, ad Christi maiorem gloriam et discipulorum suorum salutem;[6] mittit, inquam,

1) Io 5, 35. 2) Iob 38, 7. 3) Mal 3, 1. 4) Io 1, 7. 5) Cf. ibid. vr. 9.

6) In margine haec adiecta fuerunt: « Seraphim illi Deum laudabant, Christus et Ioannes Dei gloriam praedicabant; et cum Ioannes destitit praedicare coniectus in carcerem, tunc coepit praedicare Christus, sicut solem (ms.: sol) lumen lunae sequitur et sicut Abelo suffectus fuit Seth, Moysi Iosue, Aaroni Eleazarus, Eliae Eliseus ».

Et immediate, linea atramento ducta: « Sicut Eliseus certissime sciens quod Elias in coelum raptus erat, misit tamen viros ad requirendum eum, ut illi simul et populus certiores fierent de raptu Eliae, sic Ioannes certissime sciens quod Christus Dominus noster verus erat Messias, mittit tamen discipulos suos ad Christum quaerens: *Tu es qui*, etc., ut discipuli divinam hanc veritatem discerent et crederent in Christum ».

ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* [7] Et quoniam in sacrosancto hodierno Evangelio multa nobis dantur documenta salutis, eius nobis pertractanda mysteria sunt.

*Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* [8]

**Duo cherubim in templo Dei et duo Seraphim apud Isaiam Christum et Ioannem figurabant.**

II. Videre mihi videor hodie duos cherubim gloriae in sancto sanctorum se mutuo respicientes [9] et duos Seraphim sese mutuo laudantes apud Isaiam, dum stantes a dextris et a sinistris Domini Dei sedentis *super solium excelsum et elevatum... clamabant alter ad alterum atque dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus.* [10] Angelus enim Christus est: *Statim veniet ad templum* sanctum *suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis;* [11] ille Angelus qui in columna nubis praecedebat filios Israel et in columna ignis, [12] de quo scriptum est: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te et custodiat in via et introducat in locum quem praeparavi. Observa... et audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo.* [13] Ioannes quoque Angelus est: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem tuam.* [14] Christus Cherub est plenus scientia: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei; [15] Ioannes quoque Cherub plenus scientia: *Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, praeibis... ante Dominum parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius.* [16] Christus Seraph est totus ardens: *Angelus testamenti, quem vos vultis... ipse... quasi ignis conflans;* [17] Ioannes quoque Seraph: *Ipse erat lucerna ardens et lucens.* Christus Seraph, columna ignis, rubus ardens, [18] homo igneus visus Ezechieli supra firmamentum, [19] serpens aeneus, qui seraph dicitur: עֲשֵׂה לְךָ שָׂרָף: [20] *Fac tibi seraph;* [21] Ioannes Seraph: *Spiritu Sancto implebitur adhuc ex*

7) Mt 11, 3. 8) Pericope huius diei Mt 11, 2-10. Cf. Missale Rom. 9) Cf. Ex 25, 18-20; 37, 7-9. 10) 6, 1-3. Vulg.: *Et dicebant*, etc. 11) Mal 3, 1. 12) Cf. Ex 13, 21 sq. 13) Ibid. 23, 20-21. Vulg.: *Quem paravi.* 14) Mal 3, 1. Refert ex Mt 11, 10. 15) Col 2, 3. 16) Lc 1, 76-77. Vulg.: *Ante faciem Domini*, etc. 17) Mal 3, 2. 18) Cf. Ex 3, 2. 19) Cf. Ez 1, 26-27; 10, 1-2. 20) Ms.: *Hesseh lekah saraph.* 21) Nm 21, 8.

*utero matris suae;*[22] Spiritus autem Sanctus ignis est, qui in igne descendit super Apostolos discipulosque Christi.[23]

Hi ergo duo Cherubim hodie se mutuo respiciunt, hi Seraphim mutuo se laudant. Ioannes primo, qui Seraph et Cherub est minor, a sinistris non a dextris, nam inquit: *Qui post me venturus est... ante me factus est, cuius... non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamentorum.*[24] Hic Christum mente intuitus eumque ab omnibus agnosci et laudari desiderans, mittit discipulos ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*

**se mutuo hodie laudantes.**

III. Ioannes quidem multis modis Christum prius laudaverat, ex quo eum baptizavit et super eum vidit aperiri coelos, descendere Spiritum Sanctum in columbae specie et vocem Patris audivit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui.*[25] Nam altera die post baptisma, dixit videns Christum: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;*[26] et rursus altera die videns Christum ambulantem dixit iterum: *Ecce Agnus Dei,*[27] unde duo eius discipuli, inter quos fuit Sanctus Andreas, audientes hoc Christum secuti fuerunt.[28] Laudavit Christum *quando Iudaei miserunt ab Ierosolymis sacerdotes et levitas... ut interrogarent* an ipse Christus esset, quibus ait se Christum non esse, sed *medius*, inquit, *vestrum stetit quem vos nescitis; ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus*, etc.[29] Laudavit, et multo magis, quando venerunt ad eum discipuli eius et invidia quadam moti retulerunt quod Christus baptizaret omnesque ad eum concurrerent.[30] Hanc autem occasionem nactus Ioannes, multis Christum laudibus extulit: quod Christus divina auctoritate baptizaret, dicens: *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de coelo;* quod sponsus esset Ecclesiae verusque Messias: *Ipsi... mihi testimonium perhibetis quando dixi:* Quia *non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam sponsus est;* quod Christi gloria semper ampliora incrementa esset habitura: *Illum oportet crescere, me autem minui;*

**Multis quidem modis Ioannes Christum laudaverat: in baptismo, post baptismum,**

**coram Iudaeis qui legationem ad eum miserunt, et coram discipulis suis.**

22) Lc 1, 15. Vulg.: *Replebitur*, etc. 23) Cf. Act 2, 3-4. 24) Io 1, 27.
25) Mt 3, 15 sq. 26) Io 6, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 27) Ibid. vr. 36. 28) Cf. Ibid. vrr. 37-40. 29) Ibid. vrr. 19-27. Vulg.: *Miserunt Iudaei*, etc. 30) Cf. ibid. 3, 26.

quod Christus coelestem haberet originem: *Qui desursum,* de coelo, *venit, super omnes est;* quod Christi doctrina coelestis divinaque esset: *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur, non enim ad mensuram dat Deus spiritum;* quod Christus Deo summe esset dilectus: *Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius;* et tandem quod Christus auctor esset vitae aeternae: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.*[31] O laudes vere coelestes, superhumanae, superangelicae, vere divinae!

**Sed videns se nihil profecisse ut discipuli vere in Christum crederent,**

IV. Sed vel nihil profecerunt laudes istae apud discipulos suos ut vere in Christum crederent; persistebant adhuc in aemulatione quadam et amaro zelo invidentes operibus Christi, quasi obscuraretur gloria eorum magistri Ioannis multo maiori gloria Christi, sicut superveniente sole luna quodammodo obscuratur. Hinc cum aligera fama ubique volans magno tubae suae sono Christi miracula cum infinita eius gloria divulgaret, maxime vero miraculum recens factum resuscitationis adolescentis filii viduae naimitis,[32] discipuli Ioannis, audito hoc miraculo, retulerunt illud ad magistrum suum Ioannem, et hoc est quod ait: *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi.*

**mittit duos ex ipsis ad Christum cum hoc quaesito, quandam ignorantiam fingens.**

Videns Ioannes quod cum livore quodam animi discipuli sui nimium nimiumque aemulatores ac zelatores honoris et gloriae ipsius, sicut Iosue cum quodam animi livore retulit Moysi quod Eldad et Medad prophetarent in populo, ut prohiberet eos,[33] unde Moyses dixit ei: *Quid... aemularis pro me? Quis mihi det ut omnis populus prophetet et det eis Dominus spiritum suum?*[34] sic, inquam, Ioannes videns discipulos suos livore animi erga Christum repletos et sciens quam perniciosa res invidia est quae occidit Abelem,[35] fera pessima quae devoravit Ioseph,[36] quae Isaaco puteos aquarum viventium obstruxit,[37] quae Davidem persecuta mortaliter fuit,[38] quae Danielem in lacum leonum misit,[39] quae vel omnium malorum seminarium est, cum *invidia... diaboli mors intravit in mundum,*[40] quae tanquam tenebrae omni splendori, omni virtuti bonoque pro-

31) Ibid. vrr. 27 sqq. Vulg.: *Perhibetis quod dixerim,* etc. 32) Cf. Lc 7, 11-20. 33) Cf. Nm 11, 25-28. 34) Ibid. vr. 29. Vulg.: *Quis tribuat,* etc. 35) Cf. Gn 4, 4-8. 36) Cf. ibid. 37, 3 sqq. 37) Cf. ibid. 26, 14-15. 38) Cf. 1 Rg 18, 6 sqq. 39) Cf. Dn 6, 15 sqq.; 14, 26 sqq. 40) Sap 2, 24. Vulg.: *Introivit in mundum.*

ximi opponitur, damna sibi faciens aliorum emolumenta; videns, inquam, Ioannes corporeis vinculis carne vinctus discipulos suos a diabolo vinculis huius vitii vinctos teneri in spiritu, pro eorum salute summa prudentia usus, finxit ignorantiam quandam et deligens duos de discipulis suis misit ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus ?* Tu es ille venturus Messias, qui elapsis saeculis venturus semper expectatus est, an tu venturi Messiae praecursor es, quare alius nobis adhuc expectandus est?

Alludit Ioannes ad innumera Scripturae vaticinia

Alludit Ioannes hoc suo quaesito ad innumera Sanctarum Scripturarum vaticinia et sacra mysteria; alludit ad divinum illum coelestis mulieris Filium, qui caput serpentis contriturus erat, [41] ad semen Abrahae,[42] Isaac[43] et Iacob,[44] in quo benedicendae erant omnes gentes, ad salutare illud Iacob: *Salutare tuum expectabo, Domine ;* [45] ad illum mittendum, qui futurus erat *expectatio gentium ;* [46] ad illum Prophetam maximum promissum in Lege;[47] ad illum filium David, qui templum sanctum Domino erat aedificaturus;[48] ad illum Emmanuelem Isaiae, qui futurus erat aeternus princeps infinitae pacis;[49] ad illum regem Ieremiae, qui facturus erat iudicium et iustitiam salutemque in terra;[50] ad illum Messiam Danielis venturum post septuaginta habdomadas;[51] ad illum lapidem cum septem oculis Zachariae;[52] ad illum Angelum testamenti Malachiae;[53] alludit ad innumera figurarum mysteria: si esset prima illa lux mundi,[54] sol ille iustitiae,[55] verus ille Adam, cuius causa factus est mundus,[56] iustus ille Abel occisus,[57] placens Deo Enoch translatus,[58] iustus atque perfectus Noe[59] mundi salvator,[60] obediens Abraham, iustus Isaac, sanctus Iacob,[61] castus Ioseph,[62] mansuetus Moyses;[63] an ipse esset coelestis ille divinusque homo visus Iacobo in summitate scalae,[64] Isaiae sedens super solium excelsum,[65] Ezechieli splendens tanquam ignis super firmamentum,[66] Michaeae stipatus omnibus Angelorum copiis,[67] Danieli in nubibus coeli et usque

et figuras de Christo venturo.

41) Cf. Gn 3, 15. 42) Cf. ibid. 18, 17-18; 22, 17-18. 43) Cf. ibid. 26, 3-4. 44) Cf. ibid. 28, 13-15. 45) Ibid. 49, 18. 46) Ibid. vr. 10. 47) Cf. Dt 18, 15. 18-19. 48) Cf. 2 Rg 7, 12-16. 49) Cf. 9, 6. 50) Cf. 23, 5-6. 51) Cf. 9, 20-27. 52) Cf. 3, 9. 53) Cf. 3, 1. 54) Cf. Gn 1, 3. 55) Cf. Mal 4, 2. 56) Cf. Gn 1, 26-29. 57) Cf. Mt 23, 35. 58) Cf. Eccli 44, 16. 59) Cf. Gn 6, 9. 60) Cf. Eccli 44, 17-19. 61) Cf. ibid. vrr. 20 sqq. 62) Cf. ibid. 39, 7 sqq. 63) Cf. Nm 12, 3. 64) Cf. Gn 28, 12-13. 65) Cf. Is 6, 1. 66) Cf. Ez 1, 4 sqq. 67) Cf. 2 Rg 22, 19.

ad Antiquum dierum perveniens;[68] si ipse esset iudex ille mundi praefiguratus in Moyse, Iosue, Barach, Iephte, Gedeone, Samsone et Samuele; rex ille magnus praefiguratus in Davide, Salomone, Ezechia atque Iosia; summus ille sacerdos praefiguratus in Aaron, Eleazaro, Elimelech, Zacharia martyre et Iesu filio Iosedech; maximus ille propheta praefiguratus in Elia, Eliseo, Isaia, Ieremia, Ezechiele, Daniele et innumeris aliis; si ipse esset domus illa Dei praefigurata in tabernaculo Moysi, in templo Salomonis, in scala Iacob, in coelesti Ezechielis spirituali templo; si esset ipse mystica illa Moysi virga, manna coeleste, arca testamenti, propitiatorium Domini, serpens aeneus, petra aquarum viventium, atque ad innumera alia Divinarum Scripturarum mysteria.

Ioannes venturum sciebat Christum,

V. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus ?* Venturum sciebat Christum per vaticinia atque figuras, nam sicut ortum solis praecedunt in nocte astra innumera, quae solis nobis imaginem quandam repraesentant, sic adventum Salvatoris in mundum innumera mysteria eum praefigurantia praecesserunt. Et sicut Deus ante creationem mundi omnia quae in eo sunt ideis in mente sua praefiguravit, sicut et Moysi universi tabernaculi omniumque ad illud spectantium imagines et exemplaria prius dedit,[69] sicut et Davidi formam et descriptionem universi templi a Salomone aedificandi;[70] sic ante Christi adventum divinam eius personam qualis erat vaticiniis veluti coloribus quibusdam depinxit et figuris veluti sculptis simulacris praemonstravit.

Imo eum iam advenisse certissime noverat,

Sic omnes Messiam Salvatorem mundi venturum sciebant atque certissime sperabant, quoniam vaticinia de Christo non erant conditionalia, dubia et incerta, veluti pleraque alia in promissionibus bonorum et malorum comminationibus consistentia, a quibus adimplendis Deus, qui novit mutare sententiam immutabili tamen consilio nonnunquam destitit, ut in morte Ezechiae[71] et in subversione Ninive[72] aliisque quam plurimis; sed erant firma, certa, stabilia; non conditionalia ac veluti contingentia, sed necessaria; et impossi-

68) Cf. Dn 7, 13. 69) Cf. Ex 25, 40; 26, 30. 70) Cf. 1 Par 28, 11-19.
71) Cf. 4 Rg 20, 1-11; Is 38, 1 sqq. 72) Cf. Ion 3, 1 sqq.

bilia non esse, quoniam Deus, qui verax est [73] et *seipsum negare non potest,* [74] cum asseveratione et iuramento promiserat se Christum mundi Salvatorem missurum in terras. Sic ait: *Tu es ille venturus, an alium expectamus ?* Noverat Ioannes Christum, quem in matris utero adhuc inclusus adoravit; [75] noverat, quoniam ait: *Ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare . . . ipse mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei.* [76]

Sed pro maiori Christi gloria et discipulorum salute nescire se fingens, mittit ad Christum discipulos. Sic enim et Christus *finxit se longius ire,* [77] sic Iosue ut urbem Hai caperet, fugam dissimulavit, [78] sic Deus in fictis imaginibus saepe Patriarchis sanctis atque Prophetis apparuit; sic saepe dolorem, iram atque furorem per ἀνθρωποπάθειαν [78*] finxit pro hominum salute. Hac igitur sancta hypocrisi Ioannes ignarum se fingens, sicut David insanum se coram Philisthaeorum rege finxit [79] et sicut regina Israel, uxor Ieroboam regis, pauperculam se finxit mulierem pergens ad Ahiam prophetam ad exquirendam filii salutem; [80] et sicut Iacob finxit se Esau esse ad consequendam patris benedictionem, [81] quae illi contingebat ex Dei praeordinatione, sic Ioannes mittens hos legatos ad Christum finxit ignorantiam. Hoc autem non sine causa, sed, ut dixi, pro Christi gloria et pro discipulorum salute.

**sed fingit se nescire pro maiori Christi gloria et discipulorum salute.**

VI. Sed tertiam quoque superaddendam censeo: ad maiorem sui illuminationem maiusque meriti augmentum. Primo pro Christi gloria, nam legatio haec ad magnam Christi gloriam resultavit, quod Ioannes, qui talis ac tantus habebatur ut existimaret populus ipsum esse Messiam, auditis Christi operibus, ostendat hodie populo et se non esse Messiam et se existimare et credere Iesum esse Messiam.

**Hac legatione Ioannes etiam ostendit se Messiam non esse.**

Et adhuc legatione ista protestatus est Ioannes talem Iesu adhibendam fidem, ut solo eius verbo sit citra omnem dubitationem credendum dicentique se Messiam esse protinus illi ab omnibus adhi-

73) Cf. Ex 34, 6; Ps 85, 15; Io 3, 33; Rom 3, 4. 74) 2 Tim 2, 13. Vulg.: *Negare seipsum*, etc. 75) Cf. Lc 1, 44. 76) Io 1, 33-34. Vulg.: *Ille mihi dixit*, etc. 77) Lc 24, 28. Vulg.: *Se finxit.* 78) Cf. Ios 8, 15-23. 78*) Ms. *Anthropopathiam.* 79) Cf. 1 Rg 21, 10 sqq. 80) Cf. 3 Rg 14, 1-6. 81) Cf. Gn 26, 1-29.

Christo autem hoc de se affirmanti absolutam fidem adhibendam esse.

bendam esse fidem. Ostendit ergo Ioannes hodie Christum integerrimae fidei esse ac eius opera esse talia, ut merito existimandus sit habendusque Messias, sicut ex radiis cognoscitur sol, ex calore ignis, ex fructibus arbor. Non mittit Ioannes quaerens a Christo signum aliquod de coelo, sicut scribae et Pharisaei accesserunt ad eum signum de coelo petentes ab eo, [82] sed verbo tantum Christi credendum esse legatione hac sua Ioannes docet.

Ideo discipulos mittit ut opera Christi videant et credant.

Deinde, mittit pro discipulorum salute, quos tanquam carissimos filios diligebat, quare, paterna caritate urgente, eorum salutem summopere desiderabat. Hinc auditis divinis Christi operibus, non coepit discipulis suis de Christo magnifice loqui, eum sibi tanquam dominum servo, creatorem creaturae, Deum homini, Messiam praecursori praeferendo, quoniam sciebat se nihil profecturum ut sic in Christum crederent, cum saepe alias Christum illis commendasset; sed mittit ad Christum ut eius opera videant, magis enim exempla movent quam verba. Obiectum nanque praesens efficacissimum est ad movendum; sic mel gustu magis agnoscitur quam auditu, gustando magis quam dulcedinem eius audiendo; sic sol visu, ignis tactu, odoratissimum unguentum olfactu magis quam auditu cognoscuntur. Ita de Deo dicitur: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus ; beatus vir qui sperat in eo.* [83] Christus autem Deus est, hinc Ioannes mittit discipulos ad gustandum Christum, sciebat enim quod, viso vultu Christi, *in quem desiderant Angeli prospicere,* [84] audita Christi praedicatione, voce illa dulcissima et verbis, quae sunt *desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum,* [85] de quibus item: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* [86] – Christus enim mel illud est, quo gustato Ionathas, cum antea quodammodo caecutiret, aperti sunt eius oculi lumenque recepit, [87] – sciebat quod, visis Christi operibus, credituri in eum erant, sicut ex visa luce ac radiis cognoscitur quanto sol sit luna clarior atque splendidior. Mittit discipulos suos a rivo ad fontem aquae vivae, de qua qui biberit, fit *in eo fons aquae salientis in vitam aeternam* [88] et *flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* [89] Fungitur hodie munere suo Ioan-

sciebat enim quod, visis Christi operibus, certo crediturl essent.

82) Cf. Mt 12, 38; Mc 8, 11; Lc 11, 16. 83) Ps 33, 9. 84) 1 Petr 1, 12. 85) Ps 18, 11. 86) Ps 118, 103. 87) Cf. 1 Rg 14, 27-29. 88) Io 4, 14. 89) Ibid. 7, 38.

nes mittens discipulos suos ad Christum, nam ad hoc missus fuerat, sicut et lex, cuius typum Ioannes gerebat, mittit ad Evangelium, Moyses ad Christum, nam: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [90]

Tertio, Ioannes misit ad Christum ut ipse quoque tanquam luna a sole maiori divinitatis Christi lumine coelitus illustraretur. Sic enim Abraham finxit quod Sara soror ipsius esset, non uxor, [91] quod etiam Isaac egit; [92] nec tamen fictio illa totaliter fictio fuit, quoniam vere soror eius erat. Sic non totaliter fingit Ioannes hoaie, sed vere aliquod Christi mysterium ignorat. Neque enim Ioannes, adhuc mortalis homo, Angelis maior erat, immortalibus beatisque spiritibus; sed neque Angeli omnia norunt divinitatis Christi mysteria; Christus enim ait quod ignorant Angeli diem et horam iudicii; [93] Paulus quoque ait *Ephesiis: Ut appareat,* sive *innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei;* [94] et *1 Timotheo: Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* [95] Hinc apud Regium Vatem quaerunt Angeli semel atque iterum: *Quis est iste rex gloriae?... Quis est iste rex gloriae?* [96] Apud Isaiam quoque: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* [97] et iterum: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* [98] Hinc Seraphim operiunt alis caput faciemque et pedes suos, quia infinitam Dei magnitudinem principio et fine carentem tum aetatis tum magnitudinis, capere minime possunt, [99] quamvis Deum facie ad faciem clarissime videant, [100] sicut si quis immensum mare coelumque videat, non potest totum videre coelum totumque mare, omnia astra coeli omnesque pisces et arenas maris.

Mittit etiam discipulos hac legatione ut ipse quoque maiori lumine illustraretur;

nam neque Angeli omnia norunt divinitatis Christi mysteria,

Deinde, faciem alis operiunt Seraphim, sicut Elias, cum Dominus illi apparuit, pallio suo faciem operuit, [101] et Moyses faciem abscondit, apparente sibi Domino in flamma rubi, [102] quoniam tum humanis tum angelicis intellectibus suapte natura lux divinitatis est inacces-

divinitas enim suapte natura inaccessibilis est intellectibus creatis.

90) Ibid. 1, 17. 91) Cf. Gn 12, 13; 20, 2-12. 92) Cf. ibid. 26, 7. 93) Cf. Mt 24, 36. 94) 3, 10. 95) 3, 16. 96) Ps 23, 8. 10. 97) 63, 1. 98) Ibid. vr. 2. 99) Cf. ibid. 6, 2. 100) Cf. Mt 18, 10. 101) Cf. 3 Rg 19, 13. 102) Cf. Ex 3, 6.

sibilis, sicut lux solis mortalium oculis. Hinc filii Israel non ferunt splendorem micantem a facie Moysi, unde velo eam operire opus illi fuit.[103] Sic Deus *absconditus* dicitur[104] et posuisse *tenebras latibulum suum*[105] habitareque in caligine,[106] sicut in caligine descendit ad dandam legem[107] et in nebula ad habitandum in templo.[108]

Hinc Ioannes cupiens maiorem lucem et cognitionem, legationem hanc ad Christum mittit.

Ioannes ergo cum homo esset, Angelis immortalibus et beatis in mortali adhuc carne consistens multo minora capiebat divinitatis Christi mysteria; hinc maiora scire cupit. Sciendi enim desiderium innatum naturaque insitum homini est, sicut naturale est coelo semper moveri, soli lucere, lunae lumen dare, astris splendere, igni calefacere, aeri ventos excitare, aquae semper fluere, terrae germinare, arboribus fructus facere, animalibus generare, piscibus natare, volare avibus. Ioannes desiderium hoc explere hodie cupit; auditis enim Christi miraculis, effulsit ei splendor lucis aeternae divinitatis Christi. Nam operari manat a potentia, haec autem ab essentia, sicut videre a visu, visus autem ab anima; calefacere a calore, calor autem ab igne; illuminare a luce, lux autem a sole. Quo autem maiora sunt opera, eo maiorem necesse est esse potentiam, sicut quo maior illuminatio, eo maiorem necesse est lucem esse, et quo maior calefactio, eo maiorem calorem, maior autem calor arguit maiorem ignem et maior lux maiorem facem, maius astrum. Sic Ioannes audivit magna et supernaturalia Christi opera, hinc magnam intellexit supernaturalemque Christi potentiam et hinc divinam in Christo naturam atque essentiam. Hinc: *Tu es ille venturus ?*

Arguebat quidem divinitatem Christi ex illius operibus,

VII. Deus utique venturus erat ad salvandum mundum: *Deus ipse veniet et salvabit vos.*[109] Sic ergo optime philosophatus fuit hodie Ioannes ab operibus Christi ad potentiam, ab operibus supernaturalibus ad supernaturalem potentiam, a potentia autem supernaturali ad divinam naturam atque essentiam: *Tu es ille venturus?* Tu ille *Deus deorum*[110] et *Dominus dominantium,*[111] auctor naturae, fons gratiae, rex gloriae, Salvator et iudex mundi, *rex* et *legifer noster,*[112] qui venturus erat in mundum? Volat Ioannes iste ut aquila[113] per

103) Cf. ibid. 34, 29 sqq. 104) Is 45, 15. 105) Ps 17, 12. 106) Cf. 2 Par 6, 1. 107) Cf. Ex 19, 16-22. 108) Cf. 3 Rg 8, 10-12. 109) Is 35, 4. 110) Ps 49, 1. 111) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 112) Is 33, 22. 113) Ms.: *Aliqua*, loco: *Aquila*.

altissimum divinitatis Christi coelum oculosque mentis suae in ipsam solis candidissimam lucem irreverberato ac impalpitanti intuitu figere cupit. Sciebat Ioannes quod, sicut mittens Deus Moysen ad salvandum Hebraeos a tyrannide impii Pharaonis durissimaque servitute Aegypti, dedit illi divinam sui ipsius assistentiam: *Ego ero tecum*, divinae sapientiae thesaurum: *Docebo . . . te quid loquaris*, [114] virgamque divinae virtutis ad facienda prodigiosa ac portentosa miracula, [115] sic idem Deus mittens Messiam ad salvandum mundum a servitute peccati et potestate diaboli, qui princeps erat mundi huius, [116] tria illi haec daturus erat: divinitatem suam, ut non tantum homo, sed etiam verus Deus esset, verus Emmanuel; [117] sapientiam suam: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei; potentiamque suam ad innumera miracula operanda, hinc Christus Dei virtus Deique sapientia est: [118] virtus: *Portans . . . omnia verbo virtutis suae.* [119] Quare ex operibus hisce Christus Ioanni Messias est agnitus, sicut ex signis Moyses Hebraeis, quod nuncius Dei erat. [120]

Verum hoc forte Ioannes mysterium adhuc non capiebat. Nam Moyses quidem pergens in Aegyptum divinaque signa faciens, brevissimo temporis spatio paucissimisque diebus negotium absolvit universumque Hebraeorum populum ex Aegypto eduxit, ad Deum perducens colendum eique tantummodo serviendum, Hebraeis omnibus Moysi, visis signis, credentibus et post eum abeuntibus; at vero, auditis Christi operibus miraculisque quamplurimis maximisque, paucissimos tamen videbat in Christum credere Christumque sequi. Quare hac re non poterat Ioannes non admirari multo magis quam admiratus fuit Moyses videns rubum ardentem, qui tamen non comburebatur. Messias, inquit Ioannes, est semen illud Abrahae, Isaac et Iacob, in quo benedicendae sunt omnes gentes: [121] *Ipse est expectatio gentium*, sive *ad ipsum congregandae sunt gentes*, ut in ipsum credentes omnes salventur. Sed quid, quaeso, est quod vel nullos video qui in eum credant eumque sequantur? *Ibo*, inquit Moyses, *et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*, [122] quare ignis

sed forte admirans quomodo in ipsum populi non crederent, tot signis visis,

114) Ex 4, 12. 115) Cf. ibid. vr. 17. 116) Cf. Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. 117) Cf. Is 7, 14; Mt 1, 23. 118) Cf. 1 Cor 1, 24. 119) Hebr 1, 3. 120) Cf. Ex 4, 30 sq. 121) Cf. Gn 22, 17-18; 26, 3-4; 28, 13-15. 122) Ex 3, 3. Vulg.: *Vadam*.

non consequatur in rubo effectum suum, qui est combustio; cur ad causam non sequatur effectus, ad ortum solis non sequatur dies, sed sit sicut in Aegypto, ubi tribus diebus orto sole, Aegyptiis fuit perpetua nox et solis Hebraeis lux clara splendebat. [123]

discipulos mittit ut certo certius sciat an ipse esset Messias.

Sic hodie Ioannes vehementi hac admiratione motus mittit ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es* ad salvandum mundum, *an alium expectamus ?* ut sicut post Moysen Iosue introduxit populum in terram promissionis [124] et sicut post David Salomon templum Domino aedificavit, [125] ita post te alius sit superventurus ad salvandum mundum? Si tu Salvator es mundi, sicut mihi coelitus revelatum est, quid est quod non salvatur mundus? Num forte alia post te mittenda est Divina Persona ad salvandum mundum, sicut legimus Spiritum Sanctum in mundum esse mittendum? [126] Num forte Spiritus Sanctus ipse adveniens mundum salvaturus est? An in adiutorium tuum alius superventurus est salvator, ut una cum illo opus salutis perficias, sicut Moysi Aaron datus fuit coadiutor operis? [127]

Huic legationi Christus opera ostendendo respondet,

VIII. Christus autem intelligens mentem Ioannis, absolutissime sapientissimeque respondet: *Ite, renunciate Ioanni quae audistis et vidistis : Caeci vident, claudi ambulant,* etc. [128] *Quae audistis,* inquit, quoniam audierant resuscitatum filium viduae [129] et audierant plurima alia signa, ut mundationem leprosi, [130] curationem paralytici servi centurionis, [131] sanationem socrus Simonis a febribus, [132] cum innumeris aliis miraculis quae tunc operatus fuit Dominus; [133] hinc ait: *Ite, renunciate Ioanni quae audistis.* Nec tantum *quae audistis,* sed etiam quae *vidistis,* quoniam, ut Lucas ait, *in ipsa . . . hora,* qua venerunt nuncii Ioannis, *multos curavit a languoribus et plagis et spiritibus malis et caecis multis donavit visum.* [134] Quare alludens ad haec miracula coram illis videntibus facta : *Ite,* inquit, *renunciate Ioanni quae . . . vidistis : Caeci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, claudi ambulant, mortui resurgunt.* [135]

123) Cf. ibid. 10, 21-23. 124) Cf. Ios 1, 1 sqq. 125) Cf. 1 Par 17, 11-12; 2, 7-10. 126) Cf. Ioel 2, 28-29. 127) Cf. Ex 4, 14-16. 128) Mt 11, 4-5; Lc 7, 22. Vulg.: *Euntes, renunciate*, etc. 129) Cf. Lc 7, 11-17. 130) Cf. Mt 8, 2-3; Mc 1, 40-42; Lc 5, 12-13. 131) Cf. Mt 8, 5-13; Lc 7, 2-9. 132) Cf. Mt 8, 14-15; Mc 1, 30-31; Lc 4, 38-39. 133) Cf. Mt 8, 16; Mc 1, 34; Lc 4, 40-41. 134) 7, 21. 135) Mt 11, 4-5; Lc 7, 22.

Quare ex his operibus cognosci voluit Christus an ipse verus esset Messias, Deus et homo, nam a fructibus cognoscitur arbor. Haec enim opera ostendunt Christum verum esse Messiam, primo quidem, quia omnia sunt supernaturalia opera, universas naturae vires excedentia, quare divina virtute ac supernaturali potestate necesse est ut facta sint; deinde ex ipsa mirabilis huius operationis forma modoque operandi. Non enim orando Deumque deprecando haec facit Christus, sicut Elias suscitavit filium viduae[136] et Eliseus filium sunamitis;[137] sed imperando et fidei ac religionis ergo, ut homines Deum glorificent, adorent et colant. Nec sunt miracula in damnum potius hominum quam in utile, sicut quae Moyses operatus fuit in Aegypto, sed omnia hominibus utilia atque benefica; magnum est enim beneficium caeco visum restituere et surdo auditum mortuoque vitam. Quare a bono fonte necesse est hos emanare fluvios magnosque rivos, a bono principio, ab amore, a caritate, a salutis desiderio, non a malo, unde hominibus mors, perditio et omne malum.

haec enim invictissime probabant ipsum verum Messiam esse.

Deinde, hac sua responsione Christus ad tria vaticinia alludit; nam dum ait: *Caeci vident, claudi ambulant*, etc., alludit ad vaticinium Isaiae: *Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere; ecce Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum.*[138] Sic Christus ad hoc vaticinium alludens sapientissime respondit Ioanni se esse illum venturum, scilicet Deum qui pro salute hominum venturus erat in mundum homo factus.

Hac sua responsione alludit Christus ad tria de Messia venturo vaticinia, idest de ipsius miraculis,

Dum vero ait: *Pauperes evangelizantur*,[139] alludit ad vaticinium Isaiae: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.*[140] Hoc enim est hic *pauperes evangelizantur*. Non enim est hic active accipiendum, quasi pauperes praedicent Evangelium, etsi vere pauperes Apostoli post Christum Evangelium praedicaverunt, sed *pauperes*, inquit, *evangelizantur*, pro pauperibus evangelizatur, sicut dicimus pauperes benedicuntur, pro pauperibus benedicitur. Ita enim Graeci dicunt: evangelizo

praedicatione

136) Cf. 3 Rg 17, 17 sqq. 137) Cf. 4 Rg 4, 25-37. 138) 35, 4-6. 139) Mt 11, 5; Lc 7, 22. 140) 61, 1. Vulg.: *Eo quod unxerit Dominus me*, etc.

tibi, et evangelizo te, sicut: benedico tibi, et benedico te; sic etiam passive evangelizari, sicut et benedici.

et de contradictionibus quas Messias passurus erat.

Dum vero ait: *Beatus... qui non fuerit scandalizatus in me,*[141] alludit ad vaticinium Isaiae: *Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester et ipse terror vester; et erit vobis in sanctificationem, in lapidem... offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel; in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi et cadent et conterentur et irretientur et capientur.*[142] Ad quod vaticinium alludens Simeon iustus ait: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel et in signum cui contradicetur;*[143] et Divus Paulus *Romanis*, quod Iudaei offenderunt in *lapidem offensionis et petram scandali;*[144] et Petrus *1 Canonica: Vobis... cr dentibus honor* et gloria, *non credentibus autem lapis quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis et petra scandali his qui offendunt verbo.*[145]

Christus vere fuit scandalum Iudaeis,

Sic Christus ad hoc vaticinium alludens appositissime respondet Ioanni quidnam sit in causa quod, cum ipse verus sit mundi Salvator et redemptor Messias, non salventur homines; quod lux in tenebris luceat et tenebrae eam non comprehendant;[146] quod ignis ardeat in spinoso rubo, quod symbolum peccatorum est, et non comburat, non consummat peccata, quoniam homines *scandalizabantur in eo,*[147] et quem videbant hominem paupere loco natum, nolebant credere eum verum esse Messiam, Filium Dei verum Deum, redemptorem et Salvatorem mundi. Sic audientes Christum praedicantem et miracula facientem videntes, *scandalizabantur in eo* dicentes: *Quomodo hic litteras scit cum non didicerit?*[148] *Unde... huic haec omnia? Nonne hic est fabri filius?*[149] *Et scandalizabantur in eo.* Sic si Christus praedicabat eis se Messiam Filium Dei esse, scandalizabantur et ob id crucifixerunt eum putantes eum pessimum esse blasphemum, unde sic scandalizati in eum credere minime volebant. Hinc ait: *Beatus... qui non fuerit scandalizatus in me;* hoc est: scandalum passus in persona, in vita, in doctrina, in miraculis, in moribus et in passione mea, ob quam Christus Iudaeis fuit scandalum, Gen-

qui dedignabantur hominem pauperem et humilem verum Messiam esse confiteri.

141) Mt 11, 6; Lc 7, 23. 142) 8, 13-15. 143) Lc 2, 34. 144) 9, 33.
145) 2, 7-8. Vulg.: *Honor credentibus*, etc. 146) Cf. Io 1, 5. 147) Mt 13, 57.
148) Io 7, 15. 149) Mt 13, 55-56. Vulg.: *Omnia ista?* Ordine inverso affert hos vrr.

tibus autem stultitia, his autem qui salvi fiunt Dei virtus Deique sapientia. [150]

IX. Quare altum quidem fuit Ioannis quaesitum, sed multo altior Dei sapientia Christique responsio; sicut altum fuit quaesitum quod Moyses Deo fecit, cum petiit revelari sibi nomen divinitatis et essentiae, nec minus alta Dei responsio: *Ego sum qui sum ;* [151] altum Moysi quaesitum, cum petiit videre gloriam Domini, sed altius Domini responsum: *Ego ostendam tibi omne bonum, et vocabo in nomine Domini coram te, et miserebor cui voluero et clemens ero in quem mihi placuerit.* [152] Nam in responsione secretum aperit divinae praedestinationis, sicut P a u l u s *Romanis* ait, agens de electione Iacob et reprobatione Esau antequam nascerentur et sine ullis operibus praecedentibus aut bonis aut malis, absque ulla iniustitia: *Moysi enim ait: Miserebor cui miserebor et misericordiam praestabo cui miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* [153]

**Hac sua responsione Christus tangit etiam divinae praedestinationis mysterium,**

Sic Christus divino hoc suo responso ad altum Ioannis quaesitum idem mysterium tetigisse videtur, dum beatos ait, idest aeterna gloria et beatitudine dignos, eos qui in eum scandalizati minime fuerint, idest eos qui in eum fide viva crediderint. Hos enim caecos per ignorantiam mentis illuminat lumine fidei; hos surdos per malam peccati voluntatem, quae divinis non vult parere mandatis, auditui restituit obedientiae salutaris iustitiae; hos claudos per fragilitatem infirmitatemque carnis, qua ad dexteram et ad sinistram claudicamus peccantes, tum in prosperis tum in adversis recto restituit gressui dirigitque per viam salutis, ut fortiter currant in bonis agendis ac malis sufferendis; hos leprosos sordida immundaque concupiscentiae lepra infectos mundat, dans eis cor mundum atque purum carnisque efferatos appetitus temperans; hos tandem peccato mortuos vitalis Spiritus Sancti gratia vivificat, faciens haec omnia Evangelii praedicatione, qua spiritu pauperes instructi sancte viventes, possessores fiunt regni coelestis. [154]

**dum beatos dicit qui in eum viva fide credidissent,**

Hi sunt qui non scandalizantur in Christo, qui non peccant vel

150) 1 Cor 1, 23-24. 151) Ex 3, 13-14. 152) Ibid. 33, 18-19. Vulg.: *Omne bonum tibi*, etc. 153) 9, 15-16. Vulg.: *Enim dicit : Miserebor cuius misereor... cuius miserebor*, etc. 154) Cf. Mt 5, 3; Lc 6, 20.

In gratia semper et secundum virtutem viventes.

per ignorantiam, vel per malitiam, vel per fragilitatem, vel per concupiscentiam, sed credentes Evangelio sunt prudentia, iustitia, fortitudine et temperantia instructi, in gratia semper viventes: *Pauperes evangelizantur*, sed *pauperes spiritu*, voluntate, qui voluntate spontanea paupertatem pro divitiis eligunt. Concupiscentia, inquit Apostolus, *radix est omnium malorum.*[155] Ergo ubi haec non est, ibi nullum malum, nullum vitium; ergo ubi paupertas est spiritus, ibi omnis virtus, omne bonum. Hinc *pauperes evangelizantur*, beati praedicantur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum,*[156] et: *Vae vobis divitibus,*[157] quoniam impossibile est divites intrare in regnum coelorum.

Peccatum homini terrena aperit, coelestia autem contegit,

Peccatum fecit hominem quoad coelestia et divina bona caecum, surdum, claudum, leprosum, imo mortuum omnibusque coelestibus bonis pauperrimum; sed quoad bona terrena aperuit ei oculos et aures, dedit acutissimum visum atque auditum. Sic enim post peccatum homines cognoverunt *se esse nudos . . . et fecerunt sibi perizomata.*[158] Sic videmus haec omnia in mundanis mercatoribus, qui cupiunt vel maxime divites esse, non pauperes affectu vel effectu, sed effectu divites, affectu ditissimi sunt. Christi autem gratia totum oppositum operatur: quoad mundana facit homines caecos, surdos, claudos mortuosque et pauperes; sed quoad divina dat[158a] dona Spiritus Sancti homini, oculos auresque acutissimas: *Pauperes evangelizantur.*

gratia vero Christi oppositum operatur.

Signum praedestinationis est pauperem esse affectu et effectu.

X. Et merito quidem, nam qui in hoc mundo omnium rerum, etiam necessariarum, pauperes esse volunt, signum est manifeste quod vere divinam providentiam credunt et in paterna Dei cura vere confidunt et quod non terrena atque mundana, sed coelestia divinaque bona diligunt. Qui autem divitiis cumulandis in terra totis affectibus inhiant, manifeste ostendunt quod[159] terrena mundanaque, non coelestia et divina diligunt et affectant; quod non in Deo sperant, sed in divitiis suis confidunt; quod divinam providentiam non vere credunt, cum timentes ne temporalibus destituantur, neque regnum Dei neque eius iustitiam quaerunt.[160] Quare cum ostendant se fide,

155) 1 Tim 6, 10. Vulg.: *Radix enim omnium malorum est.* 156) Mt 5, 3.
157) Lc 6, 24. 158) Gn 3, 7. 158a) Ms.: *Dant.* 159) Ms.: *Se* loco: *Quod.*
160) Cf. Mt 6, 33.

spe, caritate et gratia destitutos esse, merito damnantur; pauperes vero cum mundanorum contemptu ostendant se fidem, spem et caritatem in Deum habere, merito evangelizantur beatique praedicantur.

Quod si dicas multos sanctos divites fuisse: Abraham, Isaac, Iacob, David, Salomonem, Iosiam, Ezechiam et alios, dico verum quidem esse; sed aliud est per alta aequora parva quadam navicula iter facere cum, flantibus contrariis ventis, magna est in mari tempestas atque procella, et aliud navigare cum mare tranquillum est atque pacatum et in magna navi. Sic, dico, cum sancti illi viverent, mare huius mundi non erat tempestate procellisque tam magnis superbiae et pomparum avaritiae et usurarum, luxuriae et impudicitiarum, gulae et crapularum [agitatum] uti nunc, et habebant magnum gratiae Dei thesaurum, multa erant caritate Dei praediti, magna in navi sulcabant mare. Nos autem quali sumus caritate praediti? quali virtute? qualis quantaque est navis haec nostra? Et ligno tam fragili per alta maria confidimus onusti terrenarum rerum gravissimis ponderibus cum salute navigare, flante contrario vento et tali tantaque cum tempestate? Nautae illi navis in qua navigare voluit Ionas, orta tempestate, alleviaverunt navim onera proicientes in mare, ut ipsi saltem salvarentur;[161] sic fecerunt et nautae navis in qua Paulus et Lucas navigabant Romam versus.[162] Nos autem quo magis tempestas crescit, eo magis navim nedum non alleviamus, sed maioribus ponderibus oneramus.

**Multos sanctos legimus divites fuisse,**

**sed tales erant quia cum divitiis magnum habebant gratiae et virtutis thesaurum.**

*Pauperes, pauperes evangelizantur.* Talis fuit Christus, talis Ioannes, tales Apostoli. Hac via salvatus fuit mendicus ille Lazarus, sed dives ille epulo cum divitiis periit in aeternum damnatus.[163] O nos caecos ac ter quaterque infelices, si damnationis, non salutis viam eligimus! Paupertas est via salutis: nos eam cur abhorremus et fugimus? Carissimi, Christus ait: *Caeci vident, claudi ambulant*, etc., idest: Ego illumino omnes caecos, audire facio surdos, etc., eos tamen qui non fuerint scandalizati in me, sed qui in me crediderint meque secuti fuerint per viam salutis. Hoc enim vult dicere, etsi ad iactantiam fugiendam non dicit, sicut Nabuchodonosor: *Nonne ista est* civitas *quam*

**Paupertas spiritu via salutis est.**

161) Cf. Ion 1, 4-5. 162) Cf. Act 27, 14-19. 163) Cf. Lc 16, 19 sqq.

*ego aedificavi?*[164] sed magister humilitatis humiliter loquitur: *Caeci vident:* imprudentes fiunt prudentes in via salutis; *surdi audiunt:* iniuste viventes ad iustitiam quam Deus praecipit faciendam convertuntur; *claudi ambulant:* infirmi fiunt fortes; *leprosi mundantur:* cupidi fiunt temperati; *mortui resurgunt:* peccatores sanctificantur: *Surge qui dormis et exurge a mortuis et illuminabit te Christus.*[165] Sic enim tres mortuos Christus suscitavit;[166] sed hic alludit ad filium viduae naimitis.

Ad Ioannis imitationem Christum melius nos cognoscere oportet, ut eum magis diligamus et imitemur.

XI. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi.* Ioannes in vinculis positus fuit sicut Ioseph ob falsam calumniam iniquae suae dominae[167] et sicut Ieremias ob praedicationem veritatis;[168] sic iusti *patiuntur persecutionem propter iustitiam.*[169] Sed sicut Ioseph vincula illa in summam gloriam conversa fuerunt,[170] ita plane Ioanni et omnibus qui propter iustitiam patiuntur: *Gaudete,* inquit, *et exultate, merces enim vestra magna est in coelis.*[171] O utinam nos quoque similes Ioanni essemus! Spiritus noster in vinculis corporeis est, sed habet duos discipulos liberos: liberum intellectum et liberum affectum. Auditis ergo Christi operibus, quoniam ipse creator, redemptor et salvator est mundi, mittat spiritus iste noster duos hos discipulos liberos ad Christum contemplandum et diligendum, et maxime dum patitur persecutionem ab Herode,[172] a diabolo, qui tunc maxime persequitur electos cum videt eos velle pietati operam dare, sicut tum maxime Pharao Hebraeos gravissime persecutus fuit cum audivit eos velle ire ad sacrificandum Domino in deserto itinere trium dierum.[173]

Multi Christum in misericordia expectant et ideo peccant, sed peribunt.

*Beatus... qui non fuerit scandalizatus in me.* Christi paupertas et humilitas scandalum fuit Iudaeis, occasio ut in Christum minime crederent. Si enim Christus ostendisset se eis in gloria, ut ostendit se tribus Apostolis in transfiguratione,[174] aut venisset tanquam rex temporalis, uti David et Salomon, Iudaei utique, temporalis gloriae

164) Dn 4, 27. Vulg.: *Nonne haec est,* etc. 165) Eph 5, 14. 166) Cf. Mt 9, 18-25; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44. 167) Cf. Gn 39, 6-20. 168) Cf. Ier 38, 1 sqq. 169) Mt 5, 10. Vulg.: *Persecutionem patiuntur,* etc. 170) Cf. Gn 41, 1 sqq. 171) Mt 5, 12. Vulg.: *Quoniam merces vestra copiosa est in coelis.* 172) Cf. ibid. 14, 3; Mc 6, 17; Lc 3, 19-20. 173) Cf. Ex 5, 1 sqq. 174) Cf. Mt 17, 1-6; Mc 9, 1-6; Lc 9, 28-35.

cupidi, adhaesissent ei. Sed *sicut exaltantur coeli a terra,* [175] ita iudicia Dei a iudiciis hominum. Expectabant Iudaei Christum in gloria temporali, cuius cupidissimi erant, ideo perierunt. Sic multi nunc Christum in misericordia expectant, ideo peccant; sed peribunt, quia non sic veniet.

Sicut Ioannes duabus laudibus legatione sua Christum affecit.

XII. *Illis autem abeuntibus, coepit... dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis*, etc. [176] Laudatus honoreque affectus a Ioanne Christus reddit duplicatas laudes, cum ipse ille sit qui centuplum reddit, sicut optima illa terra quae, accepto bono semine, fecit centuplum. [177] Duabus laudibus legatione sua Ioannes Christum affecit: altera quidem, quia auditis eius operibus, non ut scribae et Pharisaei sinistrum quid suspicatus fuit, sicut impie cogitabant dicebantque impii Iudaei Christum in principe daemoniorum facere miracula, [178] sed ostendit Christi opera ea esse quae Messias facturus erat; ideo quasi ex operibus in existimationem venisset quod ipse esset Messias, misit ad eum dicens: *Tu es qui venturus es?* Altera ostendit Christum talis tantaeque fidei et veritatis esse, ut in re tanti momenti eius dicto verbisque standum esset summamque ei fidem tanquam summo Prophetae Dei adhibendam esse.

sic Christus duplicatas laudes Ioanni reddidit.

Christus vero reddit Ioanni duplicatas laudes; laudat enim eum de summa constantia animi, quod non esset Ioannes ad instar arundinis vento agitatae; laudat de vitae asperitate carnisque mortificatione, quod non esset mollibus vestibus indutus ad instar hominum in principum curiis habitantium; laudat de excellentissimo spiritu prophetiae, quod propheta esset omnium maximus, et tandem eum tanquam Angelum Dei supra homines collocat. [179] Sic apud Isaiam alter Seraph semel tantum dixit: *Sanctus*, alter vero bis. [180] Sic Deus [181] supra condignum semper sanctorum suorum virtutes coronat operaque bona remunerat; Abrahae enim pro uno filio, qui propter Deum perdere non recusavit, innumerabiles et promisit et dedit. [182]

Laudat Christus Ioannis virtutes, quoniam laude et honore

175) Is 55, 9. 176) Mt 11, 7-8; Lc 7, 24-25. 177) Cf. Mt 13, 8; Mc 4, 8; Lc 8, 8. 178) Cf. Mt 9, 34; 12, 24; Mc 3, 22; Lc 11, 15. 179) Cf. Mt 11, 8-11; Lc 7, 25-27. 180) Cf. 6, 3. 181) Ms.: *Deus* bis ponitur. 182) Cf. Gn 22, 15-18.

Laudat Christus Ioannem de virtutibus,

digna virtus est et a templo Virtutis pergitur ad templum Honoris sibi coniunctum;[183] laudat virtutes, quoniam nil minus diligit virtutem quam odio habeat vitium, sicut tanto homo vitam diligit quanto mortem odit, tanto diligit sanitatem quanto odit infirmitatem; aeque enim lance amor boni et odium mali ponderantur, sicut in vere et autumno dies et nox aequales sunt. Sic laudavit Deus Abraham propter obedientiam, eo quod, ut Deo morem gereret, filio suo minime pepercit. Sic in fine mundi laudabit omnes electos: *Venite, benedicti Patris mei.*[184] Sed non sic impii laudabuntur: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.*[185] Laudat Christus quem Herodes in vinculis tenet. Sic omnes iusti in mundo *persecutionem patiuntur, omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu.*[186] Omnis Abel habet suum Cain,[187] omnis Isaac suum Ismael,[188] omnis Iacob suum Esau,[189] omnis Moyses suum Pharaonem,[190] omnis David suum Saul,[191] omnis Elias suam Iezabelem.[192]

et primo de constantia in perfecta iustitia,

Laudat autem Ioannem Christus primo, quod non sit sicut arundo infructuosa et instabilis, vir enim iustus, *qui non abiit in consilio impiorum*, est *tanquam lignum* fructiferum *plantatum... secus decursus aquarum*, ut Regius Vates ait,[193] cui et Ieremias consonans ait: *Benedictus vir qui confidit in Domino et erit Dominus fiducia eius; et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas et non timebit cum venerit aestus, et erit folium eius viride, nec aliquando desinet facere fructum.*[194] Sic iustos Christus arbores appellavit bonas: *Omnis arbor bona fructus bonos facit,*[195] et ipse Ioannes dixit: *Iam... securis posita est ad radicem arboris ; omnis... arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.*[196] Hinc Ecclesia per terrestrem paradisum designatur. Cum igitur Ioannes arbor esset pomifera, faciens optimos fructus spiritus, *fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia,*

183) Virtus ab antiquis Dea putabatur, cui templum dedicatum erat cum templo Honoris coniunctum, ita ut in hoc nonnisi per illud pateret aditus. Quo significare voluerunt veram et unicam parandi honoris viam esse virtutem. Forcellini *Lexicon Tot. Lat.*, sub voce: *Virtus.*
184) Mt 25, 34. 185) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me*, etc. 186) 2 Tim 3, 12. Vulg.: *Omnes qui pie volunt... persecutionem patientur.* 187) Cf. Gn 4, 8.
188) Cf. ibid. 21, 9; Gal 4, 29. 189) Cf. Gn 27, 41. 190) Cf. Ex 2, 15.
191) Cf. 1 Rg 19, 9 sqq. 192) Cf. 3 Rg 19, 1-14. 193) Ps 1, 1-3. 194) 17, 7-8.
195) Mt 7, 17. 196) Ibid. 3, 10. Vulg.: *Ad radicem arborum posita est*, etc.

*castitas,*[197] his fructibus Ioannes copiosissimus erat, cum in utero matris suae plenus Spiritu Sancto fuerit.[198] Hinc Christus dicit eum non esse arundinem vento agitatam; non instabilis Ioannes ut arundo, quae omni vento agitatur atque movetur nunc ad dexteram nunc ad sinistram. Iusti enim columnae dicuntur domus Domini: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.*[199] Sic Apostoli *columnae* dicti sunt,[200] praefigurati in duabus columnis templi, *Iachin* et *Bohaz.*[201]

In praedicatione veritatis,

Ioannes iustus erat, ergo firma columna, constantissimus in fide, in spe, in caritate, in praedicatione veritatis, habens cor gratia stabilitum, nam: *Optimum est... gratia stabilire cor;*[202] stabilis in prosperis et stabilis in adversis uti Iob,[203] qui sicut Moyses Pharaonem, sicut Azarias coarguit Oziam regem volentem sibi sacerdotale munus usurpare contra legem,[204] sicut Zacharias sacerdos regem Ioas a cultu Dei ad idola colenda conversum coarguit,[205] ita Ioannes Herodem regem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*[206]

« Veritas odium parit »;[207]

sic Achab odio habebat Michaeam,[208] sic Ioas occidit Zachariam, sic Herodes Ioannem: odio veritatis commotus tenuit Ioannem vinctumque posuit in carcerem ac tandem occidit.[209] Ipse tamen semper constantissimus permansit tanquam firmissima et supra modum stabilis columna. Anima peccatrix est ad instar arundinis, animo levis ac mobilis, quae ad omnem auram vel vani timoris, vel vanae spei, vani gaudii, vel doloris huc atque illuc movetur et quasi undae in mari agitantur eius cogitationes in corde, vel unius tantum laudis aura spirante, movetur ad dexteram, ad vanam laetitiam, ad vanam gloriam, spirante vero aura alicuius iniuriae, movetur ad iram, spirantibus etiam ventis vel satanicarum tentationum vel carnalium desideriorum aut cogitationum acquirendi alicuius boni utilis, honesti, iucundi, vel fugiendi alicuius mali, ne patiatur damnum, ignominiam, poenas, huc atque illuc animus agitatur.

et in persecutionibus sufferendis.

Arundo debilis admodum atque fragilis ad operandum bonum

197) Gal 5, 22-23. Vulg.: *Benignitas, bonitas, longanimitas,* etc. 198) Cf. Lc 1, 15. 199) Prv 9, 1. 200) Gal 2, 9. 201) 3 Rg 7, 21; 2 Par 3, 17. Vulg.: *Booz.* 202) Hebr 13, 9. 203) Cf. Iob 1, 1-2, 1 sqq. 204) Cf. 2 Par 26, 16-20. 205) Cf. ibid. 24, 17-22. 206) Mc 6, 18. 207) Terentius *Andria,* act. 1, sc. 1, vr. 41. 208) Cf. 3 Rg 22, 8. 209) Cf. Mt 14, 10; Mc 6, 27.

Cum his virtutibus vere praeditus esset Ioannes,

et resistendum malo, quae vel minima quavis tentatione aut occasione peccandi vincitur, peccans ex fragilitate; arundo vacua et nodosa, vacua virtutibus, vitiis autem nodosa; arundo foris aureo nitens colore et pulcritudine, intus autem aspera, indecora, vacua, sine medulla. Sic, sic homo mundanus foris nitet vanitatibus, divitiis, honoribus, voluptatibus, quae beatitudinem ac felicitatem quandam prae se ferunt, sed intus vacuus est virtutibus et omni vera animi felicitate, nam diversis semper desideriis curisque animus est distractus, maiora semper cupiens:

« Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae », [210]

et sunt ad instar sitientis in medio mari: summa ibi copia aquarum, sed nihilo minor sitis, quoniam ea aqua apta non est ad extinguendam sitim; sic utique temporalia bona animum hominis saturare non possunt, nec eum vera felicitate donare.

etsi in vinculis corpore detentus, spiritu liber vera laetitia fruebatur.

Sic mundus arundo quaedam est fallacem nitorem prae se ferens, nitor enim ille externus tantum est, non internus; arundo plena superfluis et vacua necessariis: curae carnis et mundi superfluae sunt, bona autem opera necessaria sunt ad salutem. Arundo autem fecunda et abundans est inutilibus foliis, sed tamen absque ullo fructu; sed: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Non sic erat Ioannes, sed ad instar tabernaculi Domini: foris opertum erat illud pellibus mortuorum animalium, intus autem divina erat gloria plenum. [211] Sic: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis.* [212] Sic, sic intus in animo, in corde, in spiritu vera consistit felicitas, non foris in carne neque in mundo. Ioannes foris corpore in vinculis erat, intus autem liber cum Angelis in coelestibus versabatur: *Nostra ... conversatio in coelis est.* [213]

Secundo laudat de poenitentia et austeritate vitae.

XIII. Laudat deinde Christus Ioannem de poenitentia, asperitate et austeritate vitae: *Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum*? Hominem ad instar epulonis illius, purpura et bysso indutum et epulantem quotidie splendide? [214] Ioannes autem indutus erat pilis camelorum et cinctus zona pellicea, cibus autem eius erant locustae ac mel silvestre; [215] non agebat curam carnis Ioannes, sed

210) Ovid. *Fast.*, lib. 1, vr. 216. 211) Cf. Ex 26, 14; 36, 19; 39, 17 sqq.
212) Ps 44, 14. 213) Phil 3, 20. 214) Cf. Lc 16, 19. 215) Cf. Mt 3, 4; Mc 1, 6.

spiritus. Sic: *Qui ... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*,[216] nam qui carnem suam propter Deum amorisque virtutem et vitii odium mortificat, hic ostendit se Deum vere diligere, sicut Abraham offerens Deo Isaac dilectissimum filium.[217] Siquidem quilibet homo suapte natura corpus suum multo magis diligit quam pater unicum filium, cum etiam legamus matres, quarum in filios amor multo est quam patrum vehementior, famis tempore proprios filios devorasse.[218]

Sic qui Deo carnem suam in sacrificium offert, uti suadebat Apostolus: *Obsecro ... vos ... per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*,[219] hic tanquam alter Abraham ostendit se vere Deum super omnia diligere, modo tamen divinorum mandatorum opera non praetermittat, nam obedientiam vult Deus magis quam sacrificia.[220] Hinc praeceptum in Lege erat ut mane, ante iuge sacrificium, non possent offerri sacrificia voluntaria,[221] quoniam praecepta consiliis anteponenda sunt et necessaria voluntariis anteferenda. Ioannes autem utrunque fecit: in observantia enim divinorum mandatorum non fuit arundo ventis agitata, sed firma columna, arbor pomifera; sed praeter illam, voluntariam etiam poenitentiam agere voluit et Deo carnem suam sacrificare. Et quidem Ioannes tanquam holocaustum et hostiam pacificam corpus suum Domino sacrificabat, propter Dei, inquam, amorem, ad gratiae augmentum et in exemplum discipulorum suorum ac ut non tantum verbis, sed etiam vita poenitentiam praedicaret.

**qui enim carnem suam mortificat, ostendit se vere Deum super omnia diligere.**

Nobis autem poenitentia opus est Deoque sacrificium istud offerre etiam pro peccatis, primo quidem commissis: *Agite fructus dignos poenitentiae*;[222] *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum*;[223] deinde pro committendis, ne, inquam, nova committamus peccata, carnis concupiscentia urgente; tertio, ut de inimico domestico reportemus victoriam: *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur*.[224] Quare armis poenitentiae pugnandum est contra hunc

**Poenitentiam agere oportet ad expiunda peccata commissa et futura praecavenda.**

216) Gal 5, 24. 217) Cf. Gn 22, 1-8. 218) Cf. 4 Rg 6, 26-29. 219) Rom 12, 1. 220) Cf. 1 Rg 15, 22; Eccle 4, 17. 221) Cf. Ex 29, 38; Nm 28, 3-6. 222) Mt 3, 8. Vulg.: *Facite ergo fructum dignum poenitentiae*. 223) Ibid. vr. 2; 4, 17. 224) Gal 5, 17.

hostem, haec est enim Herodias quae Ioannem persequitur, [225] haec Iahel Sisaram occidens, [226] haec Dalila Samsonem inimicis tradens, [227] haec Iezabel Prophetas persequens. [228]

*nam superata carne, reliqui hostes facile superantur;*

Superato autem hoc hoste, ceteros facile superabimus: mundanam cupiditatem, quae, ut ait Apostolus, *radix est omnium malorum*,[229] oculorumque concupiscentiam facile vincit qui carnis concupiscentiam vicit, nam haec fundamentum est vitiorum, ideo primo loco eam Ioannes posuit dicens: *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis*, etc. [230] Qui enim carnem suam propter Christum crucifigere vult, ieiuniis, disciplinis, ciliciis, fame, siti, frigore, nuditate, ad quid mundi divitias, ad quid aurum, argentum, terrenosque thesauros concupiscat? Sic etiam diabolum vincemus, quem Christus ieiunio armatus vicit tentantem, [231] et in cruce patiens perpetuam de eo victoriam reportavit. Sic David incultus pastor, humilibus pastoralibus armis devicit Goliam. [232]

*ad Christum etiam in poenitentia imitandum et amorem proprium compescendum.*

Et adhuc, Christum nos in poenitentia imitari oportet: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius ;* [233] *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* [234] Et tandem ostendemus carnem macerando nos Deum vere diligere, non carnem nostram, propriumque amorem poenitentiae operibus extenuabimus, ut virtutibus omnibus cumulati, Deum perfectissime super omnia diligamus. Amor enim proprius vitiorum omnium fons et origo est. Hinc carnis concupiscentia et oculorum, hinc superbia vitae, hinc omne malum. Sed poenitentiae operibus caritatem divinam semper adaugentes, hunc septicipitem draconem interficiemus, eius capitibus poenitentiae gladio praecisis.

*Tertio, Christus Ioannem laudat de Divini Spiritus plenitudine,*

XIV. Laudat tertio Christus Ioannem de vitae sanctitate et Spiritus Divini plenitudine: *Sed quid existis videre? Prophetam? Utique dico vobis, et plus quam prophetam.* [235] *Plus quam prophetam*, inquit, quoniam ait: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Bapti-*

225) Cf. Mc 6, 19. 226) Cf. Idc 4, 17-22. 227) Cf. ibid. 16, 6-21. 228) Cf. 3 Rg 18, 4. 229) 1 Tim 6, 10. Vulg.: *Radix enim omnium malorum est.* 230) 1 Io 2, 16. Vulg.: *Carnis est.* 231) Cf. Mt 4, 1-10; Lc 4, 1-13. 232) Cf. 1 Rg 17, 40-51. 233) 1 Petr 2, 21. 234) Mt 16, 24; Lc 9, 23. Vulg.: *Si quis vult post me venire*, etc. 235) Mt 11, 9; Lc 7, 26.

*sta,*[236] *maior . . . propheta,* inquit L u c a s ; ipse Prophetarum omnium maximus post Christum, nam: *Qui . . . minor est in regno coelorum, maior est illo,*[237] idest Christus. Praefert Christus Ioannem Patriarchis, Prophetis ac sanctis omnibus Veteris Testamenti, ut fuerit sicut luna inter stellas noctu, qua tamen sol maior est, nam Vetus quidem Testamentum nox est, Novum autem dies: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit.*[238]

O felices qui propter Christum aliquid patiuntur, vel saltem alicui periculo se propter Christum exponunt! Ioannes mittens ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* pro Christi gloria exposuit se periculo honoris et famae propriae, nam discipuli et populi, qui eum nedum prophetam, sed etiam Messiam esse existimabant,[239] audientes haec verba Ioannis, cogitare utique et dicere potuissent: Ergo Ioannes, si ignorat quis et qualis sit homo iste, profecto propheta minime est, sicut pharisaeus ait: *Hic si esset propheta, sciret utique quae et qualis est mulier quae tangit eum.*[240] Hinc Christus ad hanc Ioannis honoris famaeque iacturam resarciendam et remunerandam, non solum eum prophetam dicit, sed Prophetis omnibus eum anteponit: *Plus quam prophetam,* inquit, quoniam ceteri omnes Prophetae homines fuerunt, hic autem plus quam homo: *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te.*[241]

dum pro Christi gloria honorem suum diminuere non timuit.

Haec quarta laus Ioannis est, quod Angelus Dei fuerit in mundo, Angelus non natura, sed gratia, sed virtutibus, sed sanctitate, sed coelesti conversatione. Hinc quia sic Angelus fuit, subiunxit: *Amen dico vobis, inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Qui autem minor est in regno coelorum.* Plus quam propheta, inquit, est, quia Angelus est; Angelus, quia non est Prophetarum aliquis, quamvis Moyses, Elias, Ieremias, aut quivis alius maior eo, sed ipse maximus omnium; plus quam propheta, omnes Prophetas excellens, quoniam hic fuit a Prophetis praevisus atque promissus: ab I s a i a : *Vox clamantis in deserto;*[242] a M a l a c h i a : *Ecce ego mitto,* etc.;[243] hic angelico oraculo nunciatus, hic miraculo conceptus,

Quarto tandem laudat appellans eum Angelum et plus quam Prophetam.

236) Mt 11, 11, Vulg.: *Non surrexit inter natos mulierum maior,* etc. 237) 7, 28. Vulg.: *In regno Dei.* 238) Rom 13, 12. 239) Cf. Lc 3, 15; Io 1, 19-20. 240) Lc 7, 39. 241) Mt 11, 10. 242) 40, 3. 243) 3, 1.

sanctificatus, imo Spiritu Sancto plenus in utero, Dei cultor et Christi adorator in materni ventris templo, qui vitam semper caelibem ab ineunte duxit aetate;[244] hic Christi praecursor atque spectator, quem vidit, quem baptizavit, quem digito ostendit, quem coelitus cognovit.[245] Hic primus regni coelestis praedicator et baptismi institutor; hic in Elia praefiguratus: *Si vultis,* inquit, *recipere, ipse est Elias qui venturus est;* [246] hic homo plus quam homo, propheta plus quam propheta, qui humanam naturam supergressus, velut Angelus Dei verus semper absque omni peccati macula in Dei contemplatione et coelesti conversatione vixit in terra.

Haec maxima Ioannis gloria fuit, laudari a Christo.

XV. Profecto non tot astris Deus mundum coelumque ornavit quot laudibus Christus coelestem hunc virum Ioannem, qui vere iuxta nominis ethymon g r a t i a plenus semper extitit, qui invenit gratiam coram oculis Domini, qui gratiae plenitudine et Spiritus Sancti donis omnes sanctos Patriarchas atque Prophetas Veteris Testamenti longo intervallo superavit. Et quidem, si optimus pictor, veluti alter Apelles,[247] picturam aliquam summopere laudaret, profecto pictura illa optima ac perfectissima censenda omnibus esset. Anima autem hominis pictura quaedam Dei est, imago et similitudo Dei. Christus autem summus est pictor, qui astris coelum depinxit; laudat autem tantopere hodie hanc Dei imaginem ac similitudinem in Ioanne. Hanc divinam picturam ergo perfectissimam necesse est eam fuisse, animam, inquam, Ioannis in sanctitate perfectissima.

Nos felices, si Ioanni similes fuerimus.

O nos felices ac ter quaterque beatos, si divino huic viro similes fuerimus, ut non simus sicut arundo vento agitata, sed stabiles in fide et dilectione Dei! *Optimum est... gratia stabilire cor; Non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae;* [248] stabiles in operatione: *Stabiles estote et immobiles, abundantes in* omni *opere Domini semper.* [249] Haec enim cordis stabilitas basis ac fundamentum est vitae spiritualis, spiritualis aedificii. Nam Dominus christianam vitam aedificio turris comparavit: *Quis enim ex vobis volens turrim*

244) Cf. Lc 1, 11 sqq. 245) Cf. Io 1, 26-36. 246) Mt 11, 14. 247) Pictor omnium excellentissimus. Cf. Ios. Perin *Onomasticon,* sub hoc nomine. 248) Eph 4, 14. 249) 1 Cor 15, 58.

*aedificare, non sedens prius computat sumptus, qui necessarii sunt?*[250] Fundamentum autem firmum ac stabile necesse est esse; hinc Dominus supra firmam petram aedificandum docuit, non super arenam, ne aedificium corruat, orta tempestate ventorum, pluviarum et fluminum supervenientium,[251] idest orta magna tentatione; instabiles enim non referunt fructum, sed sunt semen quod cecidit super petram et, orto sole, exaruit:[252] Hi, inquit, instabiles sunt et non referunt fructum, *quia ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt.*[253] Ne simus sicut arundo, quae aridam arenosamque terram magis diligit quam fecundam optimamque; sed optimum vitae genus eligendum nobis est, quae terra illa est cordis optimi referens fructum centuplum *in patientia,*[254] non genus vitae mundanae, quae bonis operibus terra sterilis et infecunda est.

firmi in fide et dilectione Dei.

Posito autem hoc fundamento firmae voluntatis, stabilito corde ut Deo *in sanctitate et iustitia* serviamus *omnibus diebus nostris,*[255] tunc a carnis mortificatione et poenitentia incipiendum est, ut ab hoc statu, qui incipientium est et in vitiorum purgatione consistit, transeamus ad vitam propheticam, ad vitam illuminatam coelestis luminis divinae cognitionis splendoribus, ut tandem ad vitam deveniamus angelicam, quae in perfecta sanctitate et gratia consistit, ut nostra conversatio semper in coelis sit.

perseverantes in poenitentia et mortificatione carnis.

In his enim quattuor laudibus Christus omnem complexus est christianam et evangelicam philosophiam; sunt enim veluti quattuor flumina paradisi,[256] quae quattuor cardineas virtutes designabant, quaeque sunt quattuor anuli aurei arcae foederis Domini[257] et quattuor rotae ignei currus Eliae.[258] Docet enim hic Christus primo animi fortitudinem, secundo temperantiam victus atque vestitus, tertio prophetalem prudentiam et quarto angelicam iustitiam. Sic motus virtutis sursum semper tendit velocius, sicut in statua Nabuchodonosor quo magis ascendebatur eo perfectiora erant metalla;[259] sic in tabernaculo Domini, sic in templo, sic in homine, sic in mundo ipso semper quo magis ascenditur eo nobiliores partes reperiuntur;

In his quattuor laudibus Christus complexus est omnem christianam philosophiam.

250) Lc 14, 28. Vulg.: *Non prius sedens,* etc. 251) Cf. Mt 7, 24-27; Lc 6, 47 sqq. 252) Cf. Lc 8, 6. 253) Ibid. vr. 13. 254) Ibid. vr. 15. 255) Ibid. 1, 75. 256) Cf. Gn 2, 10. 257) Cf. Ex 25, 26; 37, 3. 258) Cf. 4 Rg 2, 11. 259) Cf. Dn 2, 32-35.

sic in vita spirituali, ut in beatitudinibus Christus docuit incipiens ab infima et ad supremam ascendens.[260]

Sicut in virtutibus datur processus semper ascendens, sic in vitiis semper descendens.

Sic etiam in vitiis idem processus; incipit enim a mala cogitatione, hinc ad concupiscentiam naturalem, inde ad delectationem sensualem, hinc ad consensum, tunc sequitur opus, deinde delectatio in malo opere, hinc frequentia, postea habitus, tunc confirmatio habitus, hinc obstinatio in malo et tandem finalis impoenitentia, in qua homo daemonibus similis est ac daemon infernalis. Et sicut in mundo idem est processus lucis ad tenebras in sero ac tenebrarum ad lucem in mane, sic idem videtur esse processus a vitio ad virtutem, sicut a virtute ad vitium. Immittit primo Deus coelestem cogitationem ac divinam quandam inspirationem, hinc accenditur in voluntate desiderium virtutis, a desiderio virtutis sua specie animum delectantis pergitur ad opus, confirmata ac deliberata iam voluntate; sic, inquam, a deliberatione voluntatis incipit opus virtutis, maceratio carnis contemptusque mundi, hinc ex frequentatis actibus bonis fit virtutis habitus, qui quidem crescens, tandem ad angelicam quandam perfectionem devenit; sic enim Christus tandem Angelum [Ioannem] appellavit.

Noluit Christus Ioannem de carcere liberare,

XVI. Novit Christus Ioannem in vinculis detineri, nec tamen liberavit eum, quem utique liberare potuisset, sicut Petrum liberavit de manu alterius Herodis.[261] Sed cur, quaeso, noluit eum liberare, si poterat et sciebat? Num forte non merebatur Ioannes liberari? Profecto, sicut noluit liberare Paulum ab angelo satanae, quamvis ter rogatus, dicens quod *virtus in infirmitate perficitur,*[262] nec seipsum de manu Pilati, ita nec Ioannem de manu Herodis, cum tamen eum summopere diligeret. Voluit enim Christus Ioannem martyrii corona decorare ad maiorem eius honorem in coelo, in sempiterna gloria Beatorum, et ut ostenderet quod in Novo Testamento non erat futurum [in terra] praemium virtutis sicut in Veteri, cum in virtutis praemium bona temporalia dabantur, felicis habitatio terrae promissionis;[262*] in Novo praemium virtutis futurum erat in coelo: *Merces vestra magna est in coelo,* in bonis coelestibus atque aeternis. Et

ad maiorem illius exaltationem.

260) Cf. Mt 5, 3-12. 261) Cf. Act 12, 1-11. 262) 2 Cor 12, 7-9.
262*) Cf. Lv 26, 2-13; Dt 28, 1-14. 263) Mt 5, 12. Vulg.: *Copiosa est in coelis.*

quidem Ioannes vincula patienter ferebat vitamque corporis nihil curabat, sed animarum salutem.

A Ioanne discenda est patientia in adversitatibus.

Discendum etiam nobis ab eo est quid nobis in adversitatibus agendum sit. Ioannes enim in vinculis positus patientiam servabat et mysteria Divinarum Scripturarum meditabatur; sic Paulus hodie ait: *Quaecunque... scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.* [264] Ex meditatione enim Divinarum Scripturarum misit ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es,* in Divinis Scripturis promissus, *an alium expectamus?* Meditabatur Ioannes in vinculis mysterium salutis et redemptionis aeternae secundum Scripturas, quoniam sicut Ioannes sic universum humanum genus erat in vinculis. Tenebatur homo vinctus a diabolo, populus Dei sub Pharaone [265] et sub rege Babylonis; [266] per has enim duas captivitates una designatur in qua duo sunt malorum genera: unum privatio omnium bonorum, Adam a paradiso exclusus: [267] hoc passi sunt Hebraei a rege Babylonis; aliud perpessio omnium malorum sententia contra Adam: hoc passi sunt Hebraei a Pharaone.

Christus a malis peccato debitis liberat et omnia bona in aeternitate restituit.

Sed ab omnibus hisce malis liberandus erat homo a Christo, hinc respondet Ioanni: *Caeci vident,* etc.: ecce liberatio ab omnibus malis illatis per sententiam contra Adam; *Pauperes evangelizantur,* praedicantur beati: ecce restitutio omnium bonorum tum spiritualium tum corporalium, maxime in aeternitate, in paradiso, in gloria coelesti, nam: *Beatus... qui non fuerit scandalizatus in me.* [268] Per peccatum, inquam, amisit homo beatitudinem: per me restituetur ei, ut sit beatus omnis qui in me credit: *Ut omnis, qui credit* in me, *non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [269] Hanc salutem meditabatur Ioannes, liberationem ab omnibus malis et consecutionem omnium bonorum, sicut sua responsione Christus declaravit.

Multi scandalum patiuntur

XVII. Mirantur multi Ioannem virum sanctissimum, quo *inter natos mulierum non surrexit maior,* plus quam propheta, Angelus Domini cum esset, detineri in vinculis ab impio Herode; mirantur hoc

264) Rom 15, 4. Cf. Missale Rom. 265) Cf. Ex 1, 8 sqq. 266) Cf. 4 Rg 25, 1 sqq.; 2 Par 36, 17-21. 267) Cf. Gn 3, 16 sqq. 268) Mt 11, 6; Lc 7, 23. 269) Io 3, 16.

videntes infortunia bonorum et prosperitatem iniquorum,

cum Iob,[270] cum Ieremia,[271] cum Habacuc[272] et cum Regio Vate,[273] qui in hac consideratione humano sensu ducti, de divina providentia pene scandalizari videntur. Sed finis bonorum et malorum inspiciendus est, Lazari et epulonis,[274] quoniam tunc dextera ponetur super Ephraim frugiferum et sinistra super Manassen obliviosum,[275] tunc ingressi per portam australem egredientur per aquilonarem et e contra:[276] *Recordare, fili,* etc.[277]

sed finis inspiciendus est.

Sic Ioannes in principio huius Evangelii videtur in vinculis, sed in fine a Christo summa in gloria super omnes Prophetas tanquam Angelus Domini collocatus. Finis inspiciendus est Moysi et Pharaonis, Hebraeorum et Aegyptiorum, Davidis et Saulis: *Donec intrem in sanctuarium Domini et intelligam in novissimis eorum.*[278] Sic et Christus in hoc mundo non bona terrena sed mala suscepit, quoniam mirabili quadam alchymia haec terra in aurum optimum convertetur.

Raro Deus electos suos in mundo bonis temporalibus cumulat,

Aliquando Deus electos suos in mundo hoc temporalibus bonis ditissime cumulavit, ut Abraham,[279] Isaac,[280] Iacob[281] Ioseph,[282] David,[283] Salomonem[284] omnesque Hebraeos in terra promissionis, et omnes quidem iustos Veteris Testamenti hisce bonis ditabat; in Novo autem Testamento totum egit oppositum: voluit enim suos hisce bonis pauperrimos esse, uti fuit ipse, uti Apostoli et omnes sancti qui, relictis omnibus, nudum secuti sunt Crucifixum. Hoc autem ut ostenderet quod iusti temporalia haec bona merentur, imo quod propter eos Deus bona haec mundo largitur. Hinc Noe ereptus a diluvio,[285] Loth ab incendio,[286] Daniel a lacu leonum,[287] tres pueri a fornace ardenti.[288]

ne mundus putet his tantum virtutem remunerari

Sed ne putaret mundus quod bonis tantum temporalibus virtus remuneranda esset Deumque aurum cupro remunerare pretiosasque margaritas communibus lapidibus, spiritualia enim bona ipsaque virtus multo sunt pretiosiora temporalibus quam aurum cupro, margarita lateribus, anima corpore, coelum terra, sol luna, hinc noluit electos suos in mundo hoc bonis hisce caducis ac vanis abundare,

270) Cf. 21, 7-15. 271) Cf. 12, 1-2. 272) Cf. 1, 1 sqq. 273) Cf. Ps 72, 1-16. 274) Cf. Lc 16, 19 sqq. 275) Cf. Gn 48, 10-14. Sic latine haec nomina interpretantur. 276) Cf. Ez 46, 9. 277) Lc 16, 25. Vulg.: *Fili, recordare.* 278) Ps 72, 17. Vulg.: *In sanctuarium Dei*, etc. 279) Cf. Gn 13, 2. 280) Cf. ibid. 26, 12-14. 281) Cf. ibid. 30, 43. 282) Cf. ibid. 41, 39 sqq. 283) Cf. 2 Rg 12, 7-8. 284) Cf. 3 Rg 10, 23 sqq.; 2 Par 9, 22 sqq. 285) Cf. Gn 7, 1 sqq. 286) Cf. ibid. 19, 13-29. 287) Cf Dn 6, 16-23; 14, 29-40. 288) Cf. ibid. 3, 19-24.

nam: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas;*[289] virtus autem, non vanitas sed veritas est: *Qui ... facit veritatem, venit ad lucem.*[290] Non ergo veritas, verum aurum, vanitate auroque adulterino et fallaci commutandum est; hinc coelestibus aeternisque bonis voluit remunerare virtutem.

Fecit quoque id ne calumniam paterentur electi, quam Iob a satana passus fuit, quod propter bona accepta a Deo iustitiam servarent,[291] tanquam mercenarii servi, non autem tanquam veri filii Dei; et quia in coelum cum ituri essent electi, tanquam peregrini in mundo hoc non habentes civitatem permanentem, sed inquirentes futuram,[292] temporalibus hisce bonis nihil egebant, cum bona coelestia terrenis multo sint meliora quam stellae sint lapidibus pretiosiores ac splendidiores; imo esset deferre aquas ad mare, arenas ad litus, lumen ad solem. Bonorum enim in coelo infinita abundantia est; quare terrena bona nihili ibi valent, sicut nec panis hordeaceus vinumque acetosum in regali convivio, quale fuit illud Assueri;[293] at vero tribulationum, suspiriorum lacrimarumque et passionum propter iustitiam in coelo summa est caritas summoque in pretio habentur: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit,* sicut aurum in fornace, incude et malleo, *accipiet coronam vitae.*[294] Hinc Deus hisce malis ditavit in hoc mundo suos, nam: *Secundum numerum dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam;*[295] *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum ... consolatio nostra.*[296]

et ne iusti virtutem servarent spiritu mercenario, non spiritu filiorum;

hinc electis mala in hoc mundo immittit, ut aeternis bonis in coelo eos cumulet.

XVIII. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi.* Habebat Ioannes aures apertas ad audienda divina, nam: *Qui ex Deo est, verba Dei audit;*[297] *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*[298] Audivit Ioannes opera Christi et credidit; audiens autem summo repletus gaudio fuit, sicut Iacob audiens quod Ioseph filius eius viveret et dominus esset terrae Aegypti.[299] Noverat Iacob quod Ioseph futurus erat magnus in mundo princeps ex divinis revelationibus solis,

Audiens Ioannes in vinculis opera Christi, magno gaudio repletur

289) Eccle 1, 2; 12, 8. 290) Io 3, 21. 291) Cf. Iob 9, 11; 2, 4-5.
292) Cf. Hebr 13, 14. 293) Cf. Est 1, 3-8. 294) Iac 1, 12. 295) Ps 93, 19. Vulg.: *Secundum multitudinem*, etc. 296) 2 Cor 1, 5. 297) Io 8, 47.
298) Rom 10, 17. 299) Cf. Gn 35, 26 sqq.

lunae et stellarum undecim adorantium ipsum Ioseph et undecim manipulorum adorantium manipulum Ioseph;[300] sed cum audivit, prae nimio gaudio cupiens summopere esse ita ut audivit, vix credebat, sicut de Apostolis legimus: *Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio,*[301] cum tamen Dominum prae oculis haberent vivumque cernerent. Ita plane Ioannes audiens Christi opera, summo gaudio et admiratione plenus mittit ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es?* Plane, inquit, si vera sunt miracula quae de te audio, necesse est ut sis Messias qui venturus erat. Quare cum non posset ipse ad Christum ire, mittit duos de discipulis suis petens quodammodo signum a Christo, quo ostenderet se verum esse Messiam.

et discipulos suos ad eum mittit, ut et ipsi in Christum credant.

Non petit autem ex malignitate ut Pharisaei,[302] neque ex curiositate ut Herodes,[303] sed ex caritate, ut videntes discipuli crederent in Christum. Misit Ioannes discipulos ad Christum sicut Eliseus misit filios Prophetarum ad requirendum Eliam,[304] ut certiores fierent quod Elias raptus erat in coelum, cum illi id vix credere possent. Quare etiam Eliseus mittens ad requirendum eum, dubitare se finxit, cum tamen certissime sciret, eo quod viderat eum suis oculis cum raptus fuit igneo curru in coelum. Ita, inquam, Ioannes finxit hodie se Christum nescire.

et forte etiam ex quadam admiratione.

Quamvis etiam, uti diximus, ex admiratione quadam processit haec Ioannis interrogatio, videns quod populus non crederet in Christum, visis tot signis, sicut admiratus fuit Moyses videns rubum flammis circumdatum non comburi.[305] Et sicut tunc Moyses, cum cognovisset Deum ibi esse, petiit tamen divinum nomen sibi manifestari,[306] ita hic Ioannes.

Christus autem operibus respondens ostendit se verum Deum esse.

Magnum fuit Moysi quaesitum, nil minus istud Ioannis, sicut Christus Deo non minor, sed aequalis est, verus cum sit Deus; et sicut alta fuit responsio facta Moysi, alta et responsio facta Ioanni. Nam sicut Deus ibi verbis atque operibus Deum se esse ostendit, factis miraculis, ita Christus Ioanni verbis operibusque ostendit se Christum esse; et sicut Deus dixit Moysi: *Sic dices filiis Israel... Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob misit*

300) Cf. ibid. 37, 5-11. 301) Lc 24, 41. 302) Cf. Mt 12, 38; 16, 1; Mc 8, 12; Lc 11, 16. 303) Cf. Lc 23, 8. 304) Cf. 4 Rg 2, 16-18. 305) Cf. Ex 3, 2. Cf. supra pag. 209-210. 306) Cf. Ex 3, 13.

*me ad vos, hoc nomen mihi est in aeternum et hoc memoriale meum,* etc.,[307] idest: Dices quod ego ille sum Deus qui Abrahamo, Isaac et Iacob summa beneficia contuli, *qui apparui* eis *in Deo omnipotente;*[307a] ita Christus summum se hodie omnipotentemque benefactorem ostendit, nam omnia miracula quae faciebat maxima beneficia erant; quare nonnisi summus maximusque benefactor agnosci cupit, veluti si princeps nullis parceret thesauris ut pius beneficusque agnosceretur, sicut Assuerus summas fecit expensas ad ostendendam gloriam et potentiam regni sui.

XIX. Tandem Ioannes, quoniam Christum magis magisque cupit agnoscere, sciens ipsum librum illum esse qui septem sigillis signatus aperiri non potuit ab ulla creatura in coelo, in terra aut subtus terram, nisi ab ipsomet Agno,[308] vult ut hodie ipsemet Christus librum hunc aperiat, ipse seipsum manifestet, quoniam declarare incarnationis Christi mysterium, quomodo in Christo habitaret *omnis plenitudo divinitatis corporaliter,*[309] infinita potentia, sapientia, bonitas, iustitia, misericordia, caritas, maiestas in homine, ego, inquit, quamvis praecursor tuus sim, maiestatem tuam declarare non possum hominibus; tu teipsum declara sicut sol sua se luce manifestat et ignis calore. Ideo tu hodie manifesta an sis Messias ille qui venturus erat, Deus ille humanatus, Verbum incarnatum. Habent ergo verba ista Ioannis multiplicem sensum: primo, ut ad salutem discipulorum et maiorem Christi gloriam fingat se Christum nescire; secundo, ut ostendat se Christum magis magisque cognoscere desiderio teneri; tertio, ut ostenderet se vehementer mirari cur in Christum non crederet populus, tot signis visis atque auditis; quarto, imparem se fatetur ut Christum possit mundo manifestare, sed ut Christus ipse manifestet seipsum esse Messiam.

**Ioannes hac legatione Christum quodammodo provocat ut seipsum manifestet;**

Et Christus quidem quoad primum pro salute discipulorum Ioannis, ut credentes salvarentur, multa coram eis operatus miracula fuit, ut ostenderet quanti pendenda sit animarum salus; quoad secundum, inquit: *Ite, renunciate Ioanni quae audistis et vidistis,*[310] ut ex his magis magisque divinitatis meae virtutem agnoscat; quoad ter-

**Christus autem miracula operando respondet.**

307) Ibid. vr. 15. Vulg.: *Haec dices.* 307a) Ibid. 6, 3. 308) Cf. Apc 5, 1-8.
309) Col 2, 9. 310) Mt 11, 4; Lc 7, 22. Vulg.: *Euntes,* etc.

tium, ostendit se salvatorem esse hominum, non tamen omnium, sed eorum qui non fuerint scandalizati in eo, Salvatorem electorum, non reproborum, Iacob non Esau.[311] Et forte etiam allusit Christus ad Isaiam: *Vade et dic populo huic: Audite audiendo et nolite intelligere et videndo videte*, sed *nolite cognoscere. Incrassa cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude*, etc.[312] Quare innuit Christus mysterium divinae praedestinationis et praescientiae, electionis et reprobationis aeternae. Et tandem, quoad quartum, operibus et verbis Christus seipsum manifestat esse Messiam, redemptorem et Salvatorem mundi.

Forte etiam misit hanc legationem ad Christum quia populi dubitare poterant an Christus magnus esset propheta in Lege promissus, non vero Messias;

Quoniam vero Ioannes sua hac missione Christum tacite laudaverat quoad opera et quoad doctrinam: quoad opera, quod ex illis credendus esset verus propheta ac Messias, et quoad doctrinam, quod credendum illi erat simplici verbo dicenti se Messiam esse, nam haec duo inspicienda erant in propheta: opera signaque, ut patet *Deuteronomio* 18,[313] et salutaris veraque doctrina, ut *Deuteronomio* 13,[314] hinc Ioannes quoad haec duo Christum commendavit, quasi ille esset propheta qui in Lege promissus erat.[315] Nam facto miraculo suscitationis filii viduae, turbae omnes videntes dixerunt: *Quoniam propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit*, etc.;[316] sed hoc speciale miraculum relatum fuit Ioanni a discipulis suis. Sed existimabant Iudaei alium esse illum prophetam et alium Messiam, sed quod ille praecessurus esset Messiam; hinc enim missi sacerdotes et levitae ab Ierosolymis ad Ioannem, postquam interrogaverunt an esset Christus vel Elias, dixerunt an esset ille propheta, idest ille tam singularis in Lege promissus.[317]

Christus autem ostendit se et magnum illum prophetam esse et Messiam.

Ioannes ergo, audito miraculo et audito quod turbae dicebant Christum esse illum prophetam, non tamen credentes ipsum esse Messiam, sed alium Messiam expectabant, hinc mittit ad Christum dicens: *Tu es ille venturus, an alium expectamus?* Quasi dicat: Viso miraculo tam magno, o Iesu, dicunt turbae te esse illum magnum prophetam, non autem Messiam. Quare, obsecro, declara an vere tu sis Messias, an vero ille propheta magnus, non tamen Mes-

311) Cf. Mal 1, 2-3; Rom 8, 13. 312) 6, 9-10. Vulg.: *Dices... Audite audientes... et videte visionem... Excaeca cor*, etc. 313) Cf. vrr. 18 sqq. 314) Cf. vrr. 1-5. 315) Cf. ibid. 18, 15. 316) Lc 7, 16. Vulg.: *Quia propheta*, etc. 317) Cf. Io 1, 19-21.

sias, adeo ut post te expectare debeamus alium venturum Messiam. Christus vero respondens Ioanni ostendit illum magnum prophetam esse Messiam et se prophetam illum esse atque Messiam. Quare Ioannes voluit ut Christus hoc declararet populumque ab errore liberaret ac faceret ut, sicut ex viso miraculo credebant eum illum esse prophetam, ita crederent verum esse illum venturum tantopere expectatum Messiam.

Respondens Christus duplicem laudem Ioanni tribuit, sicut duplicem laudem ab eo acceperat,

XX. Quoniam vero, inquam, Ioannis tacitus has duas Christo coram populo, apud quem in maxima erat reputatione,[318] laudes dedit, Christus has laudes reduplicat laudatque Ioannem et quoad vitam et quoad doctrinam: quoad vitam, quod non sit sicut arundo agitata a vento, sed stabilis in fide, caritate et virtute, quod non sit homo mollibus vestitus, mundo serviens, sed Deo in contemptu mundi; et quoad doctrinam, quod sit propheta et plus quam propheta, imo quod sit sapientissimus Angelus Domini, ut si existimabat populus magnum illum prophetam in Lege promissum a Messia alium fore, existimaret illum Ioannem esse, quoniam hic esset Angelus ille Domini, de quo scriptum est: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem tuam ; et statim,* etc.[319] Alludere enim videtur Dominus ad populi opinionem existimantis statim, post magni illius prophetae adventum, venturum esse Messiam; quare vult ut credant se quidem esse Messiam, Ioannem vero prophetam illum omnium excellentissimum, si crederent illum alium a Messia esse, sed venturum ad praecurrendum Messiam, ut statim post ipsum veniret Messias.

laudat enim Ioannem et quoad vitam et quoad doctrinam.

Et primo quidem Christus quoad vitam laudat Ioannem, quod non sit arundo vento agitata, sed sicut sapiens illa mulier thecuitis dixit ad David: *Sicut enim Angelus Domini sic est dominus meus rex, ut nec benedictione nec maledictione moveatur, unde et Dominus Deus tuus tecum est.*[320] Dixit Christus Ioannem esse Eliam: *Si,* inquit, *vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est* in mundum,[321] Elias in spiritu: *Ipse praecedet ante eum in spiritu et virtute Eliae... parare Domino plebem perfectam.*[322] Elias raptus fuit in coelum igneo cur-

318) Cf. Mt 21, 26; Mc 11, 32; Lc 20, 6. 319) Mal 3, 2. 320) 2 Rg 14, 17. Vulg.: *Angelus Dei... est tecum.* 321) Mt 11, 14. 322) Lc 1, 17. Vulg.: *Ante illum,* etc.

ru,[323] Ioannes mox a mundo tollendus ac rapiendus in coelum erat. Hinc Christus construit ei hodie igneum hunc currum, nam inquit: *Ipse erat lucerna ardens et lucens.*[324] Ignis ardet lucetque, ita caritas et gratia Spiritus Sancti, qui in igne descendit;[325] Ioannes autem Spiritu Sancto plenus fuit. Hodie huic currui quattuor rotas Christus apponit, has quattuor laudes, quattuor virtutes, quarum merito Ioannes in coelum ascendit.

Sic Christus et Ioannes se invicem honore praeveniunt et laudibus extollunt.

Erant Ioannes et Christus in populo Iudaeorum sicut in litteraria aliqua universitate duo concurrentes summi philosophi excellentissimique theologi, sed sese summopere diligentes, honore praevenientes et laudibus extollentes. Sic, inquam, Christus et Ioannes summi apud Iudaeos prophetae habebantur. Ioannes summus theologus, maximus prophetarum, suos habebat discipulos, et Christus[325a] Ioanne maior suos. Ioannes ut Christum honore afficiat mittit ad eum discipulos suos, et Christus laudibus coram populo effert Ioannem: Non est, inquit, Ioannes sicut arundo, foris pulcra, intus deformis et vacua, uti sunt omnes hypocritae; est Spiritu Sancto plenus, unde est ad instar arundinis aureae in manu Angeli, qua coelestem metitus est civitatem.[326] Hac enim arundine mensurandi sunt omnes electi.

Qui salvari volunt, necesse est ut Ioanni similes sint, vera virtute praediti,

Omnes qui salvari volunt, necesse est ut Ioanni sint similes, ut non sint[326a] in fide et caritate instabiles, non falsa virtutis specie mundum decipientes; nam vera virtus et hypocrisis sunt sicut natura et ars, homo et statua hominis arte efficta, in hac enim figura tantum extrinseca est, intrinsecus autem nihil est hominis. Sic est et mundana felicitas, externa tantum, sicut statua ex arido ligno aut ex lateribus facta, foris pulcra et deaurata, intus vero nihil est pulcritudinis. Similes etiam Ioanni in contemptu mundi et carnis mortificatione, similes in vita prophetali, idest in cultu veri Dei; ut simus plus quam propheta, quia: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.*[327]

carne mortificati, pii cultores Dei,

Et tandem oportet nos[328] incarnatos angelos esse, ut in carne viventes, non secundum carnem vivamus. Homo peccator arundo illa est qua

323) Cf. 4 Rg 2, 11. 324) Io 5, 35. Vulg.: *Ille erat*, etc. 325) Cf. Act 2, 1-4. 325a) Ms.: *Autem* adicitur. 326) Cf. Apc 21, 15-17. 326a) Ms.: *Hic* adicitur. 327) Mt 5, 20. 328) Ms.: *Non.*

percussum fuit Christi caput, [329] sed iustus est arundo in manu Christi dextera. [330] Omnes enim natura arundines sumus, leves, instabiles, fragiles, vacui; sed arundo in dextera Christi fit vere aurea, sic enim et Ezechiel vidit in manu Angeli calamum mensorium, quo civitatem et templum mensuravit; [331] sic omnes in die iudicii calamo hoc mensurandi sumus.

**secundum spiritum viventes.**

**In hoc mundo iusti malis afficiuntur, impii vero bonis cumulantur;**

XXI. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi*, etc. Ab impio Herode Ioannes vinctus tenebatur in carcere propter Herodiadem, sicut Ieremias ab impio Sedecia rege ob veritatis odium inclusus fuit in teterrimum carcerem, [332] et Ioseph in Aegypto innocens in lacum missus fuit a suo domino propter sceleratam mulierem. [333] Sed quodnam, quaeso, hoc monstrum est? Herodes impiissimus in throno regali et Ioannes vir sanctissimus in carcere et in vinculis, in compedibus et catenis? Quasnam videmus rerum inversas vices? Terra supra coelum est collocata? Quod monstrum est mundus iste, animal cuius caput positum sit in loco caudae et cauda in loco capitis? Quaenam haec ratio divinae providentiae, inquiet ille: boni puniuntur et mali praemiantur? Impius epulo omnibus mundi huius fruitur bonis et iustus Lazarus omnibus afficitur malis? Permittitur ut Cain occidat iustum Abelem, [334] ut Ismael persequatur Isaacum, [335] Esau Iacobum, [336] Saul Davidem, [337] Pharao Moysen, [338] Achab cum Iezabele Eliam? [339]

**hinc multi scandalizantur Dei cogitationes ignorantes;**

Hinc multi scandalizantur et divinam providentiam vel negant vel damnant, quod permittat Herodem regnare et Ioannem in vinculis detineri. At hi ignorant quod sicut exaltantur coeli a terra, ita exaltantur viae Dei a viis hominum. [340] Scandalizantur qui nonnisi bona mundi huius quaerunt, terrena et momentanea, coelestia vero et aeterna, quae praeparavit Deus diligentibus se [341] post vitae huius peregrinationem, vel non credunt vel contemnunt, cum tamen mundi huius bona non vera sint, sed fallacia, adulterina, larvae tantum verorum bonorum.

329) Cf. Mt 27, 30; Mc 15, 19. 330) Cf. Mt 27, 29. 331) Cf. Ez 40, 5-41, 1 sqq 332) Cf. Ier 32, 1-3; 37, 15 sqq. 333) Cf. Gn 39, 7-20. 334) Cf. ibid. 4, 8. 335) Cf. ibid. 21, 9-10; Gal 4, 29. 336) Cf. Gn 27, 41. 337) Cf. 1 Rg 18, 8 sqq. 338) Cf. Ex 2, 15. 339) Cf. 3 Rg 19, 1-14. 340) Cf. Is 55, 9. 341) Cf. 1 Cor 2, 9.

*sed indigna sunt terrena bona quae dentur in coronam virtutis, quia fallacia et vilia;*

An non indigna res principe esset militibus stipendia dare ex falsis monetis? dare cuprum pro argento et aurichalcum pro auro? Si quis regi dono praesentaret vas aureum daedalica arte laboratum gemmisque pretiosissimis ornatum, an res esset rege digna lutum pro auro referre? S a p i e n s autem ait non esse comparandum sapientiae *lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua et tanquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius;* [342] hinc P a u l u s omnia mundi huius bona nihili pendit et arbitratur ut stercora. [343] Sapientiam vero, quae thesaurus est omnium virtutum, Deus maximi facit et viri omnes qui divino spiritu afflati sunt. Sic enim S a p i e n s ait: *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei;* [344] propterea idem ait: *Praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in conspectu illius.* [345] Virtutem autem perfectam requirit Deus; sed *virtus in infirmitate perficitur,* [346] sicut aurum in fornace: *Tribulatio patientiam operatur,* [347] *patientia autem opus perfectum habet.* [348] Hinc Deus multis tribulationibus afficit electos suos vel ut eos perficiat vel ut perfectos ostendat. Sic enim mundus agnovit perfectam virtutem Abrahami, Iobi, Davidis; sic nostri Ioannis.

*Insuper Deus virtutem perfectam requirit, virtus autem in tribulatione perficitur.*

In vinculis his Ioannes perfectus ostensus est. Perfectio in caritate consistit, quae *vinculum perfectionis est;* [349] caritas autem tunc perfecta est cum *non quaerit quae sua sunt,* [350] sed quae Iesu Christi. Ioannes in vinculis minime quae sua sunt naturae impulsu quaerebat. Naturaliter enim homo super omnia libertatem quaerit et vitam quam maxime diligit; Ioannes autem cum teneretur vinctus in carcere damnandus ad mortem, non mittit discipulos suos ad Herodem ut supplicarent pro sua liberatione, sed mittit ad Christum, cupidus gloriae Christi et salutis discipulorum suorum, quae caritas perfecta est erga Deum et proximum. Non sentiebat Ioannes carcerem et vincula ob divinae caritatis ardorem; erat sicut Ionas in navi dormiens in maxima tempestate, [351] sicut et Christus dormiebat dum navis periclitaretur; [352] erat sicut rubus ardens incombustus, [353] sicut Da-

*Vere perfectus in caritate ostenditur Ioannes in vinculis.*

342) Sap 7, 9. 343) Cf. Phil 3, 8. 344) Sap 7, 14. 345) Ibid. vr. 8. Vulg.: *In comparatione illius.* 346) 2 Cor 12, 9. 347) Rom 5, 3. 348) Iac 1, 4. 349) Col 3, 14. Vulg.: *Est vinculum perfectionis.* 350) 1 Cor 13, 5. 351) Cf. Ion 1, 4-6. 352) Cf. Mt 8, 23-24; Mc 4, 36-38; Lc 8, 22-23. 353) Cf. Ex 3, 2.

niel in lacu leonum intactus,[354] sicut tres iuvenes in medio fornacis ardentissimae a flamma illaesi et coelesti aura recreati:[355] *Beati qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum... Gaudete et exultate, quoniam merces vestra magna est in coelis.*[356]

**Tribulationes huius mundi sequetur aeterna gloria,**

Tribulationes huius mundi merces sunt infiniti pretii et valoris in coelo. Sic hisce vult Deus suos in aeternum ditare in patria, vult ut certent, quoniam *non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.*[357] Sic Ioannes hodie magna gloria et honore a Christo coronatus est, divino encomio laudatus tanquam Angelus in carne et maximus Prophetarum. Sic videmus Ioannem prius humiliatum ab Herode et postea exaltatum a Christo; sic omnes iusti et electi Dei prius humiliantur et malis afficiuntur a mundo, sed postea in aeternum super astra exaltantur et glorificantur a Deo.

**dum temporalem consolationem sequetur aeternus cruciatus.**

At *non sic impii, non sic,*[358] sed exaltati a mundo, humiliantur a Deo temporalemque exaltationem et consolationem sequitur aeterna humiliatio et cruciatus, sicut Dominus docuit in epulone et Lazaro mendico:[359] post temporalia bona sequuntur aeterna mala. Quod autem temporalia bona nihili faciat Deus, hodiernum Evangelium ostendit cum ait quod *pauperes evangelizantur*, idest pauperibus praedicatur Evangelium; pauperibus, non divitibus primo omnium Christus Evangelii mysteria revelavit: *Esurientes replevit bonis et divites dimisit inanes.*[360] Sic Christus nihili pendit divitias quas mundus tanquam deum suum adorat et colit, tanquam populus vitulum aureum[361] et Babylonii auream statuam,[362] ac decem tribus aureos vitulos Ieroboam.[363]

**Stultum est in bonis mundanis felicitatem statuere.**

XXII. Quam diversum est iudicium mundi a iudicio Dei! Et nos, cum Dei legem et christianam religionem profiteamur, mundi potius quam Dei iudicium factis probamus, quoniam nonnisi temporalibus bonis inhiamus, quoniam in vanissimis hisce bonis, quae ipsissima vanitas vanissima sunt, felicitatem statuimus, ignorantes

354) Cf. Dn 6, 16-22; 14, 29-40. 355) Cf. ibid. 3, 21-50. 356) Mt 5, 10-12. Vulg.: *Persecutionem patiuntur... Copiosa est in coelis.* 357) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur. Non coronabitur* lect. cod. 358) Ps 1, 4. 359) Cf. Lc 16, 19 sqq. 360) Ibid. 1, 53. Vulg.: *Implevit bonis.* 361) Cf. Ex 32, 1-6. 362) Cf. Dn 3, 1-7. 363) Cf. 3 Rg 12, 26-30.

quod multo felicior erat Ioannes in carcere quam Herodes in regali palatio, multo beatior Ioannes in vinculis quam Herodes in throno regio, quoniam Ioannes corpore tantum vinctus erat, animo autem liber conversabatur in coelis, Herodes autem carne liber, spiritu vinctus erat funibus peccatorum suorum in manu diaboli, nam: *Iniquitates suae capiunt impium et funibus peccatorum suorum constringitur.* [364]

Mala conscientia infernus vivus est.

Felix quidem videbatur Herodes carne in oculis hominum, sed spiritu infelix erat in seipso et coram Deo, nam ait quod *metuebat Ioannem sciens eum virum iustum et sanctum;* [365] multis ergo conscientiae stimulis et remorsibus cruciabatur, multis vexabatur timoribus, quoniam contra conscientiam suam tenebat eum in carcere. Mala autem conscientia vivus infernus est; sic Herodis animus vivo in inferno cruciabatur. Ioannis autem animus divinus quidam paradisus erat. Nil minus felix in carcere vinctus quam in deserto liber, humiliatus et dehonestatus ab Herode quam honoratus et glorificatus a populo, cum ab eo tanquam Christus, verus Messias haberetur et honoraretur. [366] Sicut enim in comoediis et tragoediis optimus histrio, qui plures ex praescripto auctoris et ordinatoris comoediae personas acturus est, non minori cum hilaritate et studio nec minus libenter agit personam pauperis quam divitis et personam ignobilis quam regis et principis; sic iustus quisque eundem vultum eandemque frontem servat in prosperitatibus et adversitatibus, sicut oliva eadem est in aestate et hieme, sicut lapis quadratus quacunque parte volvatur manet immobilis et firmus, sicut de Beato Iob legimus [367] et Paulus ait *Philippensibus: Et nunc magnificabitur in me Christus sive per vitam sive per mortem.* [368] Sic Ioannes.

Iusti autem animus paradisus, nam inter prospera et adversa non perturbatur.

Propterea a Christo hodie laudatur de animi firma constantia et immobilitate, quod non sit arundo vento agitata. Erat Ioannes sicut strenuus ille Aod, de quo legimus quod bidexter erat et manu sinistra sicut dextera utebatur et sinistra manu ancipitem gladium tenens occidit Eglon regem Mohabitarum populumque suum ab illius tyrannide liberavit. [369] Sic ait Apostolus: *Per arma iusti-*

Propterea hodie Ioannes a Christo laudatur de animi firma constantia.

364) Prv 5, 22. 365) Mc 6, 20. 366) Cf. Lc 3, 15; Io 1, 19-20. 367) Cf. Iob 2, 10. 368) 1, 20. Vulg.: *Magnificabitur Christus in corpore meo, etc.* 369) Cf. Idc 3, 15 sqq.

*tiae a dextris et a sinistris . . . per infamiam et bonam famam.* [370] Erat Ioannes sicut aurum optimum, quod sive in ignem sive in aquam mittatur, semper idem est eiusdemque valoris; erat sicut adamas optimus, ad cuius veritatem ostendendam, quod non sit adulterinus, permittit margaritarius eum super incudem multis malleorum ictibus probari, scit enim quod rumpi non potest, sicut vitreus lapis facile rumpitur frangiturque. Erat Ioannes in carcere felix, quoniam sicut artifex vestiarius volens ex panno vestem efficere, forficibus scindit et dividit pannum, sed dum dividit cogitat quomodo iterum simul suendo, divisas partes reuniat vestemque optime componat; ita Deus dum suos affligit, cogitat quomodo eos consoletur: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra;* [371] *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* [372] Sic hodie in sacrosancto Evangelio legimus et vincula Ioannis et laudes, et humiliationem et exaltationem, tribulationem et consolationem.

XXIII. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Hae erant cogitationes, meditationes et desideria Ioannis in vinculis; nihil aliud nisi Christum cogitabat nec desiderabat, nisi ut Christus ab omnibus agnosceretur ut credentes salvi fierent.

**Ioannes nonnisi Christi gloriam quaerebat.**

*Ite, renunciate Ioanni quae audistis et vidistis: caeci vident,* etc. [373] In hac autem responsione elucet Christi sapientia, iudicium et prudentia, elucet modestia et humilitas et tandem caritas exemplaris bonitasque divina et virtus. Sapientia quidem, quoniam hac responsione alludit ad tria vaticinia quae de Messia erant, ut supra diximus. [374] Sic sapienter respondit quaesito non manifeste dicens: Ego sum, ne diceretur ei: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum,* [375] sed, multis miraculis operatis, voluit operibus potius et factis respondere quam verbis et voce, quasi dicat: a fructibus cognoscenda est arbor, a radiis sol, ab effectibus causa. Sicut enim astrum efficiens diem clarum necesse est ut sit sol, quoniam ipse solus praestare hoc potest, sic, inquit, si facio opera, quae solus Messias facturus erat per Scripturas, ego igitur Messias verus.

**In hac responsione elucet Christi sapientia.**

370) 2 Cor 6, 7-8. 371) Ibid. 1, 5. 372) Ibid vrr. 3-4. 373) Mt 11, 4-5; Lc 7, 22. Vulg.: *Euntes renunciate*, etc. 374) Cf. supra pag. 211-212. 375) Io 8, 13.

prudentia,

Elucet etiam Christi iudicium et prudentia; nam discipulos Ioannis, qui non satis bono animo affecti erant in Christum, sed invidia quadam stimulati pro honore Ioannis, non aequis auribus audiebant famam miraculorum Christi, hos Christus instituit miraculorum suorum praedicatores: *Ite, renunciate Ioanni quae audistis et vidistis,* ut sicut Paulum fecit ex persecutore praedicatorem suae fidei,[376] sic etiam fecit hisce Ioannis discipulis. Nulla enim poterat oriri suspicio, quod ex affectione loquerentur, sicut si Christi discipuli haec praedicarent. Hanc ob causam nec ipse Ioannes voluit una cum Apostolis Christum sequi, ut absque ulla suspicione liberius posset Christum praedicare; hanc ob causam Deus in mundo relinquit Iudaeos inimicos Christi, ut sint testimonium veritatis fidei christianae, ne dicant infideles conficta esse a nobis vaticin a Prophetarum de Christo et eius Ecclesia.

modestia et humilitas,

Elucet etiam Christi modestia et humilitas; non enim dicit: Caecos illumino, etc., sicut Nabuchodonosor arroganter loquebatur dicens: *Nonne haec est Babylon ... quam ... aedificavi?*[377] sed modestissime loquitur: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*[378] Non ostentat Dominus opera sua bona, nec seipsum magnificat, sed modestissime loquitur: *Caeci vident... surdi audiunt.*

caritas erga Ioannem

Elucet Christi caritas exemplaris primo erga Ioannem, suscipit enim benigne nuncios et legatos ipsius, nec erubescit aut dedignatur propterea quod Ioannes erat in vinculis carceratus, eosque quantocius expeditos remittit honorifice ad eum, statim dedit eis audientiam eosque expedivit: *Ite, renunciate Ioanni*, etc.

pietas et misericordia in miseros corpore et spiritu,

Elucet etiam Christi caritas et misericordia erga miseros, caecos, claudos, surdos, leprosos et mortuos; haec enim omnia sunt opera caritatis et misericordiae, non tantum corporalis, sed etiam spiritualis, nam: *Pauperes evangelizantur,* idest pauperibus praedicatur Evangelium et regnum coelorum. Sic totum hominem sanum facit[379] Christus ab omni infirmitate tum corporali tum spirituali. Videtur hodie Christus sicut pictor excellentissimus et diligentissimus, cui a principe datur imago a praestantissimo auctore facta, sed vetustate tota veluti confecta, ita ut nec oculi nec aures discernantur, totaque

376) Cf. Act 9, 1 sqq. 377) Dn 4, 27. 378) Mt 11, 29. 379) Cf. Io 7, 23.

veluti corrosa sit. Homo imago est Dei, sed vetustate peccati confectus, factus caecus, surdus, claudus, leprosus et mortuus; Christus autem hodie totam hanc renovat imaginem: *Caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi*, etc.

**omnibus enim benefacit, miracula operando,**

Videtur hodie Christus sicut medicus, qui simul sit physicus, chirurgus et pharmacopola, quales antiquitus erant medici, qui ex caritate suscepta cura magni alicuius hospitalis incurabilium infirmorum, positus in officina aromataria, omnibus infirmis det salutaria remedia omnesque infirmos medeatur et curet tanquam amantissimus pater carissimos filios. Sic Christus omnes curat: *Caeci vident . . . surdi audiunt*, etc. Videtur sicut thesaurarius et eleemosynarius magni regis, qui tempore magnae famis det non solum ministris suis, sed etiam omnibus pauperibus et egenis partes panis, vini, eduliorum et etiam denariorum ad necessaria comparanda, sicut Ioseph dispensabat frumentarios thesauros Pharaonis in Aegypto.[380] Mirabile esset videre regium illum dispensatorem toto mane occupatum, ut det his quidem panem, illis autem vinum, aliis edulia, aliis nummos et quaecunque necessaria sunt. Sic Christus hodie, tanquam maiordomus et dispensator Dei, dat omnibus et singulis quaecunque illis opus sunt: caecis visum, surdis auditum, infirmis sanitatem, mortuis vitam, pauperibus coelestes divitias. Videtur sicut Summi Pontificis Datarius, qui ordinem habeat a Pontifice ut tempore magnae alicuius solemnitatis et publicae laetitiae det atque dispenset omnia beneficia, parva et magna, etiam canonicatus et episcopatus abbatiasque, absque ulla pensione gratisque Bullas omnes expediat. Sic Christus hodie gratis multa dispensat beneficia: *Caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt.*

**ex infinita sua bonitate et potentia.**

Sic elucet in Christo mille modis divinitas, elucet divina tum bonitas tum virtus, qua potuit et voluit talia tantaque miracula operari in salutem pauperum, a quibus nihil sperare poterat, sed ex mera caritate et pietate operatus est omnia haec divinae misericordiae opera.

XXIV. Declaravit se Christus hodie verum esse Messiam et Christum Domini, non voce sed opere, non verbis sed factis. Sic verus

380) Cf. Gn 41, 50 sqq.

Sicut Christus ex operibus ostendit se verum esse Messiam,

christianus ab operibus cognoscendus est, sic enim ait Christus: *A fructibus eorum cognoscetis eos,* [381] maxime vero ab operibus misericordiae et caritatis: *In hoc cognoscent homines quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem;* [382] *Qui... viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?... Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* [383]

sic verus christianus ab operibus cognoscendus est,

Hoc igitur satagendum nobis est, fratres, ut factis et operibus ostendamus nos vere christianos esse, similes Christo. Ille verus est christianus qui a Christo renovatus et reformatus est, suscitatus a morte, mundatus a lepra, rectificatus pedibus, auditu donatus, a caecitate illuminatus; nam haec sunt opera quae Christus in spiritu operatus est in omnibus fidelibus suis, maxime vero id quod tandem subiunxit dicens: *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me,* [384] hoc est qui non impegerit in petram scandali et lapidem offensionis. [385]

maxime vero ab humilitate.

Est autem petra scandali, in quam impingitur facile in via, petra quae vilis habetur, humili loco posita, nec valde magna, nam nemo in columnam vel obeliscum impingit. Impegerunt Iudaei in hanc petram, Christum enim propter humilitatem et paupertatem contempserunt; nam Christum tanquam summum regem expectabant, Davide et Salomone multo gloriosiorem; et si in potentia et maiestate Christus venisset, suscepissent utique eum, temporalia bona mundanamque gloriam sperantes ab eo. Scandalizati sunt ergo in Christo propter avaritiam et superbiam sic arguentes: Messias futurus est rex gloriosissimus, ditissimus et potentissimus; hic homo pauper et humilis est; ergo non est ipse Messias. Dicit autem se Messiam esse; ergo id sibi arrogat; falsus ergo Messias est. Sic scandalizabantur in eo credentes eum esse falsum Messiam propter humilitatem et paupertatem ipsius, quoniam erat veluti petra scandali in via quae nihili reputatur. Avaritia ergo et superbia in causa fuerunt perditionis Iudaeorum ut in Christum non crederent et ne salutem consequerentur et vitam: *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* Ergo quicunque scandalizatus fuerit, beatus non erit, quoniam non credet.

Hoc ignorantes Iudaei in Christo scandalizabantur, quia humilem et pauperem eum videbant.

381) Mt 7, 20. Vulg.: *Ex fructibus,* etc. 382) Io 13, 35. Vulg.: *Omnes quia discipuli mei estis,* etc. 383) 1 Io 3, 17-18. Vulg.: *Manet in eo?* etc. 384) Mt 11, 6; Lc 7, 23. 385) Cf. 1 Petr 2, 8.

XXV. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos*, etc. Mundus hic homini iusto carcer est, in quo tenetur in vinculis, hinc P a u l u s ait: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* [386] Patria paradisi libertas est iustorum, quilibet autem iustus Ioannes est, quod interpretatur g r a t i a , nam gratia est quae iustificat et sanctificat animam hominemque Deo gratum reddit. Cum autem non posset Ioannes ad Christum ire, misit duos de discipulis suis qui liberi erant. Iustus quilibet liberum habet intellectum et affectum; hos potest inviare ad Christum: intellectum ad cognoscendum Christum, ut perficiatur maiori fide et cognitione divinitatis; affectum ad diligendum, ut perficiatur maiori caritate et amore divinae bonitatis. Hinc ait Christus: *Ite, renunciate Ioanni quae audistis et vidistis.* Oculus symbolum est intellectus in anima et auris voluntatis. Et in Christi responsione duo elucent: sapientia pascens intellectum per allusionem ad vaticinia, et bonitas, quae cibus est voluntatis, nam omnia opera haec: *Caeci vident, claudi ambulant*, etc., opera sunt divinae bonitatis. Sic consolatur Ioannes in carcere, homo iustus in mundo, qui etiam Ioseph est carceratus in Aegypto et Daniel in lacu leonum.

**Duo discipuli Ioannis intellectum et affectum designant, qui ad Christum mitti debent.**

Mirabile dictu! in hodierno Evangelio prius videmus Ioannem ab Herode rege humiliatum et tanquam reum et scelerosum in vincula coniectum et postea a Christo Rege regum tanquam Angelum super sidera exaltatum: *Inter natos mulierum non surrexit maior propheta; hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum*, etc. [387] Hoc videtur esse ingenium Dei cum Sanctis suis in hoc mundo: humiliat eos in terra ut exaltet in coelo, affligit eos in praesenti vita ut beatos in sempiternum constituat in futura. At impius Herodes, qui tunc rex gloriosus erat, nunc ubinam est? Ubi nunc ipsius gloria? ubi thesauri? ubi sceptrum? ubi corona? ubi regnum? Ehu miserum! cum divite epulone sepultus est in inferno. Ubi nunc Ioannes? In sinu Abrahami summi patris [a] Deo consolatur et cum Angelis perpetua gloria et felicitate fruitur in coelesti paradiso, veluti alter Lazarus mendicus. O felices et ter quaterque beatos, qui ex corde serviunt Deo in praesenti vita!

**Tale est ingenium Dei erga iustos: humiliat eos in terra ut exaltet in coelo.**

386) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens dissolvi*, etc. 387) Mt 11, 10-11. Vulg.: *Non surrexit inter natos mulierum maior*, etc. Ordine inverso affert hos vrr.

Ioannes in vincula coniectus fuit propter iustitiam.

Sed quam ob causam Ioannes coniectus fuit in vincula? Patravit ne aliquod delictum? Minime, nam a Christo dicitur *Angelus Domini* ob nimiam sanctitatem. Praedicavit forte aliquid contra legem et Prophetas, cum non studuisset in scholis Pharisaeorum et scribarum? Minime, nam a Christo dicitur Propheta et plus quam propheta, qui loquebatur ex afflatu Spiritus Sancti. An forte fastidiens desertum et appetens vitae commoda, venit ad curiam Herodis ut eius praedicator esset ordinarius et tandem in odium illius cadens vinculatus fuit? Nequaquam: *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* [388] Vel forte ad captandam auram popularem ex animi levitate aliquid contra regem locutus est? Minime, non erat Ioannes arundo vento agitata. Coniectus fuit in vincula propter veritatem, patiens persecutionem propter iustitiam. [389] Odiebat Herodes Ioannem, quia arguebat eum, [390] odio habebat eum, quia animam suam oderat, nam: *Qui... diligit iniquitatem, odit animam suam.* [391] Diligebat magis Herodiadem quam animam suam. Sic ait Propheta quod *fornicatio... vinum* et mulieres *auferunt cor.* [392] Amiserat iudicium rationis, sicut Salomon. [393] Sed o quot nunc sunt Herodes, qui diligunt Herodiadem et persequuntur Ioannem, qui carnem diligunt et spiritum persequuntur!

388) Ibid. vr. 8. 389) Cf. ibid. 5, 10. 390) Cf. ibid. 14, 3-4; Mc 6, 17-19; Lc 3, 19-20. 391) Ps 10, 6. 392) Os 4, 11. 393) Cf. 3 Rg 11, 1-5.

# DOMINICA TERTIA

*Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad Ioannem ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est*, etc. [1]

I. Est [2] quidem aurichalcum auro persimile, stamnum argento, vitrum aut crystallum adamanti, aer coelo, luna soli, Angelus Deo; nec tamen vere aurichalcum est aurum, stamnum plumbumve ar-

**Interrogatur Ioannes an ipse sit Messias,**

1) Pericope huius diei Io 1, 19-28. Cf. Missale Rom. 2) In margine haec adiecta fuerunt: « Quoniam supremum tribunal totius synagogae Ierosolymis erat, ubi summus pontifex residebat cum principibus sacerdotum et sanhedrin septuaginta senioribus, totius synagogae ordinariis iudicibus, sicut nunc Romae est supremum tribunal Ecclesiae Christi, ubi residet Papa cum Cardinalibus, qui sunt Ecclesiae Principes cardinesque supremi, existimo igitur causam huius legationis fuisse, quoniam ad ipsos spectabat regimen totius synagogae populique totius. Et sicut nunc absque Episcoporum licentia et auctoritate Superiorum nemo praedicare potest, ita nec tunc quidem. Hinc legimus quod, praedicante Christo in templo, *accesserunt ad eum... principes sacerdotum et scribae cum senioribus... dicentes... In qua potestate haec facis? Et quis dedit tibi hanc potestatem?* Ioannes missus a Deo immediate ad praedicandum tanquam Angelus Domini, non se praesentavit synagogae ut peteret ab hominibus auctoritatem praedicandi; quare timentes principes novitatem aliquam in populo aut tumultum, miserunt iudices delegatos ac veluti commissarios, *ut interrogarent*, idest ut constituerent, et examinarent eum: *Tu quis es?* Hanc enim causam ipsimet legati innuunt cum, post diligentem interrogationem et examen, dicunt: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* idest: Qua auctoritate hoc facis? Non enim, cum universus populus magnam habens de Ioanne existimationem crederet eum esse prophetam et multi etiam putarent Messiam eum esse, ipsi principes talem de Ioanne conceperant opinionem; hinc interrogati a Christo an baptismus Ioannis esset de coelo, dixerunt se nescire ne, si id affirmassent, diceretur eis: *Quare ergo non credidistis ei?* Hinc Lucas 7 capite ait quod *omnis populus... et publicani iustificaverunt Deum baptizati baptismo Ioannis, Pharisaei autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsis non baptizati ab eo;* sed ii forte dicebant quod Ioannes daemonium habebat, sicut Dominus ait: *Venit... Ioannes... non manducans panem neque bibens vinum, et dicitis: Daemonium habet.* Et Ioannes quidem legatos hos tanquam superiores suos hodie reveritus est; nam cum alias videns Pharisaeos et scribas, vitia eorum libere increparet dicens: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* hodie tamen, etiam increpatus, reverenter loquitur tanquam suis iudicibus. In hoc ergo iudiciali examine Ioannes hodie probatus est tanquam aurum in fornace, sub malleis et incude et ad lydium lapidem, *et inven-*

talis enim populo videbatur.

gentum, vitrum adamas,[3] aer coelum, luna sol, nec Angelus Deus; sed sunt haec illis multo inferiora. Ita plane Ioannes Baptista similis Christo fuit, unde existimabat populus *ne forte ipse esset Christus ;*[4] ipse vero agnoscens se non aurum, sed aurichalcum esse, *confessus est et non negavit et confessus est : Quia non sum ego Christus ;*[5] sed fatetur se Christo adeo inferiorem, ut nec dignum se esse dicat minimum Christi servum: *Cuius ego non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamentorum.*[6] Sicut lucerna ardens et fax accensa in nocte alto loco posita, in aperto aere, videtur a longe aspicientibus splendida coeli stella, sic Ioannes, qui a Christo dicitur *lucerna ardens et lucens,*[7] in alto positus sanctitatis gradu, videbatur stella illa esse de qua scriptum est: *Orietur stella ex Iacob,*[8] et item: *Radix et genus David, stella splendida et matutina.*[9] Hinc hodie interrogatur an ipse sit Christus. Sed ipse, lucernam se esse sciens non stellam, *confessus est et non negavit et confessus est : Quia non sum ego Christus.*

Ioannes simillimus Christo fuit;

II. *Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad Ioannem ut interrogarent eum : Tu quis es ?* an ipse esset Christus vel Elias vel propheta. Fuit Ioannes Christo valde similis, unde cum Christum Ioannemque contemplor, videre mihi videor duos cherubim quos Moyses fecit in tabernaculo,[10] et duos illos quos Salomon fecit in templo Domini sibi simillimos;[11] videre duos illos onychinos lapides in humeris summi pontificis,[12] videre duas illas aeneas columnas sibi simillimas quas Salomon posuit in atrio templi, unam a dextris et al-

*tus est sine macula*, omnino irreprehensibilis, coram suis arbitris et severis censoribus confessus veritatem stetitque in iudicio hoc, nec sua causa cecidit.

Nos quoque ante divinae iustitiae tribunal vocandi sumus et interrogandi: *Tu quis es ?* Interrogatus fuit Ioannes an esset Messias, vel si existimaret se esse Messiam, idest Filium Dei, verum Deum. Ita, mirabile dictu est, quisque nostrum interrogandus est an sit Deus; nam homo aliquando eo dementiae devenit, ut se quasi Deum esse existimet, sicut de rege Tyri apud Ezechielem legimus: *Dixisti* quia *Deus ego sum... et dedisti cor tuum quasi cor Dei.* Respondebit quisque: *Non sum.* Tunc dicetur: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus ?* si tu non es Deus? Quomodo vis ut omnes te diligant, laudent, honorent? ut omnes tibi serviant? ut pro tua voluntate regatur mundus? Quomodo nullis legibus, nullius imperio vis esse subiectus? Quomodo vis ut etiam Deus tibi morem gerat et tuam faciat voluntatem? Et, ut uno dicam verbo, coram severissimo divinae iustitiae tribunali totius vitae nostrae omniumque actionum nostrarum reddenda nobis est ratio, etiam bonarum actionum, qua mente, quave intentione sint factae: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo; Redde rationem villicationis tuae* ». 3) Ms.: *Plumbumve argento, vitrum adamanti.* 4) Lc 3, 15. 5) Io 1, 20. 6) Ibid. vr. 27. Vulg.: *Calceamenti.* 7) Ibid. 5, 35. 8) Nm 24, 17. 9) Apc 22, 16. 10) Cf. Ex 37, 7-9. 11) Cf. 3 Rg 6, 23-28. 12) Cf. Ex 39, 6-7.

teram a sinistris maris aenei, quarum unam vocavit *Iachin* et alteram *Bohaz*, [13] templum enim illud Ecclesiam typice praefigurabat, atrium autem initium primordiaque nascentis ac primitivae Ecclesiae; videre duo luminaria magna [14] in amplo isto Ecclesiae coelo, videre duos Davidis filios, Absalomum et Adoniam, pulcherrimos ac sibi simillimos, [15] duos dilectissimos Iacobi filios ex Rachele pulcherrima ac dilectissima, [16] duos filios Ioseph ambos a Iacob benedictos, minorem tamen praelatum maiori. [17] Sicut enim Deus fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam, [18] ita Christus Ioannem sibi similem esse voluit: Christus homo, Ioannes homo; Christus praedestinatus et electus, Ioannes similiter; Christus sanctus, Ioannes sanctus; Christus conceptus miraculo a Virgine, nunciatus ab Angelo, natus miraculo, Ioannes similiter nunciatus ab Angelo, conceptus miraculo a sterili, natus mirabiliter; [19] Christus in utero plenus Spiritu Sancto, ante sanctus quam natus, similiter Ioannes; Christus propheta, Ioannes propheta; Christus plus quam propheta, Ioannes plus quam propheta; Christus Angelus, Ioannes Angelus. [20] Quare videbatur Ioannes Christo adeo similis, ut Christus putaretur, sicut parelius soli simillimus sol existimatur, cum non sit nisi imago solis in speculari nube formata.

**hodie autem interrogatur an ipse sit Messias, omnes enim sciebant iam tempus appropinquasse adventus Messiae.**

Hinc hodie parelius iste interrogatur an ipse sit sol: *Tu quis es?* Messias es tu? Cum, inquiunt, o Ioannes maxime venerande, principes senatusque et populus Iudaeorum sciant ex Lege et Prophetis appropinquasse iam tempus adventus Messiae, quoniam iam sceptrum de domo Iuda ablatum est, [21] iam septuaginta Danielis hebdomades in fine sunt, [22] iam sexcenti anni praefigurati in ם clauso Isaiae praeterierunt, [23] existimantes Deum veracem esse in promissionibus suis et quod sicut, elapso tempore quadringentorum

13) 3 Rg 7, 15-23. Vulg.: *Booz*. *Bohaz* ex hebraico. 14) Cf. Gn 1, 16-18. 15) Cf. 2 Rg 14, 25; 3 Rg 1, 6. 16) Cf. Gn 35, 24. 17) Cf. ibid. 48, 8-20. 18) Cf. ibid. 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 19) Cf. Mt 1, 18 sqq.; Lc 1, 5 sqq. 20) Cf. Mt 11, 9-10; Lc 7, 26-27. 21) Cf. Gn 49, 10. 22) Cf. 9, 22 sqq. 23) Alludit ad illud Is 9, 7 (hebr. vr. 6): לְמַרְבֵּה הַמִּשְׂרָה: *Ad multiplicandum imperium*. Antiquitus enim vox illa hebraica cum ם clauso scribebatur: לְםַרְבֵּה, ut in *Biblia Rabbinica Masoretica*, de qua cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, *Praefatio*, pag. XIV, cum deberet esse apertum. Ex hoc autem aliqui significari putant perpetuam virginitatem Deiparae Matris Messiae; alii quod per quattuor mundi partes dilatandum esset regnum Christi; tertii ם quadratum arithmetice accipiunt, aequivalet enim numero sexcentesimo, ut significet annos sexcentos

annorum, misit Moysen ad liberandum populum a servitute Pharaonis,[24] sicut Abrahamo promiserat,[25] elapso tempore septuaginta annorum misit Cyrum ad liberandum Iudaeos patres nostros a babylonica captivitate, sicut per Isaiam[26] et Ieremiam[27] praedixerat, sic nunc, decursis[28] septuaginta hebdomadibus Danielis, ad salvandum nos iuxta promissa missurus sit. Quare videntes te admiranda quadam ac superhumana sanctitate conspicuum populumque existimantem ac cogitantes omnes dicentesque te esse Messiam, miserunt nos ad te cupientes de veritate certiores fieri. Nam etsi aliquando vox populi vox Dei,[29] in re tamen tanti momenti certiores fieri volunt.

Multa indicia Messiae Ioannes in seipso exhibebat,

Quamvis autem sciant Messiam futurum de tribu Iuda et de domo David, nasciturum in Bethlehem et facturum admiranda signa atque portenta, ut Scripturae Divinae referunt, *Genesi* 49,[30] Ieremia 23[31] et 32,[32] Michaea 5[33] et Isaia 35,[34] te autem esse de tribu Levi, filium Zachariae sacerdotis, natum in montanis Iudaeae[35] et nullum adhuc miraculum operatum esse: *Ioannes* enim *signum fecit nullum*[36] – unde haec obstitere ne omnes simul venirent ad recipiendum te adorandumque tanquam verum Messiam, ut populus existimat, – verum enimvero, cum etiam fide dignorum testium hominumque veracium sciant te Angelo nuntiante conceptum, unde pater tuus obmutuit, te miraculo ex sterili vetulaque muliere natum patri tuo restituisse loquelam ad exprimendum nomen tuum, unde omnes admiratione pleni dicebant: *Quis putas puer iste erit ?*[37] videntes te ab infantia angelicam potius quam humanam duxisse vitam asperrimam in victu et vestitu supra humanas vires, moventur vehementer ut credant te Messiam esse, cum prophetico spiritu plenum videant populum baptizantem et praedicantem, ad convertendum omnes ad Deum. Haec autem duo sunt Messiae praecipua opera;

praesertim baptismum et praedicationem.

quos putant fluxisse ab hac prophetia usque ad adventum Christi. Hoc postremo sensu accipitur hic a S. Auctore; in *Quadragesimali Secundo* vero aliter, cf. part. 3, pag. 207. Sed haec sunt cabalistarum inventa. Cf. Galatinus *De Arcanis Catholicae Veritatis*, lib. 7, cp. 13-14, pag. 523-525. 24) Cf. Ex 3, 1 sqq.; 12, 40-41. 25) Cf. Gn 15, 13-16.
26) Cf. 45, 1-13. 27) Cf. 29, 10. 28) Ms.: *Decursi*. 29) Dictum antiquum ignoti auctoris. Invenitur apud Alcuinum Epist. 166 *Capitulare Admonitionis ad eundem Carolum*, § 9, (P. L. 100, 438). 30) Cf. vr. 10. 31) Cf. vrr. 5-6.
32) Cf. vrr. 37 sqq. 33) Cf. vrr. 2-5. 34) Cf. vrr. 1 sqq. 35) Cf. Lc 1, 5 sqq.
36) Io 10, 41. 37) Lc 1, 66.

praedicatio enim praedicta fuit Isaia 11[38] et 61,[39] baptismum autem Ezechiele 36;[40] et si ex tribu levitica natus es, sciunt leviticam tribum una cum iudaica a Davidis tempore fuisse permixtam,[41] quare forte ex materna origine arbitrantur te forte esse ex davidica stirpe, et si non in Bethlehem natus es, sufficit quod sis natus in finibus eius; quod si nulla adhuc miracula edidisse te audiverunt, arbitrantur tamen te in posterum innumera editurum, vel posse, cum opus fuerit, operari. Scientes igitur te talem ac tantum esse virumque summae fidei existimantes summaeque humilitatis, qua forte nolis teipsum mundo manifestare, miserunt nos ut rogemus te et interrogemus an tu sis verus Messias in Lege et Prophetis promissus.

III. *Et confessus est et non negavit et confessus est: Quia non sum ego Christus.* Sciebat Ioannes quod permittere se Messiam teneri, erat rapinam arbitrari se aequalem esse Deo,[42] velle se Deo aequalem facere et Deo aequalis haberi; hinc apertissime ac constantissimis verbis fatetur se Christum non esse, summa plenus animi angustia, non secus ac Paulus et Barnabas Lystris, videntes quod turbae voluerunt eos tanquam deos adorare eisque incensum et sacrificia litare, dicentes voce magna: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*, vocantes *Barnabam Iovem, Paulum vero Mercurium*, eo quod edito miraculo infirmum pedibus hominem Paulus divina virtute sanaverit verbo dicens: *Surge super pedes tuos rectus;* videntes, inquam, haec, summa repleti angustia animi, scissis vestibus exilierunt in medium dicentes: *Viri, quid haec facitis? Et nos mortales sumus similes vobis homines;*[43] sic, inquam, Ioannes, audiens se tanquam Messiam haberi, fuit animi angustia plenus ne populus idololatriae peccatum

Ioannes autem apertissime et constantissime fatetur se Christum non esse,

renuens falsam existimationem.

38) Cf. vrr. 1 sqq. 39) Cf. vrr. 1 sqq. 40) Cf. vrr. 25 sqq. 41) Legitur in S. Scriptura Davidem sacerdotes distribuisse in quattuor et viginti classes ac unicuique suam levitarum classem assignasse, cf. 1 Par 24, 1 sqq. Ex tunc ergo quaedam permixtio, saltem quoad habitationem, incepit inter duas tribus istas, templum enim in Ierusalem, in media tribu Iuda, aedificatum erat. Postea vero, tempore Roboam regis Iuda, sacerdotes et levitae, cum a Ieroboam abiecti fuissent ne sacerdotio fungerentur, de cunctis sedibus suis in Israel ad Ierusalem et Iudam transierunt, cf. 2 Par 11, 13-14; et sic permixtio inter Levi et Iudam stabiliter constituta fuit. Cum autem fas esset levitis uxores ducere de quacunque tribu, auctores opinantur Elisabeth, matrem Ioannis, vel ex parte patris vel ex parte matris originem duxisse de familia David. Cf. Aug. Calmet *Comment. in Lucam*, cp. 1.

42) Cf. Phil 2, 6. 43) Act 14, 9-14. Ordine inverso affert hos vrr.

committeret, credens ipsum esse Messiam et tanquam Messiam colens; nam utique idololatria fuisset. Renuit ergo Ioannes falsam hanc existimationem eamque tanquam serpentem venenatissimum refugit, cum ad instar serpentis foris quidem pulcra esset, intus autem veneno plena; ad instar cibi foris quidem melliti, intus autem venenati; ad instar viae virentibus quidem herbulis floribusque odoratissimis plenae, sed in qua maxima praecipitia insidiosa lateant.

**Maxima certe fuit haec tentatio, sed invictissime eam Ioannes superavit,**

Fuit hodie Ioannes maxima tentatione probatus, variis enim modis Deus electos suos tentat, sicut tentavit Abraham, [44] Ioseph, [45] Iob, [46] Moysen et Aaron, [47] David [48] et Ezechiam. [49] Probare enim quodammodo voluit hodie Deus an Ioannes Christum magis an seipsum suumque honorem reputationemque diligeret, sicut probavit Abraham in Isaac. Passus est hodie Ioannes [49a] tentationem similem tentationi Ioseph cum requisitus fuit a sua domina ut secum dormire vellet, ipse vero pallium potius reliquit in manu illius quam illi unquam consentiret, unde postea multa passus fuit; ita Ioannes hodie requiritur a synagoga de spirituali adulterio, nam idololatria *fornicatio* et *adulterium* dicitur in Divinis Scripturis; [50] ipse vero etiam pallium reliquit, dum nec propheta haberi voluit, cum vere esset plus quam propheta, quo magis a se Messiae opinionem abdicaret. Unde ab his legatis obiurgatus fuit, dimisso hoc pallio: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* [51]

**dum etiam sancti in minori tentatione interdum ceciderunt.**

Passus fuit tentationem similem tentationi Ezechiae, qui cum sanctissimus esset rex, in cuius gratiam Deus per Angelum una nocte destruxit universum exercitum Sennacherib [52] et solem in coelo per decem horas retrocedere contra naturam ab occidente in orientem fecit, qui cum nihil unquam neque in prosperis neque in adversis peccasset, *attamen in legatione principum Babylonis*, inquit Divina Scriptura *2 Paralipomenon* 32, *qui missi fuerant... ut interrogarent de portento quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus ut tentaretur et nota fierent omnia quae erant in corde eius,* [53] siquidem potentissimus rex Babylonis, viso portento retrocessionis solis in coelo

44) Cf. Gn 22, 1-2. 45) Cf. ibid. 39, 1 sqq. 46 Cf. Iob 1, 13-2, 1 sqq. 47) Cf. Nm 20, 2-13. 48) Cf. 1 Rg 19, 1-20, 1 sqq. 49) Cf. 4 Rg 20, 1-11 49a) Ms.: *Christus*, loco: *Ioannes*. 50) Cf. Is 1, 21; Ier 2, 20; 13, 27; Ez 16, 1 sqq.; 23, 37-49. 51) Io 1, 25. 52) Cf. 4 Rg 19, 35-36; 2 Par 32, 21-22. 53) Vr. 31.

et audito quod Deus in gratiam Ezechiae miraculum illud operatus fuerat, misit ad eum honoris causa legatos principes Babylonis cum magnis muneribus. Laetatus est autem Ezechias in adventu eorum nonnihilque in superbiam elatus fuit ob tantum honorem sibi a tali tantoque rege exhibitum, unde legatis illis ostendit omnes thesauros domus suae. [54] Quare in hac tentatione defecit Ezechias, unde legimus: *Elevatum est cor eius et facta est contra eum ira.* [55]

Tanto honore sibi delato, nihil elevatus fuit, maiorem se ostendens Adamo ipsisque Angelis,

At Ioannes simili tentatione hodie probatus, nihil tamen deliquit. Nihil enim tanto honore delato sibi hodie elatus fuit, unde vere eum Dominus dixit non esse arundinem vento agitatam; [56] hodie enim neque laudibus neque obiurgatione motus fuit sive ad dexteram sive ad sinistram; imo vere ostenditur hodie Ioannes uti Dominus ait plus quam prophetam ac Angelum esse. In hac enim tentatione Ioannes probatus ac inventus est maior Adamo in paradiso; [57] ille enim divinos honores, tentante diabolo, appetiit, iste oblatos hodie renuit; maior peccantibus angelis in paradiso, qui superbia et ambitione moti, Deo similes esse voluerunt appetentes honorem divinae aequalitatis, [58] quae Christo data est. Ioannes vero nec appetiit nec acceptavit, sed *confessus est et non negavit . . . quia non sum ego Christus.*

imo summa usus diligentia fuit ad amovendam a se falsam hanc populi existimationem,

Tentatus fuit hodie Ioannes sicut Christus in deserto a satana ostendente ei *omnia regna mundi et gloriam eorum* dicendo: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Sed abnuit Christus dicens: *Vade, satana, scriptum est . . . Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* [59] Sic Ioanni hodie offertur universum regnum Iudaeorum, si vel unum tantum dixisset mendacium. Sed *confessus est et non negavit.* Summa usus Ioannes diligentia fuit ad amovendam a se falsam hanc populi existimationem, non secus ac quivis homo, qui sui honoris ac famae cum primis habeat rationem, studet purgare seipsum a magna quadam infamia, falsa imputatione et iniquis calumniis, et sicut si missus a rege legatus ad aliquam rempublicam veniat in opinionem quod ipse sit rex eo quod regi sit valde similis corporis forma, vultu et moribus, si ex parte senatus interrogetur a nobilibus viris an ipse sit rex, nullum non movebit lapidem, si fidelis ac verax sit homo, ad abdicandam a se hanc existimationem, ne

vere humilem se ostendens.

54) Cf. 4 Rg 20, 12-13. 55) 2 Par 32, 25. 56) Cf. Mt 11, 7; Lc 7, 24.
57) Cf. Gn 3, 6. 58) Cf. Is 14, 12-15; Ez 28, 12-17. 59) Mt 4, 8-10.

si forte illi hac ducti existimatione, illi et nomen regium et regios exhiberent honores, ipse ob id regis ac domini sui gratiam favoremque amitteret, quae illi super omnem thesaurum carissima est aliudque nihil cupit; ita hodie Ioannes. Hinc tentatione hac nihili commotus est, sed tanquam immobilis columna fundata supra solidissimum humilitatis profundissimae fundamentum[60] mansit; summam enim ostendit hodie humilitatem Ioannes.

Quattuor sunt gradus humilitatis.

IV. Cuius quidem virtutis quattuor mihi videntur gradus esse: primus, honores non ambire ut Lucifer et Adam, non quaerere sicut Abimelech principatum,[61] sicut Absalom[62] et Adonias,[63] sicut filii Zebedaei;[64] secundus, oblatos renuere sicut ficus, oliva et vitis in parabola Ioatham,[65] sic fecit Moyses qui renuit principatum sibi a Deo oblatum;[66] tertius, habitos etiam honores renuere, renunciare praesentibus dignitatibus, vel saltem affectu parvipendere, sicut Apostoli omnia reliquerunt;[67] quartus, desiderare propter Deum ignominias pati, amare nesciri et pro nihilo reputari.[68] Sic fuit Ioannes, qui cum summus esset propheta, maior Elia, hodie non solum noluit Christus haberi, sed neque Elias, neque propheta, seipsum adeo hodie exinanivit, quod obiurgationi locum dedit: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?*

In quibus perfectissimum Ioannes se ostendit.

Ostendit se hodie Ioannes Christo simillimum. Christus ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,*[69] plane humilis corde, quoniam, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus ... esse se aequalem Deo ... semetipsum exinanivit* et humiliavit seipsum ad mortem usque crucis.[70] Sic Ioannes hodie humiliat seipsum, dum non solum negat se Christum[71] esse, verum etiam interrogatus: *Elias es tu?* respondit: *Non sum,*[72] cum tamen Dominus de eo dixerit quod ipse esset Elias, non carne sed spiritu:[73] *Ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae;*[74] et adhuc interrogatus: *Propheta es tu?*

60) Ms.: *Humilitatis* repetitur loco: *Fundamentum*. 61) Cf. Idc 9, 1-2. 62) Cf. 2 Rg 15, 1 sqq. 63) Cf. 3 Rg 1, 5-7. 64) Cf. Mt 20, 20-21; Mc 10, 35-37. 65) Cf. Idc 9, 7-13. 66) Cf. Ex 4, 10-13. 67) Cf. Mt 19, 27. 68) Notum effatum, de quo cf. S. Bonaventura *Alphabetum Religiosorum*, iuxta veterem editionem vaticanam, Romae 1596. Postea vero opusculum hoc inter spuria ipsius S. Doctoris amandatum fuit. Cf. S. Bonaventura *Opera Omnia*, ed. Quaracchi, t. 8, *Prolegomena*, cp. 3, pag. CIX. 69) Mt 11, 29. 70) Phil 2, 6-8. 71) Ms.: *Non* adicitur. 72) Io 1, 21. 73) Cf. Mt 11, 14; 17, 12. 74) Lc 1, 17.

es ne propheta ille magnus nobis promissus,[75] aut insignis aliquis antiquorum Prophetarum, qui surrexerit et apparuerit in mundo, sive per palingenesiam anima alicuius de antiquis Prophetis tuum corpus animarit? respondit: *Non sum*, cum tamen propheta esset maximus: *Inter natos mulierum propheta maior Ioanne non est.*[76]

dum negat non solum se Christum et Eliam esse, sed etiam prophetam.

Negat se prophetam esse ut semetipsum exinaniret. Nec tamen dicit mendacium; non enim licet ex humilitate mentiri. Nam cum interrogatur: *Propheta es tu?* potest tripliciter intelligi ista interrogatio: vel ut referatur ad insignem illum prophetam Moysi similem, promissum in Lege, qui etsi vere Messias erat, alius tamen a Messia putabatur Iudaeis, unde aiunt: *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum*,[77] et alii dicebant: Quia *hic est ille propheta;*[78] alii dicebant: Quia *hic est Christus;*[79] vel potest referri ad prophetam aliquem de antiquis, sicut Christum alii putabant Eliam, alii Ieremiam,[80] alii unum ex antiquis Prophetis: *Quia unus de prophetis prioribus surrexit;*[81] vel tandem simpliciter potest intelligi an homo propheta esset similis antiquis Prophetis. Et si primo aut secundo modo intelligatur, verissime negat se esse prophetam, si vero tertio modo, ex parte quidem verum est.

Hoc dicens Ioannes non mentiebatur, non enim propheta fuit quoad miraculorum operationem et futurorum praedictionem.

V. In Prophetis enim quattuor considerantur: dignitas personae ac singularis quaedam praerogativa, excellentia gratiae et sanctitatis ex plenitudine Spiritus Sancti, officium praedicationis munusque evangelizandi ac proponendi populo non quae studio ab hominibus didicit, sed quae divinitus sibi inspirata sunt; et tandem praevisio ac praedictio futurorum cum miraculorum gratia, qua dabantur signa ad confirmandam vaticinii veritatem. Et Ioannes quidem propheta fuit quoad dignitatem personae, excellentiam gratiae et munus praedicationis, non autem quoad futurorum praevisionem aut praedictionem, neque quoad gratiam miraculorum, nam *Ioannes . . . signum fecit nullum*, nec futurum Christum praedicavit, sed praesentem ostendit dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*[82] Unde

75) Cf. Dt 18, 15-19. 76) Lc 7, 28. Vulg.: *Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est.* 77) Io 6, 14. 78) Ibid. 7, 40. Ex graeco: Ὁ προφήτης. 79) Ibid. vr. 41. 80) Cf. Mt 16, 14; Mc 6, 15; Lc 9, 8. 81) Lc 9, 19. Vulg.: *Unus propheta*, etc. 82) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae.

Amos quoque propheta sic dixit: *Non sum propheta, neque filius prophetae,*[83] quia non ab ineunte aetate acceperat spiritum prophetiae, neque ab alio propheta, sicut Eliseus ab Elia.[84] Sic Ioannes dicit se non esse prophetam, neque Eliam, cum tamen utrunque dicere potuisset summa veritate fretus. Siquidem interrogatio ista: *Elias es tu?* ex vaticinio Malachiae manavit: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet corda patrum in filios et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate.*[85] Ex hoc enim loco credebant Iudaei ante Christum venturum fore Eliam, hinc petunt: *Elias es tu?*

quamvis praenunciatus in spiritu et virtute Eliae venturus

Sed si vaticinium illud oculatius introspiciatur, forte clare videbitur non aliud voluisse illis verbis dicere Vates, nisi id quod prius dixerat: *Ecce ego mitto Angelum meum* qui *praeparabit viam ante faciem meam; et statim veniet ad templum* sanctum *suum*, etc.,[86] ut non loquatur ibi Vates de secundo Christi adventu, sed de primo, nam quod ait: *Antequam veniat dies Domini magnus et terribilis,* prius dixerat: *Ecce venit, dicit Dominus . . . et quis poterit cogitare diem adventus eius? et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans.*[87] Hinc Angelus praenuncians Zachariae conceptionem et nativitatem Ioannis una cum eius munere, vaticinium istud interpretatur dicens: *Ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum in filios et incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam;*[88] et Christus ipse: *Omnes . . . Prophetae et lex,* inquit, *usque ad Ioannem prophetaverunt, et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.*[89]

et propheta ab ipso Christo declaratus fuisset.

Sic Christus vaticinium illud declarat Matthaeo 11[90] et 17, cum Apostoli in gloriosa Christi transfiguratione vidissent Eliam et cognovissent tunc clarissime quod Dominus esset verus Messias,[91] admirantes petierunt: *Quid ergo scribae dicunt quod Eliam oportet primum venire?*[92] Hinc enim argumentum sumebant scribae et Pharisaei contra Dominum, quod non esset verus Messias, eo quod Elias non

83) 7, 14. Vulg.: *Et non sum filius prophetae.* 84) Cf. 4 Rg 2, 9-15. 85) 4, 5 sq. Vulg.: *Cor patrum ad filios, etc.* 86) Ibid. 3, 1. 87) Ibid. vrr. 1-2. 88) Lc 1, 17. 89) Mt 11, 13-14. 90) Cf. ibid. 91) Cf. vrr. 1-3. 92) Ibid. vr. 10.

venerat. Respondit Dominus: *Elias quidem venturus est et restituet omnia. Dico autem vobis quia Elias iam venit et non cognoverunt eum.* [93] Loquitur autem de Ioanne. Illud autem: *Venturus est* intelligitur sicut et illud: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* et illud: *Hic est . . . propheta qui venturus est in mundum*, et quod ait Martha: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venturus es,* [94] sic enim graece est. [95] Christus ergo et ante eum Angelus vaticinium illud de Ioanne interpretati sunt.

Ioannes autem, sciens legatos istos ad vaticinium illud alludere, negat se esse Eliam, quoniam intentioni eorum respondet. Illi petebant an Elias esset in carne; nam et si sciebant Eliam quidem illum adhuc vivere, nec mortuum esse, adeo ut per palingenesiam, quam modo multi Iudaeorum tenent, non potuerit anima Eliae venire ad informandum ac vivificandum corpus Ioannis, quem sciebant Zachariae filium esse, natum in montanis Iudaeae, tamen arbitrari potuissent Ioannem quidem illum, cum ab ineunte aetate in desertis fuerit semotus ab omni hominum conversatione, mortuum esse et Eliam in eius forma mundo apparuisse; quare de Elia illo antiquo quaerunt. Ioannes autem, quoniam Elias in spiritu erat, non Elias ille in carne, dicit se non esse Eliam, sic neque esse prophetam aliquem de antiquis per pythagoricam palingenesiam aut resurrectionem, neque simpliciter se prophetam esse quoad futurorum praedictiones et signa. Sic cum Abraham celat veritatem ex humilitate, nec tamen dixit mendacium, sicut ille celavit veritatem quod Sarah uxor sua esset, [96] nec tamen dixit mendacium dicens quod soror ipsius esset, nam vere soror ipsius erat. [97]

**Insuper Iudaei interrogabant eum an ipse esset Elias in carne; quod negat.**

VI. Deinde in alio quoque inspicienda hodie est Ioannis humilitas. Nam cum legati urgent ut dicat quisnam sit, respondet: Ego *vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.* [98] Potuisset dicere: Ego sum Angelus ille praedictus a Malachia et ille Elias in spiritu ab eodem Propheta vaticinatus; sed gloriosiora haec dimittens, vocem se esse dicit illam, de qua dixit Isaias: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.* [99] Non sic filii huius sae-

**Elucet Ioannis humilitas etiam ex modo quo se vocem Christum annunciantem declarat.**

93) Ibid. vv. 11-12. 94) Io 11, 27. 95) Graece: Ἐρχόμενος. 96) Cf. Gn 12, 13. 97) Cf. Ibid. 20, 12. 98) Mt 3, 3. 99) 40, 3.

culi faciunt; si quis enim sit nobilis patritius et adhuc eques, comes, marchio, dux, princeps, rex, imperator, semper nobilius epitheton retinet interrogatusque quisnam sit, respondens, humilioribus posthabitis, sublimius nomen titulumque gloriosiorem affert. At non sic humilis Ioannes filius lucis, sed: Ego, inquit, *vox clamantis in deserto: Parate viam Domini:* ego sum, inquit, praedicator ille, de quo Isaias dixit clamaturum esse in deserto praedicaturumque viam salutis et iustitiae daturumque scientiam salutis ad dirigendos pedes hominum in viam pacis.[100]

Hac responsione Ioannes arguit etiam interrogantium ignorantiam circa personam Messiae

Ubi Ioannes primo quidem clam arguit horum ignorantiam quod Scripturas non bene scrutati sunt neque hunc Isaiae locum adverterunt, adeo ut, factis interrogationibus de Elia et propheta, nescierint aliam proponere. Et merito quidem arguendi hi erant; nam omnes hae interrogationes ex errore processerunt. Prima, quoniam existimabant Messiam futurum esse sanctum quendam hominem, qualis erat Ioannes, non hominem vere et Deum; quare humiliter valde de Messia sentiebant, cum Messias futurus esset verus Deus, unigenitus Filius Dei humanatus, quare verus Deus et verus homo in una persona. Secunda ex errore, existimabant enim unum tantum fore Messiae adventum et hunc quidem in gloria temporali, quem praecessurus erat Elias, sicut currens praecessit regem Israel in regali curru equitantem,[101] cum vere sicut duae sunt naturae in Christo, ita duo sint adventus: unus in humilitate ad salvandum, de quo Zacharias: *Ecce rex tuus*, etc.,[102] et alter in maiestate et gloria ad iudicandum, de quo Isaias: *Ecce Dominus in igne veniet et quasi turbo quadrigae eius ;*[103] de quo etiam Daniel: *Aspiciebam... in visione noctis, et ecce in nubibus coeli quasi filius hominis veniebat.*[104] Erat ergo et hic maximus error. Tertia, quia existimabant insignem illum prophetam in Lege promissum alium a Messia esse, vel pythagoricam palingenesiam, animarum videlicet transmigrationem esse possibilem, cum scriptum sit Zacharia 12: *Dominus extendens coelum et fundans terram... fingens spiritum hominis in eo.*[105] Et quarta, quia non alium putabant fore Christi praecursorem nisi Eliam vel insignem illum prophetam aut aliquem ex antiquis.

et circa illius duplicem in mundum adventum,

circa verum prophetam in Lege promissum et circa personam praecursoris Messiae.

100) Cf. Lc 1, 76-79. 101) Cf. 3 Rg 18, 46. 102) 9, 9. 103) 66, 15.
104) 7, 13. Vulg.: *Cum nubibus.* 105) Vr. 1.

Hinc Ioannes adducit Isaiae locum: *Vox clamantis in deserto. Vox Domini* Ioannes, *vox* illa *Domini super aquas... vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringens cedros... vox Domini intercidens flammam ignis, vox Domini concutiens desertum, vox Domini praeparans cervos;* [106] vox manifestans verbum mentis occultumque animi conceptum Ioannes praedicans Christum, qui Verbum est incarnatum; vox Dei, vox Christi, quoniam per Ioannem loquebatur seipsumque manifestabat Christus. Vox clamantem atque loquentem praesentem esse demonstrat; sic Ioannes Christum. Vox totus erat Ioannes, quoniam et verbis et vita operibusque et virtutum mirandis exemplis praedicabat. Non enim de numero illorum erat qui *confitentur se nosse Deum, factis autem negant,* [107] qui vocem habent Iacob, sed manus Esau, [108] qui bene dicunt, sed male agunt, qui verbis bona virtutesque docent, factis autem vitia et male vivere. Ioannes totus vox, quia omnia eius tum verba tum opera praedicabant viam salutis; vocem se dicit ut nihil sibi, sed Christo, cuius est vox, omnia ascribat; vocem se dicit, quia vox veluti nihil est, sic nihili se reputabat Ioannes, et haec vera humilitas est, nam: *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* [109]

**Vere vox fuit Ioannes qui Christum praedicavit, imo praesentem ostendit**

**et verbis ac operibus viam salutis indicavit.**

VII. Legati autem ii Iudaeorum Ioannis humilitate offensi, eum obiurgare coeperunt: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* Si, inquiunt, tu neque Christus es, neque Elias, neque insignis aliquis propheta, baptizare minime debes et populi innovatorem te exhibere. Nam baptismus res nova est, in lege minime contenta, Prophetis insolita et nobis valde nova, et nonnisi in diebus Messiae baptismus instituendus est: *Lavamini, mundi estote,* dixit Isaias, [110] et iterum: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Ierusalem laverit de medio eius in spiritu iudicii et spiritu ardoris;* [111] Ezechiel: *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris;* [112] Zacharias: *Erit fons patens domui David... in ablutionem pec-*

**Legati autem Ioannem arguunt quasi usurpata auctoritate baptizaret;**

106) Ps 28 (hebr. 29), 3-9. 107) Tit 1, 16. 108) Cf. Gn 27, 22. 109) Gal 6, 3. Vulg.: *Si quis existimat se,* etc. 110) 1, 16. 111) Ibid. 4, 4. 112) 36, 25.

*caloris et menstruatae.* [113] Arguunt ergo Ioannem quasi non divina, sed humana auctoritate sibi arrogata baptizaret.

sed in perferenda etiam hac obiurgatione elucet Ioannis mansuetudo,

Sed sicut renuens laudes eorum ostendit quantae fuerit humilitatis, ita nunc perferens obiurgationem ostendit quantae sit mansuetudinis. Non enim, ut alias, severe et acriter eorum vitia carpit dicens: Vae vobis, *genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? . . . Iam enim securis ad radicem arboris posita est;* [114] sed mansuete fert quamvis iniustam obiurgationem, sicut patienter pertulit Herodis vincula et tandem mortem. [115] Sic Christo simillimus fuit quoad utrunque: *Quia mitis sum et humilis corde.*

qua simillimus Christo ostenditur in perfectione caritatis et scientiae,

Amplius vero, quoniam in Christo duplex maxime eluxit perfectio: gratiae et veritatis, caritatis et scientiae, unde dicitur plenus *gratiae et veritatis,* [116] Dei virtus et Dei sapientia, [117] sicut in sole et igne duo vel maxime reperiuntur: lux et calor – haec sunt illa האורים והתמים, lumina et perfectiones in pectore summi pontificis, [118] – Ioannes quoad utrunque Christo fuit simillimus: et quoad gratiam et caritatem et quoad scientiam et veritatem; hinc dictus fuit a Christo *lucerna ardens et lucens.* [119] Hodie, ostensa virtutis et gratiae ipsius perfectione, ostenditur etiam perfectio scientiae divinaeque sapientiae in eo, nam coelestibus hisce donis ditissimum ac cumulatissimum voluit eum esse Deus, ut virtute et gratia perfectissimus esset affectus ipsius, scientia autem et sapientia intellectus, quae sunt in anima sicut caput et cor in corpore.

ita, Deo disponente, ut dignus esset Christi praecursor.

His autem donis voluit Deus Ioannem cumulatissimum esse, ut dignus esset Christi praecursor digneque posset testimonium perhibere de lumine, idest Christo. [120] Sicut enim spiritu Dei ac sapientia implevit Beseleel et Ooliab ut dignum valerent habitaculum Deo efficere, [121] sapientia implevit Salomonem ut posset Dei populum regere domumque nomini Domini aedificare, [122] Moysi dedit quaecunque necessaria erant ut posset populum ex Aegypto educere; [123] sic Ioanni dedit quaecunque opus erant ut digne posset Christo testimonium perhibere.

113) 13, 1. 114) Mt 3, 7-10; Lc 3, 7-9, Vulg.: *Ad radicem arborum,* etc.
115) Cf. Mc 6, 17-27. 116) Io 1, 14. 117) Cf. 1 Cor 1, 18-21. 118) Cf. Ex 28, 30. Ms.: *Urim et tumim.* 119) Io 5, 35. 120) Cf. ibid. 1, 7.
121) Cf. Ex 31, 2-11. 122) Cf. 3 Rg 3, 5-15; 2 Par 1, 7-12. 123) Cf. Ex 4, 1-12.

Siquidem magna res erat Christum hominem pauperem et abiectum praedicare et persuadere verum Deum esse et ad hanc fidem Iudaeos, durae cervicis homines,[124] perducere. Erat autem fides haec summe necessaria, sine qua nemo salvari potest; quare concurrebat summa necessitas cum summa difficultate tum ex parte obiecti tum ex parte subiecti, tum ratione intellectus tenebris ignorantiae obducti tum ex parte voluntatis vitiorum pernicie corruptae, cui arduum ac difficillimum videbatur legem Christi servandam suscipere et non amplius secundum carnem, sed secundum spiritum, contra sensum carnis vitam ducere.

Persuadere hominem pauperem Deum esse, difficillima res erat et tamen summe necessaria,

Et tandem Christus dignissimus erat ut tanquam mundi Salvator ac verus Deus ab omnibus agnosceretur, crederetur, adoraretur spirituque et veritate coleretur. Hinc Deus Ioannem ad tale tantumque munus destinans gratia, sapientia et Spiritu Sancto replevit, primo, ne erubesceret tam pauperem et abiectum hominem, qui *fabri filius* faberque putabatur,[125] praedicare; secundo, ut posset tam arduam fidem persuadere; tertio, ut pericula et persecutiones ob hanc fidem et praedicationem posset sustinere, et quarto, ut mundo conspicuus esset in sanctitate et iustitia, ut vir summae fidei et veritatis haberetur, ut neque ignorantia et simplicitate deceptus, neque astutia et malitia decipiens crederetur. Sic itaque testis iste integerrimus de Christo ait: *Ego baptizo* vos *in aqua.*

hinc Deus tanta gratia, sapientia et Spiritu S. Ioannem replevit, ut facilius fidem tam arduam persuadere posset.

VIII. *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est,* etc.[126] *Hoc,* inquit Ioannes evangelista, *est testimonium Ioannis,*[127] quod de Christo testificatus est. Nec semel tantum, sed pluries pluriesque; nam apud Matthaeum legimus: *Ego... baptizo vos in aqua in poenitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni;*[128] apud Marcum vero: *Veniet fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens solvere corigiam calceamentorum eius;*[129] similiter apud Lucam.[130] Ioannes vero saepe adducit eum de Christo testimonium perhibentem dicens:

Pluries Ioannes de Christo testificatus est,

124) Ms.: *Ad hanc fidem* repetitur. 125) Mt 13, 55; Mc 6, 3. 126) Io 1, 26-27. 127) Ibid. vr. 19. 128) 3, 11. 129) 1, 7. 130) 3, 16.

*Ioannes testimonium perhibet de ipso et clamat dicens : Hic est quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. Et de plenitudine eius omnes nos accepimus et gratiam pro gratia,* etc.,[131] deinde hodie, nam ait: *Et hoc est testimonium Ioannis quando miserunt Iudaei,* etc.;[132] deinde: *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se et ait* de eo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; hic est de quo dixi,* etc. *Et testimonium perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de coelo et mansit super eum;*[133] et adhuc: *Altera die... stabat Ioannes et ex discipulis eius duo; et respiciens Iesum ambulantem dicit: Ecce Agnus Dei.*[134]

In quibus testimoniis divina sapientia plenus ostenditur.

In quibus profecto testimoniis ostenditur Ioannes tanquam summus theologus, summa divinaque sapientia plenus, qui divinae Incarnationis mysterium clarissima luce coelitus illustratus, clarissime cognoverit. Siquidem, cum Evangelista dixisset: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis,*[135] tunc immediate statim subiungit dicens: *Ioannes testimonium perhibet de ipso et clamat dicens: Hic erat quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Prior me erat,* quia *in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum;*[136] post me venit, quia *caro factum est;* fuit autem Christus conceptus et natus post Ioannem, et post ipsum etiam coepit praedicare et baptizare; *ante me factus est,* quia *vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis:* veritate, gratia, gloria et dignitate factus est mihi praelatus; multo maior me etiam ut homo, qui etiam ut talis maior est Moyse et omnibus Sanctis, nam: *De plenitudine eius nos omnes accepimus* et *lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*[137]

IX. Sunt autem testimonia quae de Christo Ioannes perhibet: quod Christus sit auctor naturae, Verbum Dei per quod facta sunt

131) 1, 15-16. Vulg.: *Hic erat quem dixi, ... nos omnes,* etc. 132) Ibid. vr. 19.
133) Ibid. vrr. 29-32. 134) Ibid. vrr. 35-36. 135) Ibid. vr. 14. 136) Ibid. vr. 1.
137) Ibid. vr. 17.

omnia verusque Deus; quod sit auctor veritatis, idest omnis sapientiae omnisque verae doctrinae quae de Deo est. Quare etsi per Moysen data lex est, non tamen ipse Moyses auctor est legis, sed *veritas*, inquit, *per Iesum Christum facta est*, nam *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*[138] nobis. Sicut enim veritatem alicuius rei gestae[139] enarrare aut veram historiam conscribere nemo potest, nisi qui oculis vidit, nam qui ab alio audivit non auctor est, sed relator et traditor, et sicut si omnes caeci essent, nullam haberemus scientiam de coloribus, si surdi, nullam de sonis, sic, inquit, veritatis divinae naturae veraeque theologiae nemo potest esse auctor, nisi qui viderit Deum; quae enim non viderit homo, quomodo enarrabit? quomodo docebit? Sed nemo vidit Deum, nisi unigenitus Filius Dei; ergo ipse solus potuit enarrare nobis mysteria naturae divinae secundum veritatem. Quare non Moyses, non Prophetae, qui Deum non viderunt, sed Christus auctor est fidei ac divinae veritatis.

**Ostendit enim Christum vere esse auctorem naturae et veritatis.**

Ostendit etiam Ioannes Christum auctorem quoque gratiae, nam: *De plenitudine eius nos omnes accepimus . . . gratiam pro gratia, quia gratia per Iesum Christum facta est*, non solum per creationem, nam sic creatur gratia etiam a Patre et Spiritu Sancto, sed etiam per meritum. Auctor [est] gratiae singularis quatenus Deus et quatenus homo: quatenus Deus ut creator, quatenus homo ut redemptor, meruit enim nobis infinita sua caritate Christus; quare sic neque Pater neque Spiritus Sanctus, sed solus Christus auctor est gratiae et omnis gratiae, iustificantis et sanctificantis.

**auctorem gratiae per meritum quatenus Deus est et quatenus homo,**

Ostendit etiam esse auctorem gloriae: *Vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre.* Ut auctorem gratiae docet Ioannes cum ait: *Ipse baptizabit vos . . . Spiritu Sancto et igni; Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* haec enim duo fiunt in iustificatione: deletur peccatum et confertur gratia Spiritus Sancti. Sed tanquam auctorem gloriae docet cum, discipulis suis dicentibus ipsi cum quadam querela et invidiae aemulatione: *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat et omnes veniunt ad eum,*[140] ait illis: *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixe-*

**auctorem quoque gloriae,**

138) Ibid. vr. 18. 139) Ms.: *Gestem.* 140) Io 3, 26.

*rim : Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum.* [141] Tandem conclusit: *Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* [142] Sic Ioannes altissime philosophatus est de Christo altissimamque theologiam docuit.

cuius se indignum fatetur minimum servum esse.

Hinc hodie ait ostendens summam Christi excellentiam supra se ac per consequens super omnem creaturam: *Ego baptizo in aqua:* non est, inquit, baptismus iste meus baptismus Messiae; sed *ego baptizo in aqua*, ille autem *in Spiritu Sancto et igni*. Baptizo autem ego, quia ipse Messias iam in medio vestrum est et mox venturus est post me ad praedicandum et baptizandum; eius autem talis ac tanta est excellentia et dignitas, ut ego non sim dignus *procumbens solvere corigiam calceamentorum eius*, esse minimus servus ipsius; sic *ante me factus est.*

Et recte quidem hoc dicebat, nam et ipsi Angeli coram Christo adorantes procidunt;

X. Quod si Ioannes, Prophetarum ac Patriarcharum maximus hoc ait, idem omnes Patriarchae atque Prophetae dixissent, [143] imo quilibet Angelorum, quilibet Archangelorum, quilibet Principatuum ac omnium coelestium spirituum. Nam ait Ioannes: *Qui desursum venit, super omnes est... qui de coelo venit, super omnes est.* [144] Hinc in *Apocalypsi* legimus quod non tantum vigintiquattuor seniores, qui significant duodecim Patriarchas Veteris Testamenti et duodecim Apostolos Novi, hoc est significant omnes principes ecclesiasticae hierarchiae procidentes ante thronum Christi, sed etiam omnes Angelos stantes in circuitu throni, procidentes in facies suas et Christum adorantes. [145] Iosue princeps summus populi Dei videns unum Angelum procidit pronus in terram; [146] sed Christo procidunt adorantes omnes Angeli. Abraham etiam summum patriarcham Angelos adorasse legimus summa cum humilitate et reverentia; [147] at nihilo minori omnes Angeli Christum adorant. Ioannes, qui a Christo *Angelus* dictus est, *non sum dignus*, ait, ut *procumbens* solvam *eius corigiam calceamentorum.* Et summa quidem cum ratione id non tantum Ioannes, sed etiam quilibet Angelus dicturus est.

Nam mundus iste est ad instar numerorum, superior semper inferiorem excedit, et sicut sphaera et multis circulis constans sese

141) Ibid. vr. 28. 142) Ibid. vrr. 35 sq. 143) Ms.: *Dixisset.* 144) 3, 31. 145) Cf. 4, 10. 146) Cf. Ios 5, 14-15. 147) Cf. Gn 18, 2.

unum intra alterum continentibus; sic in mundo hoc entia superiora semper sunt nobiliora inferioribus, ut in elementis ac coelestibus orbibus patet, sic et in mixtis imperfectis atque perfectis, in animis, lapidibus et metallis, in plantis, animalibus, homine, in anima vegetativa, sensitiva, rationali. Sic enim mundus iste est ad instar statuae, quam vidit Nabuchodonosor in somnis,[148] est ad instar tabernaculi[149] et templi,[150] ubi semper ab ignobilioribus ad multo nobiliora loca ascendebatur usque ad sancta sanctorum, et in homine ad caput usque; sic in mundo hoc a terra ascenditur in coelum, a coelo in paradisum, in paradiso ab Angelis ad Archangelos nobiliores et sic usque ad Seraphim, spiritus nobilissimos omnium. Sed hinc ad Deum infinita distantia est, nec tantum distat centrum terrae a summo coelorum convexo quam a Deo supremus spiritus distat: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos;*[151] *Ascendet homo ad cor altum et exaltabitur Deus.*[152]

**Infinita enim distantia est inter creaturas et Deum;**

Christus autem *sedet a dextris Dei,*[153] homo est, sed Deo aequalis; merito ergo Ioannes, nec tantum Ioannes, sed quilibet etiam Angelorum supremus princeps dicet: *Ante me factus est, cuius... non sum dignus corigiam calceamenti solvere.* Sunt in mundana republica gradus hominum multi, hic enim plebeius est ac vilissimus homo, alter civis, alter nobilis ac patritius, vir alter eques, alius heros, marchio, comes, dux, princeps, rex, imperator, monarcha. Sed non tanto vilis homuncio summo imperatore, summo ac universali monarcha erit dignitate inferior, quanto Angeli omnes Christo sunt inferiores.

**Christus autem verus Deus est.**

XI. Declarat Ioannes divinae personae Christi excellentiam tanquam summus theologus rationibus theologiae tum mysticae tum symbolicae.[154] Symbolica autem theologia divinam naturam veluti depingit coloribus perfectionum, quae in creaturis reperiuntur: quod Deus sit summe potens, sapiens, bonus, etc., semper per excessum, uti: *Ecce plus quam Salomon hic... ecce plus quam Ionas hic.*[155] Mystica

**Declarans divinae personae Christi excellentiam Ioannes ostenditur summus theologus**

148) Cf. Dn 2, 31-35. 149) Cf. Ex 20, 1 sqq. 150) Cf. 3 Rg 6, 14-36.
151) Ps 96, 9. 152) Ps 63, 7-8. Vulg.: *Accedet homo.* 153) Mc 16, 19.
154) Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Secundum*, pag. 287. 155) Mt 12, 41-42; Lc 11, 31-32.

vero divinam nobis veluti sculpit naturam auferendo, quid Deus non sit demonstrat: quod non sit terra neque coelum, non luna neque sol, non homo neque Angelus. Ioannes ait: *Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat:* excedit in infinitum omnem perfectionem, quae in me aut in quavis alia creatura reperiatur aut reperiri possit: ecce theologia symbolica; sed: *Cuius ego non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamenti:* ecce mystica.

tum in mystica tum in symbolica theologia.

Haec duplex theologia designata fuit in divino propitiatorio quod Deum repraesentabat; symbolica, quoniam totum aureum erat, mystica, quoniam nulla figura figuratum;[156] haec in Seraphim qui duabus alis volabant, sed quattuor velabant facies et pedes suos,[157] quoniam maius est quod de Deo ignoratur quam quod scitur. Hinc Ioannes hodie magis per mysticam quam per symbolicam theologiam Christum declarat: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis,* quoniam: *Vere tu es Deus absconditus;*[158] *Posuit tenebras latibulum suum,*[159] habitat in nebula et in caligine:[160] sic ad dandam legem in igne et caligine descendit.[161] Ignis symbolica est, caligo autem mystica theologia.

Deus invisibiliter ubique est et omnia videt.

*Medius... vestrum stetit quem vos nescitis:* Moyses clausus in scirpea fiscella[162] et habens velamen super faciem suam,[163] arca foederis Domini velo operta:[164] *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis.* Deus coelum terramque adimplet,[165] ubique est per naturam, essentiam, potentiam et praesentiam, *non longe* est *ab unoquoque nostrum, in ipso... vivimus... movemur et sumus;*[166] ipsum autem sicut oculis minime videmus, ita mente nescimus et ignoramus, et si id tantum sciremus quod medius nostrum stat, invisus omnia videns, ambularemus semper coram Domino perfectique essemus; sic enim Dominus Abrahae dixit: *Ambula coram me et esto perfectus,*[167] idest perfectus eris, si mente et cogitatione semper coram me ambulaveris.

XII. Sed quidnam, quaeso, est quod Ioannes hodie non est locutus clare et manifeste de Christo? Cur non dixit: Scitote quod

156) Cf. Ex 25, 31 sqq. 157) Cf. Is 6, 2. 158) Ibid. 45, 15. 159) Ps 17, 12. 160) Cf. 3 Rg 8, 12. 161) Cf. Ex 19, 16 sqq. 162) Cf. ibid. 2, 3. 163) Cf. ibid. 34, 33. 164) Cf. ibid. 40, 3-19. 165) Cf. Ier 23, 24. 166) Act 17, 27-28. 167) Gn 17, 1.

non sum ego Messias, sed Iesus Nazarenus ipse est verus Messias? Profecto quia sic dixit Deus Isaiae, quando vidit gloriam Christi eiusque divinitatem: *Vade et dic populo huic: audite audientes et nolite intelligere... videte visionem et nolite cognoscere. Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude, ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde... intelligat et convertatur et sanem eum,* [168] idest: loquere obscure ut non facile intelligere possit quae dicis, sicut Dominus loquebatur in parabolis, *ut videntes non videant et audientes non intelligant.* [169] Sic obscure locutus est hodie Ioannes; sic legati hi et nuncii Iudaeorum hodie excaecati sunt potius quam illuminati. Videntur mihi similes hominibus qui thesaurum quaerant et inveniant quidem, sed non agnoscentes inventum relinquant et vacui abeant. Messias thesaurus est inaestimabilis; hi quaerunt hodie Messiam et Ioannes quidem dicit eis quod Messias venit, quod est in medio eorum, sed quod non agnoscunt; ipsi vero non ut par erat quaerunt quisnam sit et ubi sit, sed obcaecati a Deo ne Christum in verbis Ioannis agnoscant, abeunt vacui et sine fructu revertuntur: *Confiteor tibi, Pater... quoniam abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* [170]

Obscure tamen Ioannes loquitur ad legatos Iudaeorum, quia indigni erant ut Christum agnoscerent.

Abscondit mysteria divinitatis Christi a superbis et tumidis Pharisaeis et revelavit ea humili Ioanni, qui in humili sui cognitione semper firmus perstitit, quasi terra in centro, unde moveri non potest quando exaltetur: *Non sum ego Christus,* non sum Elias, non sum propheta, sed sum, inquit, servus Christi indignus. Agnovit seipsum Ioannes, quod non fecit homo in paradiso, nec Lucifer in coelo, unde superbi elati perierunt. Placuit vehementer Davidi prudens et humilis Abigail, quae invitata ac requisita ut uxor esset Davidis, in ancillam se obtulit ad lavandum pedes servorum David; [171] sic anima Sanctissimae Virginis ob summam humilitatem Deo summopere placuit: *Quia respexit humilitatem ancillae suae;* [172] sic et Ioannes placuit in sua humilitate Altissimo, unde eum Deus adeo in mundo hoc exaltavit fama et existimatione sanctitatis, ut existimaretur ac putaretur Messias.

Divina mysteria solis humilibus patent.

168) Is 6, 9-10. Vulg.: *Et dices,* etc. 169) Lc 8, 10. 170) Mt 11, 25; Lc 10, 21. Vulg.: *Quia abscondisti,* etc. 171) Cf. 1 Rg 25, 23 sqq. 172) Lc 1, 48.

sic Ioannes quia humillimus magis a Deo illuminatus fuit.

Anima enim eius quo maiori gratia plena erat, eo semper erat humilior, non secus ac homo qui, quo magis ab ardente sole illuminatur, eo magis denigratur, unde Aethiopes nigerrimi sunt. Sic ait sponsa in *Canticis : Fusca* sum eo quod *decoloravit me sol ;* [173] quamvis autem nigra, non tamen deformis, sed *nigra sum* et *formosa :* [174] nigra humilitate, formosa caritate. Sic sponsus descriptus est in *Canticis* habens caput aureum, sed capillos nigros: *Caput eius aurum optimum, capilli eius nigri sicut corvus,* [175] quia Christus omnium optimus, omnium sanctorum humillimus est: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Quo enim magis homo Deum cognoscit, eo magis cognoscit seipsum; et Deum quidem esse omnia, seipsum vero nihil esse nihilque habere boni, sicut luna nihil luminis et ferrum candens suapte natura nihil caloris.

Ut autem manifestior fieret eius humilitas voluit Deus eum hodierna tentatione probari.

Ut autem ostenderet mundo Deus quod Ioannes tanta existimatione sanctitatis nihili in corde suo efferebatur, hodierna hac tentatione eum probare voluit, sicut et Abraham ad ostendendam eius obedientiam. [176] Sic enim sanctos suos probat Deus ad maiorem illorum gloriam vel utilitatem. Nam sanctis etiam lapsus convertuntur in bonum. Magna fuit tentatio qua tentavit fidem Moysi et Aaron, praecipiens ut loquerentur petrae, quod illa daret universo populo sitienti aquas: *Loquimini ad petram . . . et illa dabit* vobis *aquam;* [177] quod si defecerunt in hac tentatione, profuit eis ad humilitatis conservationem atque ad suae fragilitatis cognitionem, sicut et Davidi lapsus in adulterium et homicidium. [178]

## II. ALIA HOMILIA

*Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad Ioannem ut interrogarent eum : Tu quis es? Et confessus,* etc. [1]

I. Magna [2] profecto fuit hodierna ista legatio si considerentur mittentes, missi, ad quem mittantur, locus unde et quo mittuntur et

173) 1, 5. 174) Ibid. vr. 4. 175) 5, 11. 176) Cf. Gn 22, 1-12. 177) Nm 20, 8. Vulg.: *Aquas.* 178) Cf. 2 Rg 11, 1-12, 1-23.

1) Io 1, 19-20. 2) In margine haec adiecta fuerunt: « Sicut luna, soli simillima cum

tandem causa propter quam mittuntur. Mittentes sunt principes Iudaeorum. Ex omnibus populis et gentibus in mundo populus Hebraeorum tanquam omnium Deo carissimus, nobilissimus fuit; inter omnes autem tribus Israel nobilissima fuit tribus Iuda. [3] Nunc autem principes Iudaeorum, capita reipublicae senatusque mittunt; missi vero sunt sacerdotes et levitae ex Pharisaeis, viri nobiles, de genere Aaron summi sacerdotis et hierarchae synagogae.[4] Ad quem mittuntur, est Ioannes, quo *inter natos mulierum non surrexit maior.* [5] Mittuntur ab Ierosolymis, civitate illustrissima; mittuntur ad Iordanem in Bethaniam, sive Bethabaram,[6] ubi Ioannes baptizabat et praedicabat, ubi Christus baptizatus fuit,[7] ubi steterunt aquae Iordanis, quoadusque universus populus transiret, manente arca Dei in medio Iordanis, [8] ubi Elias pallio suo divisit aquas quando rapiendus erat in coelum, [9] ubi Naaman syrus mundatus fuit a lepra. [10] Tandem, causa propter quam mittuntur omnium est importantissima ac maxima, ad inquirendum an Ioannes esset Messias, mundi redemptor atque salvator, summus ille rex, summus sacerdos ac summus propheta, Patriarchis et Prophetis promissus: *Ut interrogarent eum: Tu quis es?* Messias es tu?

Magna fuit hodierna legatio,

praesertim quia facta fuit causa omnium praestantissima.

Sciebant instare iam, imo advenisse iam tempus adventus Messiae secundum Scripturas, quoniam sicut antequam mundum hunc Deus creasset, archetypis formis ac aeternis exemplaribus universum in mente sua efformavit ac veluti praefiguravit, et sicut Moysi dedit exemplar tabernaculi construendi et omnium quae in eo facienda erant, etiam minutissimarum rerum, [11] sic antequam Christum mitteret in mundum, in Divinis Scripturis divinam eius personam mille figuris ac vaticiniis praefiguravit atque praescripsit: non solum quod

Scitum erat ex multis vaticiniis tempus iam adesse adventus Messiae,

sit, videtur sol nocturnus, adeo ut si quis nunquam viderit solem, existimare possit lunam esse ipsum solem, ita fuit Ioannes Christo simillimus, fuit figura quaedam Christi adeo similis et ad vivum ac naturale facta, ut ipsemet Christus videretur. Sicut enim cum inter principes ineundum matrimonium est, mittit sponsus sponsae propriam imaginem ab excellentissimo pictore summa arte et diligentia factam, ita ut nihil nisi spiritus deesse ei videatur, ita Christus accepturus Ecclesiam in sponsam, misit ei sui ipsius imaginem vivam, sicut homo viva est Dei imago. Fuit Ioannes imago Christi, habens spiritum Christi, fuit Christo simillimus interius et exterius; Christus futurus erat sanctissimus, totus Spiritu Sancto plenus: talem misit Ioannem; futurus erat Christus in mundo pauper, humilis et asperam vitam victurus: talem voluit mittere Ioannem ». 3) Cf. Gn 49, 9-12. 4) Cf. Eccli 45, 7-27. 5) Mt 11, 11. Vulg.: *Non surrexit inter natos mulierum maior.* 6) Cf. infra, not. 87, 91, pag. 276. 7) Cf. Mt 3, 5 sqq. 8) Cf. Ios 3, 12-16. 9) Cf. 4 Rg 2, 8-14. 10) Cf. ibid. 5, 1-14. 11) Cf. Ex 25, 40; 26, 30.

futurus erat Deus et homo, summus rex, summus pontifex, summus propheta, redemptor ac salvator mundi, Filius Dei et filius Virginis, summe potens, sapiens ac bonus, quid acturus et quid passurus erat in mundo isto; quod futurus erat dominus universi et sessurus in aeternum ad dexteram Dei assumptus in coelum; sed etiam tempus et locum, ubi et quando nasciturus erat. Sicut enim sol determinatum habet tempus ortus atque occasus, ita et Christus, et quemadmodum solis ortum praecedunt innumerabiles stellae, ita adventum Christi innumerabilia mysteria vaticiniorum atque exemplorum, figurarum. Cum ergo in Ierosolymis, civitate metropoli, multi essent hieronimystae,[12] sacrae legis professores atque doctores, omniumque communis esset sententia advenisse iam tempus adventus Messiae, arbitrati ne forte ipse esset Ioannes, mittunt *sacerdotes et levitas ut interrogarent eum : Tu quis es?*

quem Iudaei arbitrabantur Ioannem esse, ideo hanc legationem ad eum mittunt.

II. Similis omnino fuit hodierna legatio ei quam Ioannes misit ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*[13] ad hoc enim idem quaerendum primo missi sunt viri isti. Sed sicut sapientissime Christus respondit Ioanni, obscure tamen,[14] sic Ioannes Iudaeis; sed Christus affirmando, Ioannes autem negando.[15] Et profecto mirum est cur non ad Christum potius miserint Iudaei quam ad Ioannem, vel saltem ad Christum etiam sicut ad Ioannem, maxime cum scirent Ioannem Zachariae filium esse, de tribu Levi, de genere Aaron;[16] Christum autem futurum de tribu Iuda et de stirpe David; Ioannem natum in montanis Iudaeae,[17] Christum nasciturum in Bethlehem. Sed quia humana sapientia atque prudentia secreta Dei penetrare non potest, et homo videt quae foris sunt, *Deus autem intuetur cor,*[18] ideo ad Ioannem potius quam ad Christum mittunt, quoniam etsi Christus *sol* esset *iustitiae,*[19] erat tamen nube tectus, nec adhuc manifestus factus; Ioannes vero ad instar lunae plenae erat in medio coeli, puro et sereno aere, quae tanquam sol sanctitatis luce splendebat. Noverant Ioannem miraculo natum ex matre sterili et provecta et patre grandaevo et sene patremque in conce-

Mittunt autem ad Ioannem non ad Christum, quia Christus pauper et communis homo videbatur.

12) A graeco: Ἱερός-νόμος-μύστος : sacrae legis cognitor. 13) Mt 11, 2; Lc 7, 19-20.
14) Cf. Mt 11, 4-6; Lc 7, 21-23. 15) Cf. Io 1, 20-21. 16) Cf. Lc 1, 5.
17) Cf. ibid. vrr. 39-40. 18) 1 Rg 16, 7. Vulg.: *Dominus.* 19) Mal 4, 2.

ptione illius miraculo obmutuisse et in nativitate novo fuisse miraculo locutum ut nato filio novum nomen imponeret; noverant Ioannem ipsum ab infantia in deserto vitam duxisse admirabilem [20] ac supra humanas vires integerrimam asperrimamque in victu et vestitu, [21] adeo ut diceretur non manducare neque bibere, [22] sed angelicam vitam ducere. Videbant eum praedicare populo et baptizare divina quadam auctoritate eumque apud omnes summae existimationis esse, Christus vero communis homo habebatur ob communem eius cum omnibus conversationem, habebatur homo ignobilis, *filius fabri;* [23] et galilaeus; [24] Christus autem non galilaeus, sed iudaeus et bethlehemita futurus est. [25] Conceptio, nativitas et divinitas ipsius Christi adhuc erat ignota, necdum Christus praedicare et miracula facere tunc coeperat, ut ex patratis miraculis saltem apud populum in Messiae opinionem existimationemque devenisset. Hinc humanis hisce rationibus ducti ad Ioannem potius quam ad Christum mittunt.

**et divinitas eius adhuc abscondita erat.**

Deinde, non satis constat quonam animo missi fuerint hi ad Ioannem, bono, inquam, an malo; forte enim tam ad veritatem inquirendam quam ad obiurgandum eum de usurpata iurisdictione et arrogata sibi auctoritate missi sunt, et ob id primo interrogant an ipse sit Christus, cum tamen eum Christum non esse scirent, cum esset de tribu levitica, neque Eliam, cum ille adhuc viveret, ipse vero paucis ante annis natus esset. Interrogant etiam an esset propheta, existimantes forte eum prophetam minime esse, cum signum nullum fecerit, ut si quidem affirmaret, signum ab eo peterent sicut petierunt a Christo: *Magister, volumus a te signum videre,* [26] et *signum de coelo petebant ab eo;* [27] si vero negaret, obiurgarent de usurpata iurisdictione et arrogata auctoritate, sicut fecerunt. [28] Quare ad id potius venisse videntur, cum alioqui si simplici animo ad veritatem requirendam venissent, moti desiderio salutis suae ac universi populi, auditis verbis Ioannis: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis,* etc., [29] interrogassent utique quisnam hic esset, ubi maneret, quo nomine vocaretur, quibus eum signis possent agnoscere.

**Forte etiam ex malo animo ad Ioannem mittunt, ut obiurgarent eum de usurpata auctoritate.**

Sed forte Iudaei nonnihil laesi offensique erant, maxime vero

20) Cf. Lc 1, 18 sqq. 21) Cf. Mt 3, 4; Mc 1, 6. 22) Cf. Mt 11, 18; Lc 7, 33.
23) Mt 13, 55. 24) Cf. ibid. 21, 11; 26, 19; Io 7, 41. 52. 25) Cf. Io 7, 41-42.
26) Mt 12, 38. 27) Cf. Mc 8, 11; Lc 11, 16. Vulg.: *Quaerebant*, etc. 28) Cf. Io 1, 25.
29) Ibid. vr. 26.

vel quia offensi illius praedicatione, vel ex invidia, quia in magna existimatione apud populum erat,

Pharisaei, praedicatione et baptismo Ioannis, nec non et magna Ioannis apud populum opinione ac celebri nomine.[30] Hoc quidem quoniam indigne ferebant praeferri sibi aliquem in opinione et existimatione sanctitatis, maxime cum vita Ioannis vitam ipsorum argueret; praedicatione vero, quoniam Pharisaeos Ioannes acri reprehensione feriebat dicens Pharisaeis et Sadducaeis: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae... Iam enim securis ad radicem arboris posita est; omnis... arbor*, etc. *Cuius ventilabrum in manu eius et mundabit aream suam et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.*[31] Quam vero aegre tulerint similes reprehensiones Pharisaei manifeste ex Evangelio constat.

vel tandem quia eius baptismo non credebant.

Tandem, baptismo Ioannis offendebantur, quoniam res nova erat et non secundum legem, quare legis transgressio superstitiosis his videbatur. Hinc enim non credebant ipsi Ioanni et *spreverunt consilium Dei in semetipsis non baptizati*[32] baptismo Ioannis; hinc cum Christus petiit ab eis an *baptismus Ioannis* esset *de coelo, an ex hominibus*, noluerunt respondere: de coelo, ne diceret eis Christus: *Quare ergo non credidistis illi?*[33]

Attamen Deo disponente haec legatio missa fuit, ut testimonium Ioannis de Christo solemnissimum redderetur,

III. Utcunque autem sit, vel bono vel nequam animo missi fuerint, non sine speciali Dei dispensatione missi sunt, sed operante Deo, ut Ioannes hodie, qui talis ac tantus erat ut universus populus eum Messiam esse existimaret, hodie tale ac tantum de Christo testimonium perhiberet, non quidem coram indocta plebe, sed coram viris doctissimis ac nobilissimis Iudaeorum legatis, nec sua sponte, sed requisitus ex publico et communi consilio. Hinc Evangelista legationem hanc summa cum diligentia describit, positis omnibus circumstantiis personarum, loci, temporis ac modi, quo Ioannes Christo testimonium istud perhibuit.[34] Ex omnibus enim his illustrissimum redditur testimonium istud, quod solum poterat Iudaeos ad credendum Christo inducere. Hinc Dominus increpans eorum in credendo tarditatem ait: *Vos misistis ad Ioannem et testimonium perhi-*

30) Cf. Lc 3, 15. 31) Mt 3, 7-12; Lc 3, 7-19. Vulg.: *Ad radicem arboris... in manu sua et permundabit... triticum suum in horreum*, etc. 32) Lc 7, 30. Vulg.: *Consilium Dei spreverunt in semetipsos*, etc. 33) Ibid. 20, 4-5. 34) Cf. Io 1, 19-28.

*buit veritati . . . Ille erat lucerna ardens et lucens, vos autem ad horam voluistis exultare in luce eius,*[35] quoniam testimonium istud Ioannis vel solum sufficiebat ad Iudaeorum fidem Christo conciliandam. Si enim credidissent dicenti se Christum esse, multo magis credendum illi erat dicenti non se, sed Dominum Iesum verum esse Messiam; si enim mentiri voluisset, pro se potius quam pro alio mentitus procul dubio fuisset. Cum ergo Ioannes vir esset summae fidei et veritatis summaeque auctoritatis, credendum illi est de Christo testimonium perhibenti.

quod solum poterat Iudaeos inducere ad credendum.

Testatur autem Ioannes primo quidem, se Christum non esse, sed Christo tanto inferiorem quanto homo est Deo inferior, quoniam Messias non erat futurus purus homo, sed Deus et homo, verus Emmanuel,[36] Deus ille in humana forma Patriarchis Prophetisque visus.[37] Hinc humanam divinamque eius naturam aperit infinitamque eius dignitatem ostendit: *Qui post me venturus est* quatenus homo ad praedicandum et baptizandum, *ante me factus est:*[38] in divina praedestinatione, in natura, in gratia, in gloria, in dignitate factus est multo me maior, cum etiam homo sit super Angelos a divinitate assumptus, *quia prior me erat* quatenus Deus qui aeternus est; hinc *ego non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamenti,*[39] quoniam Deus infinitae maiestatis et gloriae est, cui flectitur omne genu *coelestium, terrestrium et infernorum.*[40] *Et confessus est et non negavit et confessus est : Quia non sum ego Christus.*[41] Ego homo sum, Christus autem Deus et homo: *Non sum ego Christus;* ego sum terra, Christus autem coelum; ego luna, Christus autem sol; ego lignum scientiae boni et mali, Christus lignum vitae, ideo ne de ligno scientiae boni et mali comedatis ne moriamini.[42] Solus Deus est bonus,[43] cui nullum deest bonum, nulla perfectio, hinc solus ipse colendus et adorandus est: *Non sum ego Christus.*

Ioannes negans se Messiam esse, testatur Christi divinitatem.

Non immerito Deus Ioannem in tantam venire fecit populi opinionem ut Messias crederetur, sed ut tale tantumque testimonium Christo perhibere posset. Divina enim sapientia, quae omnia a fine

Tali tantaque sapientia et sanctitate Deus Ioannem replevit.

35) Ibid. 5, 33-35. Vulg.: *Voluistis ad horam*, etc. 36) Cf. Is 7, 14. 37) Cf. Gn 18, 1 sqq.; 32, 24-30; Ex 33, 11; 3 Rg 22, 19; Is 6, 1-6; Ez 10, 8 sqq.; Dn 7, 13 sqq.
38) Io 1, 27. 39) Ibid. 40) Phil 2, 10. 41) Io 1, 20. 42) Cf. Gn 2, 17.
43) Cf. Mt 19, 17; Mc 10, 18; Lc 18, 19.

ut testimonio illius de Christo firmissime crederetur,

usque ad finem attingit dulciter suaviterque disponens omnia,[44] ad fines semper convenientia media ordinat, ut quo altior finis eo media sint nobiliora. Hinc quia maiori lumine opus est in die quam in nocte, maiorem lucem dedit soli quam lunae et stellis; hinc quia magnum opus Moysi imposuit, magnam illi contulit virtutem;[45] sic quia magna valde fides auctoritasque requirebatur ad conciliandam Christo fidem divinitatis, hinc, cum difficillimum opus esset, sed nobis summe necessarium ad salutem, propterea tanta sanctitatis luce Deus fulgere fecit Ioannem, ut homines summae auctoritatis et fidei viro fidem adhiberent.

clarissime enim de Christi divinitate locutus est.

Hoc est testimonium quod Christo perhibiturus erat Ioannes, quod *Verbum caro factum est et habitavit in nobis . . . plenum gratiae et veritatis.*[46] Id sciens Ioannes esse Christum, ait hodie: *Non sum ego Christus,* sed *medius . . . vestrum stetit quem vos nescitis.* Caecus est qui summam non videt lucem, surdus qui vocem non audit, sine olfactu qui suavissimum odorem non percipit, sine gustu qui mellis dulcedinem non gustat, sine sensu qui ignem non sentit. Et Deus quidem *lux est ac tenebrae in eo non sunt ullae,*[47] Christus item: *Ego sum lux mundi;*[48] Christus vox illa Dei est *in virtute* et *in magnificentia,*[49] unguentum odoratissimum: *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis; Oleum effusum nomen tuum;*[50] favus mellis suavissimi: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus;*[51] ignis ardentissimus: *Deus noster ignis consumens est.*[52] Lux paradisi est Christus: *Lucerna eius est Agnus;*[53] musica coeli, hinc I o a n n e s vocem Christi audiens, vocem se audisse dicit sicut *citharoedorum citharizantium in citharis suis;*[54] odor quo plena est tota domus Dei: *Domus plena est ex odore unguenti*[55] dulcissimum man, panis Angelorum,[56] ac tandem ignis quo Seraphim ardent. Caecus est ergo qui hanc lucem non videt, surdus qui non audit hanc vocem, sine sensu qui non sentit hunc odorem, hunc saporem, hunc calorem. *Medius . . . vestrum stetit quem vos nescitis,* ille qui fons est omnis boni: *Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel;*[57] *Haurietis aquas*

44) Cf. Sap 8, 1. 45) Cf. Ex 4, 1-12. 46) Io 1, 14. 47) 1 Io 1, 5. Vulg.: *Et tenebrae.* 48) Io 8, 12. 49) Ps 28, 4. 50) Ct 1, 1-2. 51) Ps 33, 9. 52) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 53) Apc 21, 23. 54) Ibid. 14, 2. 55) Io 12, 3. Vulg.: *Domus impleta est,* etc. 56) Cf. Sap 16, 20-21. 57) Is 12, 6.

*in gaudio de fontibus Salvatoris.* [58] O felices ac ter quaterque beatos, qui oculos habent ad videndam hanc lucem, aures ad audiendam hanc vocem, nares ad olfaciendum hunc odorem, palatum ad gustandum hunc saporem et sensum ad percipiendum hunc divinum seraphicumque calorem!

Mens nostra naturaliter desiderat rerum scientiam et cognitionem,

IV. Est autem nobilissima mentis ac intellectus nostri proprietas verum diligenti indagine quaerere rerumque scientiam et cognitionem desiderare, non minus ac naturale sit coelo moveri, soli astrisque lucere ac splendorem emittere, igni calefacere, aeri spirare atque pluere, terrae immobilem manere; nec minus delectatur intellectus scientia quam visus luce, auditus sono, olfactus odore, gustus sapore, tactus vitali calore et maritalibus sponsi sponsaeque amplexibus.

sed omnium praestantissima est cognitio sui ipsius et Christi.

Sed felices qui cum Ioanne seipsos Christumque agnoscunt! Nam: *Haec est . . . vita aeterna, ut cognoscant te . . . Deum verum et quem misisti Iesum Christum.* [59] Iudaei hodie desiderium ostenderunt cognoscendi veritatem, an Ioannes Christus esset, sed potius ex curiositate quam ex pietate; Ioannes vero ex virtute et seipsum et Christum agnovit. Unde duplici hac salutari cognitione ornatus eius animus, hodie videtur sicut facies duobus oculis, sicut coelum duobus luminaribus magnis, [60] sicut arca Domini duobus cherubim, [61] sicut pontifex duobus lapidibus onychinis, [62] sicut paradisus Domini duabus arboribus vitae et scientiae boni ac mali. [63]

Ad sui cognitionem spectat primo proprias virtutes non considerare,

Ad sui autem cognitionem spectat primo, non considerare bona virtutesque proprias, ad pavonum instar dum aspiciunt pulcritudinem pennarum suarum, sed potius mala; sic enim omnis homo veluti arbor est scientiae boni et mali; sic Ioannes non vult hodie agnoscere se Eliam esse in spiritu maximumque prophetam, sed suam indignitatem contemplatur, veluti pavus videns suos pedes; deinde, si quid est in nobis boni, simpliciter totum Deo referre; sic Ioannes vocem se dicit clamantis omneque bonum ipsius a Christo dependere, sicut vox a clamante.

Ad Dei autem cognitionem spectat altissime de eo sentire; quare hoc summum studium nostrum esse debet, ut Christum cognoscamus,

58) Ibid. vr. 3. 59) Io 17, 3. 60) Cf. Gn 1, 16-18. 61) Cf. Ex 25, 18-19. 62) Cf. ibid. 28, 8-12. 63) Cf. Gn 2, 9.

ad Christi autem cognitionem spectat de eo altissime sentire;

eo enim cognito, omnia nobis nota ac manifesta erunt, cum in eo sint *omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei;[64] ipse enim non solum est intellectus obiectum, sed etiam voluntatis, quia et summa veritas et summa bonitas. Hinc comparatur malo inter ligna silvarum,[65] cuius fructus et aspectu delectabilis est oculis et sapore gustui ad comedendum suavis, quare obiectum est et visus et gustus, sicut ignis luce obiectum est visus et calore obiectum tactus. Hinc Christus dicitur plenus *gratiae et veritatis:* veritatis quoad intellectum et gratiae quoad voluntatem; est sicut clarissimus fons in quo homo vultum suum contemplatur sicut in speculo, et si sordibus foedatam faciem habeat, lavare in eo potest, quod non potest in speculo. In Christo ergo tum intellectus tum affectus explere potest omnem famem omneque desiderium, sive veri sive boni.

sed Christi cognitio quaerenda est cum pietate et humilitate.

Sed quaerendus nobis est Christus cum pietate et cum humilitate: cum pietate ut cognoscatur et ametur fideque et caritate colatur, alioquin ait: *Quaeretis me et non invenietis;*[65a] sed quaerendus etiam cum humilitate, alioquin *scrutator . . . maiestatis opprimetur a gloria,*[66] nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*[67] Hinc quaesiverunt hodie Iudaei Christum, non tamen ex pietate et virtute, sed forte ex cupiditate vel ex curiositate et sine humilitate; hinc minime invenerunt, quamvis dixerit eis Ioannes: *Medius . . . vestrum stetit quem vos nescitis, cuius ego,* etc.; quaerendus Christus est cum humilitate, alioquin non invenitur, sed sicut Ioseph fratribus suis dixit: *Nisi adduxeritis fratrem vestrum minimum, non videbitis faciem meam,*[68] cum descenderunt in Aegyptum ad emendum frumentum, sic Christus, cum accedimus ad eum ad emendum frumentum gratiae eius, nisi nobiscum afferamus virtutem sanctae humilitatis, non ostendet nobis faciem suam, non concedet gratiam suam. Humilitate enim summopere delectatur, hinc minorem elegit Abel,[69] minorem Isaac,[70] minorem Iacob,[71] minorem Ephraim,[72] minimum David,[73] et ipse in mundo humillimus esse voluit. Anima ergo ex pietate quaerens Christum humiliari debet, sicut Rebecca videns

64) Col 2, 3. 65) C. Ct 2, 3. 65a) Io 7, 34. 66) Prv 25, 27. 67) Iac 4, 6.
68) Gn 43, 3. Vulg.: *Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis.*
69) Cf. ibid. 4, 2-5. 70) Cf. ibid. 21, 12-13. 71) Cf. ibid. 25, 23. 72) Cf. ibid. 48, 20. 73) Cf. 1 Rg 16, 11-12.

Isaac ambulantem in agro descendit de camelo et sic illi matrimonio iuncta fuit. [74]

Semper Deo placuit humilitas et maxime displicuit superbia.

Placuit Deo semper humilitas, sicut superbia semper displicuit in Angelis et hominibus; placuit ei humilis Abraham qui dixit: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis;* [75] placuit humilis Iacob qui ait: *Minor sum omnibus miserationibus tuis;* [76] placuit humilis Moyses, placuit hodie humilis Ioannes, sicut placuit humillima Virgo; [77] non tamen placuerunt hodie sacerdotes isti atque levitae, quamvis religiosi viri essent, cum essent Pharisaei, quoniam superbia tumidi erant. Hinc eos hodie excaecavit ut non agnoscerent veritatem neque intelligerent verba Ioannis, ne conversi salvarentur. [78] Sic ait: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis;* [79] sic, superbia eos excaecante, inventum hodie thesaurum non agnoverunt, nam thesaurus Christus est inaestimabilis omnium bonorum naturae, gratiae, gloriae ac totius divinitatis, plenus *gratiae et veritatis, et de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, quia . . . gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [80] Quare multo maius damnum est Christum perdere quam infinitum thesaurum, imo omnes mundi thesauros; nec tantum thesauros terrenos, sed etiam coelestes omnes thesauros paradisi, siquidem omnis gloria paradisi minima quaedam pars est infiniti huius thesauri. Nam ait: *Ea quae sub ipso erant replebant templum, fimbriae eius replebant templum,* [81] per quod totus iste mundus designatur: *Plena est omnis terra gloria eius:* [82] haec est vestimentum Dei, lux inaccessibilis; sed infima pars huius vestimenti, eius fimbriae, infimus gradus divinae huius gloriae, replet totam domum paradisi. Talis ergo ac tantus thesaurus Christus est. Beati qui digne quaerunt ut inveniant possideantque, quoniam inveniunt possidentque omne bonum: *Ego ostendam tibi omne bonum,* [83] et qui amittunt perduntque, omne bonum amittunt et perdunt!

ideo ob superbiam Pharisaei non meruerunt Christum cognoscere et sic misere perierunt.

*Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis.* O ignorantia, fons et radix omnium malorum! Dum enim nescitur, dum ignoratur, dum

74) Cf. Gn 24, 64 sqq. 75) Ibid. 18, 27. 76) Ibid. 32, 10. Vulg.: *Minor sum cunctis*, etc. 77) Cf. Lc 1, 48. 78) Cf. Is 6, 10. 79) Mt 11, 25; Lc 10, 21. 80) Io 1, 16-17. 81) Is 6, 1. Ex hebraico. 82) Ibid. vr. 3. 83) Ex 33, 19. Vulg.: *Omne bonum tibi.*

Ignoratio Dei fons est omnium malorum.

non cognoscitur, Deus diligi minime potest; ubi autem amor Dei non est, ibi amor mundi, ibi amor carnis, quae vitiorum omnium sentina est. *Medius... vestrum stetit* sicut rex in medio regni, sicut pastor in medio gregis, sicut dux in medio exercitus, sicut pater in medio filiorum, sicut nauta in medio navis, sicut sol in medio coeli, sicut anima in medio corporis. Nos vero Deum ignorantes sumus regnum sine rege, grex sine pastore, exercitus sine duce, familia sine patre, navis in medio maris sine nauta, coelum sine sole et corpus sine anima. Regnum autem sine rege spelunca latronum est, grex sine pastore praeda luporum, exercitus sine duce hostium miserabilis praeda, familia sine patre membra sine capite, navis sine nauta ovis in ore leonis, mundus sine sole obscurissimus ac teterrimus carcer et corpus sine anima putridum cadaver ac vermium esca.

*Medius... vestrum stetit quem vos nescitis. Medius vestrum* sicut magister in medio discipulorum, medicus in medio infirmorum, dives in medio pauperum, lux in medio caecorum, fons in medio sitientium, panis in medio esurientium, ignis in medio frigentium, thesaurus in medio egenorum. Sed hoc nostrum malum est, quia ignoramus: *Quem vos nescitis.*

Tanta cum diligentia huius legationis circumstantiae adnotantur, ad innuenda multa mysteria.

V. *Haec in Bethania facta sunt, ubi erat Ioannes baptizans, trans Iordanem.*[84] Duplex est lectio: Vulgata quidem est *Bethania*, aliqui tamen legendum putant *Bethabaram*, uti Origenes,[85] Chrysostomus,[86] Theophylactus,[87] Epiphanius haeresi 51[88] et alii quamplures.[89] Sed forte utrunque nomen idem significat. Nam Bethabara idem est ac locus transitus, Bethania vero, si non cum ע hebraice scribatur, sed cum א *aleph*, interpretatur locus navis – אֳנִיָּה navim significat, *Proverbiis* 30[90] et Isaia 33,[91] – quare idem est locus transitus ac locus navis, quoniam per navim transitus fiebat Iordanis. Quare non est Bethania ista castellum Mariae et Marthae, illa enim erat prope Ierusalem,[92]

84) Io 1, 28. Vulg.: *Trans Iordanem ubi erat*, etc. 85) *Comment. in Io.*, (P. G. 14, 270). 86) *Hom. 17 in Io.*, ibid. 59, 107. 87) *Enarrat. in Evang. Io.*, ibid. 123, 1171. 88) *Adversus Haereses*, ibid. 41, 911. 89) Cf. *Biblia Maxima Versionum, In Io* 1, 28; Adrichomius *Theatrum Terrae Sanctae*, pag. 126-127. 262. 90) Vr. 19. 91) Vr. 21. 92) Cf. Io 11, 1. 18.

non trans Iordanem. Nec tamen sine mysterio putarim Evangelistam hodie tanta cum diligentia adnotasse non tantum personas legatorum, legantium et ad quem legabantur, causam propter quam legabantur, sed etiam tempus et locum; sed mysteriis plena sunt omnia, cum ex divina dispositione facta sit ista legatio ad gloriam Christi.

*Miserunt Iudaei* qui praenoverunt ex vaticiniis tempus Messiae advenisse.

*Miserunt Iudaei,* quoniam de tribu Iuda futurus erat Christus et in Iuda patriarcha praefiguratus, in quo adimplenda erat ad amussim benedictio Iudae: *Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui,* etc. [93] Et in nomine quidem יְהוּדָה [94] praescripta fuit Christi persona; nam est nomen יְהוָה cum littera ד in medio, quae humanam designat naturam ob quaternarium: esse, vivere, sentire et intelligere, quo sola ipsa constat. [95] Tempus etiam mysterio minime vacat, quod Evangelista expressit dicens: *Hoc est testimonium Ioannis quando miserunt Iudaei;* [96] tempus autem adventus Christi praenoverant in vaticinio Iacob in eadem Iudae benedictione: *Non auferetur sceptrum de Iuda,* [97] et in septuaginta hebdomadibus Danielis. [98] Adhuc etiam quia sciebant Christum dictum esse solem: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae.* [99] Sciebant solem factum quarto die, sed *mille anni sicut dies una,* [100] expectabant Christum in quarto millenario annorum a creatione. Sed iam erant prope finem, siquidem ab Adam usque ad Abraham fluxere duo annorum millia, et a nativitate Abraham usque ad aedificationem templi fluxerunt alii mille anni. Nam cum Abraham centum esset annorum, natus fuit Isaac, [101] a nativitate autem Isaac usque ad exitum de Aegypto fluxerunt anni quadringenti et triginta; [102] ab exitu autem usque ad aedificationem templi quadringenti et octoginta, a templi vero aedificatione usque ad Christum alii mille anni fluxerunt; siquidem perstitit prima domus annis quadringentis et viginti, vel circiter, post haec mansit destructa annis septuaginta ob captivitatem babylonicam, in quorum fine facta fuit

ad finem enim iam properabat quartum annorum millenarium a creatione mundi.

93) Gn 49, 8. 94) Ms.: *Iehudah,* et infra: *Iehouah, daleth.* 95) ד enim arithmetice valet 4. 96) Io 1, 19. 97) Gn 49, 10. 98) Cf. 9, 24 sqq. 99) Mal 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis,* etc. 100) Ps 89, 4. 101) Cf. Gn 21, 1-5. 102) Cf. Gal 3, 17.

revelatio Danieli quod post septuaginta hebdomadas, idest post quadringentos et nonaginta annos venturus esset Christus. [103]

*ab Ierosolymis civitate regia et sacerdotali, figura Ecclesiae.*

Quare iam quartum millenarium annorum erat in fine. Hinc videntes advenisse iam temporis plenitudinem, iam praecessisse noctem tempusque esse ut ortus fuerit sol, mittunt ab Ierosolymis, civitate regia et pontificia, quoniam Christus futurus erat uti Melchisedech rex et sacerdos, rex iustitiae et pacis, [104] sacerdos summus qui ingressurus erat in sancta sanctorum, [105] idest in paradisum.

Ait autem: *Ab Ierosolymis*, quoniam Ierusalem, hebraice יְרוּשָׁלַיִם [106] dicitur, duali numero, ad designandam duplicem pacem gratiae et gloriae, temporis et aeternitatis. Et Ierusalem quidem Ecclesiam designabat, templum vero in ea Christum; tres vero templi partes tres in Christo substantias.

*sacerdotes et levitas, quia agebatur de negotio sacro.*

*Miserunt... sacerdotes et levitas*, quia negotium hoc sacrum erat et ad divina spectans et quoniam Christus futurus erat sacerdos ut Aaron, levita ut Moyses; [107] non tantum levita, minister, sed etiam sacerdos, summa praeditus dignitate, homo servus Dei, sed etiam Deus summus, levita unitus Deo et per hanc unionem factus summus sacerdos Deus.

*trans Iordanem, ubi populus a deserto in terram promissionis transivit.*

*Miserunt* ergo *sacerdotes et levitas ut interrogarent* de summo sacerdote uti Aaron et summo levita uti Moyse. *Miserunt* ad Ioannem, qui Dei gratia interpretatur, quoniam totus gratia plenus, quoniam sciebant Christum fore plenum gratia uti sol luce. *Miserunt* in Bethabaram, locum transitus, ubi, Iosue duce, transivit populus a deserto in terram promissionis per Iordanem sicco pede, manente arca Dei in medio Iordanis, [108] quoniam Christus futurus erat ille Iosue successor Moysi et arca illa divinitatis, quoniam per Christum populus Dei consecuturus erat salutem omnemque felicitatem. *Miserunt* ad Iordanem flumen unum quidem, sed a duobus fontibus originem ducens fitque ex duobus fluviis unum flumen, [109] sic Christus ex duabus naturis unus Salvator.

103) Cf. H. D. Audet *Chronologia Veteris Testamenti, Prolegomena in S. Scripturam*, pag. LII sqq. 104) Cf. Gn 14, 8; Hebr 7, 1-2. 105) Cf. Hebr 9, 11 sqq.
106) Ms.: *Ierusalaim.* 107) Cf. Ex 2, 1-2. 108) Cf. Ios 3, 11 sqq.
109) Cf. S. Adamnanus *De Locis Sanctis*, lib. 2, cp. 19, (P. L. 88, 801); Adrichomius *Theatrum Terrae Sanctae*, pag. 109; *Dictionarium Geographicum*, sub verbo: *Iordanis.*

*et confessus est Ioannes apertissime declarans se Christum non esse,*

*Miserunt . . . ut interrogarent eum : Tu quis es ? Et confessus est . . . Quia non sum ego Christus.*[110] Ait Ioannes: Christus futurus est iudaeus, ego autem levita sum; ideo *non sum ego Christus.* Quamvis autem Christi tempore natus sim, *non* tamen, *sum ego Christus*, sicut luna non est sol, quamvis eodem die cum sole facta fuerit uti et terra cum coelo.[111] Christus futurus est[112] de stirpe David, summus rex,[113] potentissimus ut David, sapientissimus ut Salomon,[114] iustissimus ut Ezechias,[115] sanctissimus ut Iosias;[116] itemque summus sacerdos portans auream laminam in capite,[117] quae hieroglyphicum erat divinitatis; futurus templum illud tripartitum,[118] homo triplici substantia constans; ideo *non sum ego Christus*, rex iustitiae et pacis. Christus futurus est summus sacerdos summusque levita uti Aaron et Moyses, ego autem simplex levita et sacerdos sum; ideo *non sum ego Christus*, non habeo ego laminam auream Aaron neque virgam Moysi. Christus futurus est non tantum plenus gratia ut vas aqua, luna lumine, sed fons gratiae ut sol lucis; ideo quamvis ego Ioannes dicar g r a t i o s u s, sum tamen tantum homo, ille futurus est gratiosus Deus et אל־רחום חנון;[119] non sum ego Iosue ille, princeps populi Dei, neque arca illa cum propitiatorio, quod divinitatis symbolum erat. Messias futurus erat princeps ille coelestis exercitus, qui tanquam homo armatus apparuit Iosue gladium tenens in manu, quem Iosue humillime adoravit prostratus in terram solutisque calceamentis de pedibus suis,[120] idest sepositis omnibus involucris carnalium terrenarumque cogitationum, quia in Christo nihil terrenum ac carnale cogitandum est, sed totus coelestis est, quamvis sit verus homo; apparuit etiam armatus, quoniam pugnaturus erat contra Chananaeos, principes tenebrarum harum.[121]

**imo ne dignum quidem ut Christi calceamenta solvat,**

Hinc Ioannes nihil terrenum cogitans et vile in Christo ait: *Cuius ego non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamenti.*[122] Vos putatis, inquit, quod ego sim Christus, ego autem dico vobis quod non solum non sum Christus, sed quod neque dignus sum solvere et por-

110) Io 1, 20. 111) Cf. Gn 1, 1. 16-18. 112) Ms.: *Erat.* 113) Cf. Is 9, 6-7; Ier 23, 5. 114) Cf. 3 Rg 3, 11-12; 2 Par 1, 11-12. 115) Cf. 4 Rg 18, 1-7. 116) Cf. ibid. 23, 16-21. 117) Cf. Ex 28, 36-38. 118) Constans atrio, sancto et sancto sanctorum. Cf. 3 Rg 6, 8. 119) Ex 4, 17. Ms.: *El rachum chanum.* 120) Cf. Ios 5, 13 sqq. 121) Cf. Eph 6, 12. 122) Io 1, 27.

tare calceamenta Christi. Figurali ac proverbiali loquendi modo usus est Ioannes in hac sui humillima quidem, sed tamen verissima confessione. Nam si Christus non nudis pedibus ambulavit, sicut Isaias in portentum,[123] sandaliis forte calceatus incessit, sicut iussit Apostolis sine calceamentis,[124] sed sandaliis calceatos ire,[125] sine, inquam, calceamentis quae totum operiant pedem, sed calceatos sandaliis quae superiorem pedis partem non operiunt, sed tantum inferiorem, quae tamen corigiis quibusdam ligabantur. Haec ait Ioannes se non esse dignum aptumque ad solvendum atque portandum. Nam Matthaeus quidem portare dicit, ceteri vero solvere, et tres Evangelistae habent ἱκανὸς,[126] idest aptus, Ioannes autem ἄξιος,[127] idest dignus.

Innuens hac confessione mysterium incarnationis.

Nam non tantum figuralis fuit ista Ioannis locutio, sed etiam mystica, ad designandum incarnationis Christi mysterium, ut dicat se neque dignum neque aptum esse tantum aperire mysterium et infinitam Christi personae dignitatem aperire; imo nec minima quidem eius mysteria pro dignitate aperire, hoc est calceamenta vel corigiam solvere; et quoniam etiam Christus in legis figuris et Prophetarum vaticiniis involutus erat, sicut pes in calceamento, Ioannes inquit se non posse legis et Prophetarum infinita mysteria digne aperire.

Synagoga de Aegypto ad terram promissionis transivit per mare Rubrum et per Iordanis flumen.

VI. *Haec in Bethania, sive Bethabarah facta sunt... ubi erat Ioannes baptizans.*[128] Bethania, domus navis, et Bethabara, domus transitus, synagogam designat, quae tanquam navis tranquillo mari secura ac salva transivit mare Rubrum[129] et Iordanis flumen:[130] mare quidem transiens ab Aegypto ad sacrum desertum, et flumen a deserto ad terram promissionis. Sed utrunque virtute Christi factum est. Nam mare apertum fuit virtute divina per virgam in manu Moysi ad mare extensa et aquae Iordanis steterunt divina virtute per arcam, quae quandiu stetit in medio Iordanis alveo, steterunt aquae immobiles; sed tum virga tum arca *Christum Dei virtutem Deique sapientiam*[131] significabant, quare per Christum

123) Cf. Is 20, 2-3. 124) Cf. Lc 10, 4. 125) Cf. Mc 6, 9. 126) Mt 3, 11; Mc 1, 7; Lc 3, 16. Ms.: Ικανος. 127) Ms.: Αξιος. 128) Io 1, 28. 129) Cf. Ex 14, 21 sqq. 130) Cf. Ios 3, 11 sqq. 131) 1 Cor 1, 24. Vulg.: *Et Dei sapientiam.*

salvi facti sunt Hebraei in mari Rubro et in Iordane veluti baptizati; nam Paulus ait: *Omnes in Moyse baptizati sunt in mari et in nube.* [132]

Duplex hic transitus duplicem baptismum significat, Ioannis et Christi,

Duplex autem ille transitus duplicem baptismum designavit, Ioannis et Christi. Primus transitus fuit in desertum: Ioannes praedicat *baptismum poenitentiae;* [133] secundus fuit in terram promissionis: baptismus Christi facit transire a poenitentia peccati in gratiam Spiritus Sancti; navis transitura erat synagoga: *Facta est velut navis institoris de longe portans* merces suas, [134] quoniam lex Moysi non erat perpetua, transitura erat in Evangelium Christi, sicut transivit populus a deserto in terram promissionis; Christi autem Evangelium est novum et aeternum testamentum. [135]

et duplicem legem: antiquam Moysi perituram et novam Christi in aeternum mansuram.

Nec sine mysterio Ioannes *trans Iordanem* baptizabat in deserto, in quo populus mansit quadraginta annis, [136] sed ad designandam synagogam quae, vivente adhuc Ioanne, non fecerat transitum in mysticam promissionis terram baptizata a Christo Spiritu Sancto et igne. [137] Hinc *trans Iordanem* Christum praedicabat Ioannes, sicut et lex in eodem deserto data [138] Christum praedicebat, obscure tamen, Ioannes enim typum legis gessit: sancta lex, sanctus Ioannes; lex data a Deo, Ioannes ab eodem missus; aspera lex et gratiam non conferens, aspera vita et praedicatio Ioannis, nec tamen baptismus ipsius gratiam Spiritus Sancti conferebat. Lex praecurrebat Evangelium, Ioannes Christum; Ioannes praedicabat poenitentiam a peccatis, *baptismum poenitentiae* in signum detestationis peccati; baptizabat et Christum praedicabat; ita lex praedicabat poenitentiam conversionenque ab idolis ad Deum, praedicabat baptismum aquae et sanguinis praecipiens sacrificia pro peccatis et aquam lustrationis; [139] baptizabat hoc baptismo et Christum figuris ac vaticiniis praedicabat. Tandem sicut Ioannes oportuit minui, Christum autem crescere, [140] ita legem oportuit deficere, Evangelium autem per universum mundum praedicari. Praedicabat et baptizabat Ioannes *trans Iordanem*, in ripa Iordanis, quo cum

132) Ibid. 10, 2. Vulg.: *In nube et in mari.* 133) Mc 1, 4; Lc 3, 3. 134) Prv 31, 14. Vulg.: *Quasi navis*, etc. 135) Cf. Hebr 8, 8 sqq. 136) Cf. Ios 5, 6. 137) Cf. Mt 3, 11; Lc 3, 16. 138) Cf. Ex 19, 16 sqq. 139) Cf. Nm 19, 1 sqq. 140) Cf. Io 3, 30.

pervenisset, Moyses defunctus fuit et in locum eius Iosue successit,[141] quo duce factus fuit secundus transitus, sicut duce Moyse factus fuit primus, quoniam si futurum erat ut, ad finem veniente lege Moysi, inciperet Evangelium Christi, et Moyse defuncto, verus Iosue Christus, dux populi fieret.

## III. ALIA HOMILIA

*Miserunt Iudaei... sacerdotes et levitas, etc.* [1]

Cum docuisset Evangelista divinitatem Christi, veritatem hanc voluit Ioannis testimonio comprobare.

I. In hodierno Evangelio proponitur illustrissimum Ioannis Baptistae testimonium, quo testificatus fuit Christum Dominum nostrum verum esse Messiam. Sic enim incipit Evangelista: *Hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudaei,* etc. [2] Cum docuisset Evangelista Christi divinitatem: *In principio erat Verbum,* etc.,[3] et: *Verbum caro factum est,* etc.,[4] veritatem hanc Ioannis Baptistae testimonio voluit comprobare. Hinc ait quod *fuit homo missus a Deo,* qui *venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine,* etc.,[5] hinc subiunxit testimonium Ioannis: *Qui post me venturus est, ... ante me factus est ... quia prior me erat ;*[6] *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus ... gratiam pro gratia, quia lex per Moysen,* etc.[7] Hoc ipsum hodie testificatus est: *Medius ... vestrum stetit quem vos nescitis ; Ipse est qui post me venturus est, qui,* etc.[8] Alludens autem Christus ad hoc testimonium Ioannis dixit Iudaeis: *Vos misistis ad Ioannem et testimonium perhibuit veritati ... Ille erat lucerna ardens et lucens.*[9]

Ex triplici capite magnum ostenditur hoc testimonium:

II. Ostenditur autem testimonium hoc triplici ex capite magnum. Primo quidem, ratione rei testificatae, secundo, ratione personae testificantis et tertio, ratione personarum quibus testificatur. Quoad primum, testificatur divinitatem[9*] Christi, quod licet Christus merus

141) Cf. Dt 34, 1 sqq.

1) Io 1, 19. 2) Ibid. 3) Ibid. vr. 1. 4) Ibid. vr. 14. 5) Ibid. vrr. 6-7. 6) Ibid. vrr. 27-30. 7) Ibid. vrr. 16-17. 8) Ibid. vrr. 26-27. 9) Ibid. 5, 33-35. 9*) Ms.: *Divinitas.*

ac simplex homo videretur, erat tamen verus et perfectus Deus, unigenitus Filius Dei, coaeternus, coaequalis et consubstantialis Patri, una cum Deo Patre natura atque substantia, persona infinitae dignitatis: *Ante me factus est, cuius... non sum dignus ut solvam*, etc. [10] Testificatur quod Christus sit verus Messias, mundi redemptor et Salvator, de quo omnis etiam Angelus paradisi idem diceret: *Non sum dignus*, nam totus mundus nihil est apud Deum. Nam Deus, qui mundus ter maximus est, multo maior infinitis partibus est hoc macrocosmo, quomodo mundus hic magnus homine microcosmo, sic testificatur infinitam et incomprehensibilem Christi dignitatem, et hoc est quod ait: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis*, quia est Deus ignotus, [11] *Deus absconditus*, [12] qui *posuit tenebras* paupertatis et humilitatis *latibulum suum*, [13] nam: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus... esse se aequalem Deo... semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, [14] et veniens *in similitudinem carnis peccati*, [15] Iacob gerens similitudinem Esau, [16] rex Israel qui, mutato habitu, venit ad proelium, [17] arca foederis Domini divinumque propitiatorium sub velamine: [18] *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis*.

ex parte veritatis testificatae,

Persona autem testificans magnae reputationis est, testis omni exceptione maior, homo praenunciatus oraculis Prophetarum et Angelorum, praedictus a Prophetis, annunciatus ab Angelo, conceptus miraculo, sanctificatus in utero, visitatus a Domino, natus Spiritu Sancto plenus, [19] vir maximae reputationis apud Iudaeos, qui vel Messias, vel Elias, vel magnus aliquis propheta habebatur, [20] ad quem Iudaeorum respublica honestissimam hodie legationem misit: talis ac tantus erat apud Iudaeos Ioannes. Talis igitur ac tantus testis hodie divinam hanc veritatem testificatus est.: *Vos misistis ad Ioannem et testimonium perhibuit veritati... Ille erat lucerna ardens et lucens*, aureum candelabrum ardens ante divinum propitiatorium. Ad testificandam veritatem duo necessario requiruntur: cognitio et certa veritatis scientia, ne pro re dubia feratur certa sententia; deinde integritas animi, zelus veritatis et iustitiae. Propter haec duo dicitur

ex parte personae testificantis,

10) Io 1, 27. 11) Cf. Act 17, 23. 12) Is 45, 15. 13) Ps 17, 12.
14) Phil 2, 6. 15) Rom 8, 3. 16) Cf. Gn 27, 23. 17) Cf. 3 Rg 22, 30.
18) Cf. Ex 40, 16-19. 19) Cf. Lc 1, 5 sqq. 20) Cf. Mt 14, 5; 21, 46; Lc 20, 6.

Ioannes *lucerna ardens et lucens.* Ioannes testis est oculatus: *Vidi,* inquit, *Spiritum* Sanctum *descendentem* de coelo *quasi columbam... et mansit super eum. Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum* Sanctum *descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* [21]

ex parte personarum quibus Ioannes testificatur.

Personae autem quibus hoc testificatur Ioannes, erant non vulgus credulum et indoctum, sed viri magnae reputationis et auctoritatis, nobilissimi et illustrissimi, legati reipublicae Iudaeorum, personae honestissimae et peritissimae. Nam: *Miserunt sacerdotes et levitas,* non qualescunque, sed nobilissimos; hinc ait: *Ex Ierosolymis,* et ex laudatissima Pharisaeorum secta, ait enim: *Et qui missi erant, erant ex Pharisaeis.* [22] Divinam ergo hanc veritatem Ioannes testificatur coram legatione Iudaeorum, coram delectu prudentissimorum et sapientissimorum virorum, qui legem et Prophetas prae manibus habebant et facillime advertissent et arguissent si quid Ioannes contra veritatem legis et Prophetarum enunciasset. Nam magna [23] cum libertate eum veluti increpant dicentes: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* [24] hoc est: quaenam haec novitas quam agis? Quomodo aut qua auctoritate baptizas populumque universum Iudaeae et Galilaeae commoves? Liberrime ergo arguissent Ioannem si quid indignum aut contra legem et Prophetas dixisset.

At Ioannes nihil tali tantoque testimonio profecit.

III. Sed quoad Iudaeos quidem frustra veritatem hanc testificatus est Ioannes, nihil enim tali tantoque testimonio profecit ut Iudaei in Christum crederent. Venerunt legati hi ad Ioannem et reversi sunt absque ullo fructu sua ipsorum culpa. Venerunt quaerentes Messiam: dicit eis Ioannes iam venisse Messiam et esse ac conversari in medio populi: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis;* sed non advertunt nec capiunt veritatem, sicut qui thesaurum quaerentes inveniunt quidem, sed non cognoscunt, spernunt, relinquunt, et vacuis manibus abeunt. Vere praedicavit in deserto Ioannes, dum hisce Iudaeorum legatis praedicavit; perdidit oleum et operam, [25]

21) Io 1, 32-34. 22) Ibid. vr. 24. Vulg.: *Et qui missi fuerant,* etc. 23) Ms.: *Magnam.*
24) Io 1, 25. 25) Adagium, de quo cf. P. Mannuccius *Adagia,* col. 255.

lavavit aethiopem.[26] Duo praedicavit Ioannes viris hisce, fidem et opera: fidem: *Medius ... vestrum stetit quem vos nescitis*, etc.; opera: *Dirigite viam Domini;*[27] *Praeparate corda vestra Domino et servite illi soli;*[28] sed nihil omnino profecit. Praedicatione fidei Ioannes erat lucerna *lucens*, praedicatione autem operum lucerna *ardens;* sed caecis nihil prodest lux et ardor lucernae.

IV. Multi sunt, et utinam non fere omnes, simillimi hisce Iudaeorum legatis, qui veniunt ad audiendum verbum Dei, sed sine fructu domum revertuntur. *Dirigite viam Domini*, hoc est divinam legem, haec enim via Domini dicitur, de qua Regius Vates ait: *Dirige in conspectu tuo viam meam;* hebraice autem est: *Dirige in conspectu meo viam tuam*,[29] hoc est: Fac, Domine, ut lex tua sit animo meo iusta et bona, ut placeat mihi, ut delecter in ea – nam in Divinis Litteris rectum dicitur quod iudicatur bonum et placet animo;[30] – *dirigite viam Domini*, iudicate et operibus ostendite eam iustam et bonam esse. Si princeps aliquid imperat, facile omnes iussa exequuntur, si imperata omnibus iusta, recta et bona utiliaque iudicantur. Si tu, o homo Dei, legem iustam et bonam iudicas, cur eam non custodis? cur divina mandata non servas? cur non placet tibi lex sanctissima et optima?

**Multi sunt his Iudaeorum legatis simillimi.**

*Lucerna ardens et lucens* dicitur Ioannes, reddens Christo testimonium hoc. Lucerna autem fit vel ex vili argilla, vel ex gravi metallo deorsum tendente, quae ex seipsa nihil habet quo lucere possit. Sic Ioannes hodie ostenditur humillimus; confessus est se non esse Christum, non Eliam, non prophetam, quamvis esset plus quam propheta, maior Elia.[31] Et cum cogitur dicere quis sit, non dicit se Angelum esse, sed vocem, idest praedicatorem;[32] ideo lucerna erat plena oleo, totus gratia plenus, quia *humilibus Deus dat gratiam;*[33] *Qui se humiliat exaltabitur.*[34] Humiles semper exaltat Deus, sicut exaltavit Moysen, Saulem, Davidem.

26) Adagium, de quo cf. ibid. col. 252. 27) Io 1, 23. 28) 1 Rg 7, 3. Vulg.: *Servite ei soli.* 29) Ps 5, 9. 30) Cf. Dt 12, 8; Ios 9, 15; 1 Rg 18, 9; 4 Rg 10, 15. 31) Cf. Mt 11, 9; Lc 7, 26. 32) Cf. Mt 3, 3; Lc 3, 4. 33) Iac 4, 6. 34) Lc 14, 11; 18, 14.

Elucet in Ioanne animi humilitas, vitae asperitas et mundi contemptus.

V. Tria autem elucent in Ioanne: humilitas mentis, asperitas carnis et contemptus mundi divitiarumque eius, hinc ait: *Ego vox clamantis in deserto ;* [35] praedicat in deserto, quoniam lex Dei in deserto data fuit, [36] ubi nullae vanitates mundi aut voluptates carnis, nec divitiarum thesauri. Nunc autem, heu! *totus mundus in maligno positus est,* [37] totus plenus vitiis oppositis virtutibus Ioannis: *Omne quod est in mundo,* etc. [38] Fecerunt Chaldaei tres turmas et invaserunt ac tulerunt camelos Iob servosque occiderunt, [39] sic daemones in tres classes aciesque divisi gregem Christi invadunt, et sicut satanas ad perdendam omnem substantiam Iob tribus usus fuit instrumentis: latronibus, Sabaeis et Chaldaeis qui rapuerunt boves, asinos et camelos, igne de coelo qui combussit oves, et vento qui domum ipsius funditus evertit omnesque ipsius filios filiasque occidit, [40] sic diabolus ad perdendam universam Christi Ecclesiam utitur latrocinio avaritiae, igne carnalis concupiscentiae et vento superbiae et vanitatis mundanae.

quae virtutes hodie in christianis maxime desiderantur.

35) Io 1, 23. 36) Cf. Ex 19, 16 sqq. 37) 1 Io 5, 19. Vulg.: *Mundus totus,* etc.
38) Ibid. 2, 16. 39) Cf. Iob 1, 17. 40) Cf. Ibid. vrr. 14-19.

## DOMINICA QUARTA

*Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudaeam, tetrarcha autem Galilaeae, etc.* [1]

I. Magna est felicitas hominis posse illuminatis clarisque oculis videre pulcherrimum hoc mundanum spectaculum, coelum tot astris ornatum ad instar regiae coronae cum mille pretiosissimis margaritis, terram tot locorum ac rerum in ea varietate conspicuam vallium et montium, planitierum et collium; hic prata, ibi segetes; hic horti atque pomaria, ibi vineta, oliveta et silvae; hic flumina fontesque, ibi maria, lacus et stagna; hic mitium animalium greges, ibi immanes ferae; hic humiles domus, ibi superba palatia; hic parvae villae atque castella, ibi magnae civitates atque respublicae cum infinita hominum multitudine ac ineffabili rerum tum naturalium tum artificialium varietate. Qualis autem ac quanta sit haec felicitas dicat infelix ille caecus, qui lumen oculorum amisit; hic enim pretium lucis agnoscit sicut infirmus perditam sanitatem, pauper, dilapidatis divitiis, dum egestate conficitur. Hic enim, cum ad instar talpae, a natura maledicti animalis ac perpetuo carceri teterrimo mancipati, huic totus mundus sit tenebrosissimus ac sempiternus carcer, vix ullo gaudio affici in mundo isto potest. Sic enim Tobias: *Quale mihi est gaudium, qui in tenebris sedeo et lumen coeli non video?* [2]

**Magna felicitas est visu contemplari pulcritudines universi.**

Sed quo coelum maius est terra, eo hodie maior oculis hisce nostris felicitas est promissa, dum dicitur: *Videbit omnis caro salutare Dei,* [3] illum qui *speciosus* est *forma prae filiis hominum,* [4] *in quem*

**sed maior ea est quam hodie Ioannes praedicat.**

1) Pericope huius diei Lc 3, 1-6. Cf. Missale Rom. 2) 5, 12. Vulg.: *Quale gaudium mihi erit,* etc. 3) Is 40, 5. Ex Translat. Septuaginta; Lc 3, 6. 4) Ps 44, 3.

*desiderant Angeli prospicere.*[5] Hoc hodie praedicat Ioannes Baptista iuxta vaticinium Isaiae. Magnae utique ac infinitae magnitudinis rei praedicatio.

Magnum est munus praedicationis,

II. Magna[6] res est munus evangelicae praedicationis, munus ac functio plane divina. Si enim magna opus fuit potentia, sapientia ac bonitate ad creandum mundum, nihilo minori opus est ad convertendum ac iustificandum peccatorem, cum sit difficilius opus. Siquidem solo verbo mundus creatus est, auctore Deo, et sex diebus completum universum opus; sed ad mundum Deo convertendum atque iustificandum non verbis tantum, sed multis laboribus opus fuit; nec tantum potentia, sapientia et bonitate, verum etiam nihilo minori misericordia, iustitia et caritate.

ad illud enim rite exercendum divina virtute opus est, multa sapientia et sanctitate;

Hinc Deus mittens Moysen ad praedicandum Hebraeis in Aegypto, sciens quam arduum opus esset ad quod Moysen destinabat, una secum ipse abire voluit: *Ego*, inquit, *ero tecum;*[7] *Virgam... hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa;*[8] *Ego ero in ore tuo et docebo te quid loquaris,*[9] quoniam divina virtute opus est ad convertendum hominem ad Deum, opus multa sapientia ac sanctitate. Hinc mittens Isaiam ad praedicandum, angelico ac seraphico ministerio purgavit eius labia coelesti igne;[10] mittens ad praedicandum Ieremiam, primo quidem eum adhuc ex utero sanctificavit: *Antequam te formarem in*

5) 1 Petr 1, 12. 6) In margine haec adiecta fuerunt: « Mirabili cum pompa ingreditur hodie Evangelista. Si Moyses describit mundi creationem, opus divinissimum, absque ullo apparatu simpliciter incipit: *In principio creavit Deus coelum et terram;* si ortum et natalem hominis: *Formavit... Dominus Deus hominem*, etc.; si Ioannes evangelista diviaam incarnationem monumentis consignat, simpliciter dicit: *Verbum caro factum est*, et Matthaeus: *Liber generationis Iesu Christi;* Lucas autem descripturus Ioannis praedicationem tanta utitur pompa et apparatu, profecto ut ostenderet rem esse maximi momenti praedicationem divinae veritatis. Sicut autem quamvis multo maius opus fuerit creatio mundi quam creatio hominis, Moyses tamen in creatione hominis utitur magno apparatu: *Faciamus hominem*, etc., quo non est usus in creatione mundi ita quamvis multo maius opus fuerit incarnatio quam praedicatio, Lucas tamen incarnationem describendo nullo usus est apparatu, sed simpliciter dixit: *Missus est Angelus Gabriel*, etc.; magno autem usus est in praedicatione, quoniam sicut nihil profuisset creatio mundi sine creatione hominis, ita nihil profuisset mundo incarnatio sine praedicatione. Salus enim ex fide est, *fides* autem *ex auditu... per verbum Christi;* haec scala coeli est. Hinc praedicat Ioannes quod *appropinquavit... regnum coelorum*, idest maximam, summam, infinitam aeternamque felicitatem, qua vult Deus complere desiderium hominis. Appetiit homo similitudinem Dei: *Eritis sicut Dii;* Deus autem rex coeli est; nunc vero hominibus praedicatur et promittitur regnum coelorum, regnum divinum, maximum, aeternum, quo maius non potest esse nec desiderari ».
7) Ex 3, 12. 8) Ibid. 4, 17. 9) Ibid. vr. 12. Vulg.: *Doceboque*, etc. 10) Cf. Is. 6, 6-7.

*utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te et prophetam in gentibus dedi te.* [11] Deinde cum diceret Vates se loqui nescire: *Ah, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum,* Dominus posuit manum suam super os ipsius deditque verba sua in ore ipsius, extendit, inquam, *et misit Dominus manum suam,* ait, *et tetigit os meum, et dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes... Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum... Et bellabunt adversum te et non praevalebunt, quia ego tecum sum.* [12] Contulit ergo huic Vati Deus ad praedicationis munus exequendum admirabilem sanctitatem, sapientiam et eloquentiam, virtutem et fortitudinem animi ac tandem perpetuam divinitatis suae assistentiam, quoniam divini verbi praedicandi munus superhumanum, angelicum, imo divinum est opus.

**Ideo Deus Spiritu S. Prophetas replebat, quos ad praedicandum mittebat.**

Superhumanum, inquam, superans vires humanas. Hinc Prophetas omnes, quos ad praedicandum mittebat, prius Spiritu Sancto replebat, sicut replevit Eliseum spiritu duplici Eliae [13] et septuaginta senes spiritu Moysi; [14] sic Spiritu Sancto replevit Apostolos ac discipulos Christi. [15] Munus angelicum, nam Angelos ad praedicandum missos nonnunquam legimus, uti in libro *Iudicum;* [16] et Deus ipse functus est praedicatoris officio, cum legem in Sinai monte dedit, alta voce loquens, audiente universo populo, qui veluti ad concionem audiendam congregatus erat. [17]

**Christus ad praedicandum venit in mundum et ad hoc Deus Ioannem Baptistam destinavit.**

Sic tandem Christus verus Deus ad verbum Dei praedicandum venit in mundum: *Exiit qui seminat seminare semen suum;* [18] *Evangelizare pauperibus misit me;* [19] et Ioannem Baptistam ad hoc superhumanum, angelicum ac divinum munus destinavit: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes; hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine,* ait Ioannes; [20] Matthaeus autem: *Venit Ioannes Baptista praedicans in deserto Iudaeae et dicens: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;* [21] Marcus vero: *Fuit Ioannes in deserto baptizans et praedicans baptismum poe-*

11) Ier 1, 5. Vulg.: *Prius quam,* etc. 12) Ibid. vrr. 6 sqq. 13) Cf. 4 Rg 2, 9-15. 14) Cf. Nm 11, 24-25. 15) Cf. Act 2, 1-4. 16) Cf. 2, 1-4. 17) Cf. Ex 19, 10 sqq. 18) Lc 8, 5. 19) Ibid. 4, 18. 20) 1, 6-7. 21) 3, 1-2.

*nitentiae;*[22] L u c a s tandem, ad instar summi historiographi ac diligentissimi chronistae rem summi maximique momenti Litteris consignantis, hanc Ioannis praedicationem summa cum diligentia scribit cum suis circumstantiis temporis, loci ac modi quo missus fuit Ioannes ad praedicandum.

Merito plane Evangelista tanta cum diligentia praedicationem Ioannis describit,

III. Et plane magna cum ratione tanta cum diligentia historiam istam conscribit, quoniam res summi momenti maximique pensi fuit praedicatio Ioannis; hinc non aliqualem, sed principem utique locum in Evangelio habet. Sicut enim I o a n n e s ab aeterna Christi generatione Evangelium suum exorsus fuit tanquam aquila altissime volans: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum,*[23] M a t t h a e u s a temporali nativitate sumpsit exordium: *Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham,*[24] L u c a s orditus fuit Evangelii sui telam a conceptu mirabili et angelica nunciatione nativitatis Ioannis,[25] et M a r c u s a praedicatione ipsius Ioannis: *Initium Evangelii Iesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Fuit Ioannes,* etc.[26] Quattuor ergo Evangeliorum duo incipiunt a Christo et duo a Ioanne, sicut etiam quattuor temporum anni duo initia vindicavit sibi Christus et duo Ioannes; Christus enim conceptus fuit in vernali aequinoctio, sed natus in hiemali solstitio; Ioannes vero natus in aestivali solstitio, conceptus fuit in autumnali aequinoctio; Christus conceptus et natus crescentibus diebus, Ioannes vero decrescentibus.

agitur enim de re summi momenti.

Cum ergo Ioannis praedicatio res summi momenti esset quae sibi initium Evangelii vindicavit, merito L u c a s tanta cum diligentia describit, tanquam chronista a tempore incipiens: *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudaeam, tetrarcha autem Galilaeae Herode,* etc.

Non immerito E v a n g e l i s t a meminit romani imperii ac monarchiae, quae fuit post monarchiam Assyriorum ac Chaldaeorum, post monarchiam Persarum et Medorum et post monarchiam Mace-

22) 1, 4. 23) 1, 1. 24) 1, 1. 25) Cf. 1, 5 sqq. 26) 1, 1-4.

donum et Graecorum; sed huius imperii mentionem faciens, mysterium sacramentumque adventus Christi revelat et aperit, quasi solvens septem signacula coelestis illius libri obsignatissimi Sacrae *Apocalypseos.*[27] Quattuor illae monarchiae, quas diximus, in Divinis Litteris reperiuntur multis hieroglyphicis sacrisque figuris designatae et multis in locis Sacrorum Vatum, quoniam omnes quattuor captivum ac sub servitute retenturae erant populum Hebraeorum. Designantur in quattuor illis pestibus Ioelis: *Residuum erucae comedit locusta et residuum locustae comedit bruchus et residuum bruchi comedit rubigo,*[28] ubi populum per segetes designat, quattuor autem monarchias populo infestas per quattuor genera locustarum: per erucam, hebraice גָּזָם, a rodendo et praecidendo segetes, monarchiam Assyriorum ac Chaldaeorum, a quibus captivati nimiumque afflicti fuerunt, uti a Teglathphalasar,[29] Salmanasar,[30] Sennacherib[30a] et tandem Nabuchodonosor;[31] per locustam, hebraice אַרְבֶּה, ab insidiando, monarchiam Medorum atque Persarum, qui tum multitudine et copiis exercituum tum insidiis maxime valuerunt, et ab his quoque populus valde afflictus fuit, ut patet in Danielis.[32] Nehemiae,[33] Esdrae,[34] Esther[35] ac Tobiae[36] libris; per bruchum, hebraice יֶלֶק, a lambendo, eo quod longe lateque[37] genus istud volando diffusum segetes lambat, monarchiam Graecorum, quae in Alexandro Magno incepit qui, devicto Dario, transtulit in Graeciam imperii diadema et duodecim annorum spatio volando potius quam currendo, ad extremos usque Indos penetravit;[38] sed a Graecis quoque miro modo Iudaei afflicti sunt, ut patet in *Machabaeorum* libris; tandem per rubiginem, hebraice חָסִיל, a devorando ac devastando, designatur romanum imperium, a quo per Pompeium primo subactus fuit Iudaeorum populus romanae ditioni, ac tandem, post Christum, per Vespasianum et Titum ad nihilum fere redactus fuit, eversa funditus Iudaeorum republica.[39]

Meminit Evangelista romanae monarchiae,

quae ultima fuit ex quattuor hieroglyphice designatis a Ioele.

27) Cf. 5, 1-5. 28) 1, 4. 29) Cf. 4 Rg 15, 29; 1 Par 5, 26; 2 Par 28, 20. 30) Cf. 4 Rg 17, 3-6; 18, 9-12. 30a) Cf. ibid. 18, 13; 2 Par 32, 1. 31) Cf. 4 Rg 24, 1-25, 1-22; 2 Par 36, 6-20. 32) Cf. 1, 1-2. 33) Cf. Esr, qui et *Nehemiae* dicitur, 1, 1 sqq. 34) Cf. 1 Esr 2, 1 sqq. 35) Cf. 3, 1 sqq. 36) Cf. 1, 1 sqq. 37) Ms.: *Latateque.* 38) Cf. 1 Mach 1, 1-8. 39) Cf. G. Flavio *Delle Antichità Giudai-*

a Zacharia

Designata sunt etiam haec quattuor imperia per quattuor cornua, *quae ventilaverunt Iudam... Israel et Ierusalem* apud Zachariam;[40] item per *quattuor quadrigas egredientes de medio duorum montium* aereorum, habentes prima equos rufos, secunda nigros, tertia albos et quarta varios et fortes.[41] Haec designantur per quattuor animalia Ezechielis: prima per leonem, secunda per hominem, tertia per taurum et quarta monarchia per aquilam,[42] haec enim insigne est romani imperii.

et a Daniele.

Haec per quattuor animalia quae vidit Daniel: *Quattuor bestiae grandes ascendebant de mari diversae inter se:* prima quasi leaena habens alas aquilae, secunda quasi ursus habens tres ordines dentium in ore, tertia sicut pardus habens quattuor alas et quattuor capita et quarta bestia *terribilis... mirabilis et fortis nimis,* habens dentes ferreos.[43] Haec eadem tandem in quattuor partibus statuae, quam in somnis vidit Nabuchodonosor: in capite aureo primum, in pectore argenteo secundum, in ventre aereo tertium et in tibiis ferreis quartum Romanorum; sed tunc lapis excisus est de monte sine manibus percussitque et ad nihilum redegit statuam, ipse vero crevit et implevit totam terram, quod Christi regnum designat, in quo mysterio ac sacramento magno praefigurabatur quod tempore romani imperii venturus erat Christus;[44] et ob id Lucas hodie meminit romani imperii: *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris.*

Notat etiam Evangelista subiectionem Iudaeae romano imperio.

IV. Quoniam vero non tantum imperii romani tempore venturus erat Christus, sed tempore quo Iudaeorum populus subiectus esset romano imperio, hinc ait: *Procurante Pontio Pilato Iudaeam;* nam ait: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius,* etc.[45] Balaam quoque, cum vaticinans de Christi adventu dixisset: *Orietur stella ex Iacob et exurget virga de Israel,* postea subiunxit: *Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios vastabuntque Hebraeos.*[46] Et quoniam Iacob non tantum ablato regali sceptro, sed etiam omni temporali dignitate a tribu Iuda, non item a ceteris tribubus dicit, hinc Evangelista, cum dixisset: *Procurante Pontio Pilato,*

*che*, lib. 14, cp. 8, pag. 128-130; *Della Guerra Giudaica*, lib. 1, cp. 7, pag. 28-31; lib. 6, cp. 10, pag. 483. 40) 1, 19. 41) Cf. ibid. 6, 1-3. 42) Cf. 1, 10. 43) 7, 3-8. 44) Cf. ibid. 2, 31-45. 45) Gn 49, 10. 46) Nm 24, 17. 24. Vulg.: *Et consurget virga*, etc

idest praesidente loco romani imperatoris, quare nullus erat in Iudaea princeps qui rempublicam administraret et iudaeus esset, in ceteris vero provinciis non sic, ob id ait: *Tetrarcha autem*, idest principe et rege *Galilaeae Herode* Antipa, filio magni Herodis Ascalonitae qui innocentes interfecit,[47] *Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis regionis, et Lysania tetrarcha Abilinae*[48] provinciae. Sublato enim rege Iudaeae Archelao, Herodis maioris filio, ab imperatore, Iudaea a romanis praesidentibus semper gubernata fuit usque ad Ierosolymorum excidium. Herodes autem Antipas, tetrarcha et rex Galilaeae, iudaeus erat religione, similiter Philippus tetrarcha Ituraeae et regionis Trachonitidis; Lysanias autem iste quisnam fuerit tetrarcha Abilinae regionis ignoratur. Non enim hic filius fuit Herodis, ut multi putant[49] illum in quattuor partes regnum suum divisisse ac propterea dici tetrarchias partemque unam reliquisse Archelao, cui successerit Pilatus, secundam Antipae, tertiam Philippo et quartam Lysaniae. Nam regnum quidem Herodes, ut refert Ioseph libro 17 *Antiquitatum*, capite 10,[50] in tres partes divisit ultimo testamento, et dimidiam quidem regni totius partem Archelao dedit ac deinde duas tetrarchias Philippo et Antipae. Quod si tetrarchia secundum nomen quartam partem principatus significet, forte quod Syriae administratio [a] Graecis quadripartita fuerit et sic factae fuerint tetrarchiae principesque dicti tetrarchae, postea tamen tetrarchiae nomen cuilibet principatui, quod ad regni instar esset, tributum est, ut docet Plinius libro 5 *Historiae*, capitibus 18[51] et 23,[52] ubi multas enumerat tetrarchias. Nec potest esse iste Lysanias ille filius Ptolomaei Mennei, de quo Ioseph libro 14, capite 23,[53] ut quidam arbitrantur, nam ille multo ante fuerat Cleopatrae arte necatus, ut refert idem Ioseph 15 libro, capite 4;[54] sed forte ille est de quo Ioseph libro 15, capite 13,[55] huius vero meminisse Lucam eo quod haec quoque tetrarchia pars esset regni Hebraeorum. Abila enim, unde Abilina dicta est tetrarchia, civitas est in provincia Decapoleos, cuius mentio fit in Evangelio Matthaei[56]

47) Cf. Mt 2, 16. 48) Lc 3, 1. Vulg.: *Abilinae tetrarcha*. 49) Cf. S. Beda *Exposit. in Lucam*, (P. L. 92, 351); Adrichomius *Theatrum Terrae Sanctae*, pag. 101; *Vita Iesu Christi*, pag. 261. 50) Pag. 353. 51) Pag. 45. 52) Pag. 46. 53) *Delle Antichità Giudaiche*, pag. 168. 54) Ibid. pag. 212. 55) Ibid. pag. 251. 56) Cf, 4. 25.

et M a r c i ,[57] sic dicta eo quod decem haberet civitates, ut refert P l i n i u s libro *Historiarum* 5, capite 18.[58]

hoc enim signum datum fuerat adventus Messiae.

Cum ergo omnes aliae regni Hebraeorum provinciae suos haberent principes, sola Iudaea, tribus Iuda, sine rege et sine principe erat. Nam utrunque ait Patriarcha: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux*, sive princeps, *de femore eius*. Nam etsi in babylonica captivitate ablatum fuit sceptrum regale, non tamen ablatus fuit principatus; nam principes fuerunt tres pueri,[59] princeps Zorobabel, princeps Nehemias.[60] Imo, quoniam in tribu Iuda futurum erat templum Domini, in Ierusalem metropoli civitate ac capite totius regni, ibi quoque futura erat sedes summi sacerdotis ubi et clavus regni; in adventu autem Christi etiam sacerdotalis dignitas abroganda erat, commutataque lege in Evangelium, commutandum erat aaronicum sacerdotium in sacerdotium secundum ordinem Melchisedech. Hinc utrunque dixit Patriarcha; hinc etiam E v a n g e l i s t a ait: *Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha.*[61]

idest abrogatio dignitatis regalis et sacerdotalis a tribu Iuda.

Recenset quoque plures principes sacerdotum, dum secundum legem unus tantum esse debebat.

Secundum legem unus tantum futurus erat princeps sacerdotum et summus pontifex, de semine Aaron secundum rectam lineam,[62] nunc autem non amplius secundum legem consistebat summum sacerdotium, fiebant enim ad libitum praesidentium Romanorum vendebanturque et emebantur, forte annuatim. Nam de Caipha ait I o a n n e s quod *erat pontifex anni illius*,[63] nam forte priori anno fuerat Annas, quem L u c a s non solum hic, sed etiam in *Actis Apostolorum* praefert Caiphae: *Annas*, inquit, *princeps sacerdotum et Caiphas et Ioannes et Alexander;*[64] nam I o s e p h libro 18 *Antiquitatum*, capite 3, refert de Valerio Grato quod summa facilitate pontifices amovebat et ab eo Caipham fuisse creatum.[65] Quare non secundum legem erat pontifex, si solus ipse pontifex erat; Annas vero princeps collegii *Sanhedrin*, sive scribarum, qui tempore Moysi coeperunt in septuaginta senioribus, quibus Moysi spiritus datus fuit ad iuste iudicandum regendumque.[66] Horum enim erat civium causas dirimere ac iudicare populumque legem docere divinaque mysteria legis interpretari ac solvere difficultates canonesque et decreta sacra con-

57) Cf. 5, 20; 7, 31. 58) Pag. 45. 59) Cf. Dn 1, 3-6. 60) Cf. 1 Esr 2, 2; 4, 2-3; Eccli 49, 13-15. 61) Lc 3, 2. 62) Cf. Ex 28, 43. 63) 18, 13. 64) 4, 6. 65) Pag. 389. 66) Cf. Nm 11, 16-25.

stituere, uti legis doctores ac sapientes. Quod quidem collegium Herodes maior crudeliter perdidit, ut refert Ioseph libro 14, capite 17, ex novisque hominibus suffecit.[67] Sed forte horum quoque princeps et caput erat Annas, ut essent in Iudaeorum republica duo capita, ad instar Moysi et Aaron, quorum hic quidem caput fuit sacerdotum, ille vero iudicum,[68] qui *Sanhedrin* dicebantur. Quamvis etiam aliquando tempore David duo fuerint in populo summi sacerdotes uno eodemque tempore: Abiathar et Sadoch,[69] quorum vices David distribuit ne inter eos contentio oriretur, *1 Paralipomenon* 24, ubi etiam constituuntur vigintiquattuor principes sacerdotum, qui per hebdomadas suas cum suis classibus Domino ministrarent;[70] hi tamen, qui hic dicuntur principes sacerdotum Annas et Caiphas, non de horum numero erant, sed principes sacerdotum, idest summi pontifices dicuntur, etsi non simul tempore summo pontificatu fungerentur; sed Ioannes, quamvis brevi tempore praedicarit, sub uno tamen pontifice coeperit et sub altero praedicationem compleverit.

Quomodocunque autem fuerit, vel simul summi sacerdotes, ut sentit Augustinus *tractatu 49 in Ioannem*,[71] vel annui, ut sentit Beda *in Lucam*,[72] vel quod unus quidem caput esset sacerdotum, alter vero iudicum *Sanhedrin*, Lucas horum meminit, quoniam non secundum legem erant principes sacerdotum antiquatumque esse ac prope interitum sacerdotium aaronicum. Quare summa cum ratione Lucas meminit imperii Romanorum, praesidentiae Iudaeorum tetrarchiarum et principum sacerdotum, sed ad significanda quae diximus.

quo significatur sacerdotium etiam prope esse interiturum.

Et adhuc ad ostendendum tempus aetatis Ioannis cum missus ad praedicandum fuit. Nam quintodecimo imperii Tiberii anno Ioannes triginta erat annorum, natus enim fuit quadragesimo secundo anno Augusti, qui quinquaginta septem annis regnavit,[73] unde cum Christus a Ioanne baptizatus fuit, triginta annorum erat, ut refert Lucas.[74] Ioannes ergo vir perfectae aetatis coepit praedicare anno aetatis suae trigesimo vel trigesimo primo. Nam si Christus triginta

Hac descriptione Evangelista ostendit tempus aetatis Ioannis et eius praedicationis.

67) Pag. 148; cf. etiam lib. 15, cp. 3, pag. 205. 68) Cf. Nm 3, 10; 11, 16-17.
69) Cf. 2 Rg 15, 24-29. 70) Cf. vrr. 1-19. 71) P. L. 35, 1757. 72) Ibid. 92, 351.
73) Cf. Giuseppe Flavio *Delle Antichità Giudaiche*, lib. 18, cp. 3, pag. 388-389.
74) Cf. 3, 23.

annos completos habebat cum baptizatus fuit, expletis tribus annorum decadibus, ut Divus Ignatius testatur in epistola *ad Tralianos*,[75] Ioannes, triginta aetatis annos iam completos habebat, cuius aetatis fuit Ioseph cum sacra mysteria interpretatus fuit coram Pharaone et constitutus princeps summus in regno;[76] huius aetatis David cum factus fuit rex Iudaeorum in Hebron;[77] huius aetatis Ezechiel cum divinorum mysteriorum revelationem accepit ac Divino Spiritu afflatus praedicare ac prophetare coepit.[78] Sic cum vir perfectae aetatis factus fuisset, Ioannes missus est ad praedicandum; vir perfectus, *in mensuram aetatis plenitudinis Christi*,[79] nam in eadem aetate Christus praedicare coepit.

Describit etiam imperium romanum unitum ad significandam futuram unitatem Ecclesiae per fidem.

Nec immerito tempus praedicationis huius Lucas per regnum et sacerdotium describit, sed quia praedicaturus erat Ioannes Christum, qui et rex futurus erat et sacerdos *secundum ordinem Melchisedech*.[80] Nec sine causa imperium Romanorum describit unitum, sed Iudaeorum regnum in quattuor partes divisum, sed quia per Evangelii praedicationem populus Gentium unitati Ecclesiae per fidem colligendus aggregandusque erat; sed populus Iudaeorum ob incredulitatem et perfidiam per universum mundum dispergendus. Sic Iacob egresso e domo, Esau ingrediens benedictionem suscepturus erat: *In pinguedine terrae et in rore coeli desuper erit benedictio tua.*[81]

Describit locum praedicationis Ioannis, quod non vacat mysterio,

V. Nec tantum tempus, verum etiam locum Ioannis praedicationis Evangelista describit: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto, et venit in omnem regionem Iordanis.*[82] Ab interiori deserto mittitur in regionem Iordanis, utique in desertum locum. Sic enim Deus a deserto misit Moysen ad praedicandum Hebraeis apparens illi pascenti gregem in interiori deserto;[83] hoc est: *Factum est verbum Domini super Ioannem*, idest iussum illi fuit a Deo, qui forte illi sicut Moysi apparuit eumque veluti alterum Moysen misit, nam inquit: *Qui misit me baptizare ... ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, ille est qui baptizat in Spiritu Sancto.*[84] Et sicut lex in deserto data fuit legemque

75) P. G. 5, 794. 76) Cf. Gn 41, 46. 77) Cf. 2 Rg 5, 4-5. 78) Cf. Ez 1, 1.
79) Eph 4, 13. 80) Ps 109, 4; Hebr 7, 17. 21. 81) Gn 27, 39-40. 82) Lc 3, 2-3.
83) Cf. Ex 3, 1-6. 84) Io 1, 33.

Moyses in deserto prope Iordanem praedicavit, sic Ioannes. Nec immerito lex in deserto data fuit a Deo et in deserto a Moyse praedicata, sed ut sciamus quod carnis concupiscentia, cupiditas oculorum et superbia vitae,[84*] quae in civitatibus sunt, impediunt divinae legis observantiam. Haec enim sunt spinae quae suffocant sementem patrisfamilias: *A sollicitudinibus,* inquit, *et divitiis et voluptatibus saeculi euntes suffocantur et non referunt fructum.*[85]

Praedicabat Ioannes in regione Iordanis, quia sicut cum in eodem loco Moyses populo legem praedicavit et declaravit, prope erant ut terram promissionis ingrederentur, duce Iosue transito Iordane,[86] sic nunc prope erant [ut] a deserto synagogae et legis transiretur ad terram promissionis Ecclesiae et Evangelii per Baptismi sacramentum, per quod mundandi erant homines a lepra peccati, sicut Naaman syrus,[87] et grave cor hominis ascensurum erat sursum per amorem ac desiderium coelestium, sicut ferrum Elisei,[88] per quod homo aditum sibi parat in coelum sicut Elias.[89]

**nam Iordanis flumen figura erat Baptismi.**

VI. Describit personam quae missa ad praedicandum fuit: *Ioannem Zachariae filium.* Ioannes, inquit, filius Zachariae et Elisabeth missus fuit ad praedicandum; Ioannes ille qui ab Angelo praenunciatus fuit, qui ex matris utero plenus fuit Spiritu Sancto, qui miraculo natus fuit, cui divinitus impositum fuit nomen Ioannis,[90] qui g r a t i a et misericordia interpretatur; filius Zachariae, quod est d i v i n a m e m o r i a, filius Elisabeth, quod est d i v i n u m i u r a m e n t u m, quae tria pater ipsius vaticinans interpretari visus est dicens: *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris et memorari testamenti sui sancti. Iusiurandum quod iuravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.*[91]

**Describit personam missam ad praedicandum.**

Haec erat vita Ioannis: gratia, caritas, amor, memoria divinorum beneficiorum, contemplatio mysteriorum coelestium, semper a mundo corpore spirituque remotus ab infantia: *Puer,* inquit, *crescebat et confortabatur spiritu et erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel.*[92] Hinc in deserto *factum est verbum Domini super*

**Ioannis vita a nativitate sanctissima fuit et ab infantia asperrima.**

84*) Cf. 1 Io 2, 16. 85) Lc 8, 14. Vulg.: *Voluptatibus vitae,* etc. 86) Cf. Ios 3, 1 sqq. 87) Cf. 4 Rg 5, 1-15. 88) Cf. ibid. 6, 6-7. 89) Cf. ibid. 2, 1-12 90) Cf. Lc 1, 5-63. 91) Ibid. vrr. 72-73. 92) Ibid. vr. 80.

eum, *Ioannem*, cuius vita asperrima fuit quoad victum atque vestitum: *Habebat* enim *vestimentum de pilis camelorum et zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem eius erat locustae et mel silvestre;* [93] vestitus, inquit, vilissimus fuit ac similis indumento Eliae, qui et ipse pilosum vestimentum zonamque pelliceam induit; [94] sed in victu maior Elia, ille enim manducavit panem et carnem, vinum quoque bibit, [95] Ioannes vero vinum et siceram non bibit [96] sicut alter Samson [97] et sicut Nazaraei, [98] et neque panem manducavit, ut testatur Dominus Matthaeo 11 [99] et Luca 7, [100] sed cibus eius fuit ἀκρίδες, [101] quae quidem vox Graecis duo significat: herbarum plantarumque summitates – hinc Theophylactus testatur hic nonnullos per ἀκρίδες intelligere genus quoddam herbarum et fructus agrestes, [102] sic etiam Isidorus Pelusiota *ad Timotheum*, libro 1, epistola 132, [103] et *ad Nilum*, epistola 5, libro 1, testatur cibum Ioannis herbarum summitates fuisse, [104] – significat etiam haec vox insecti genus in Palaestina notissimum et abundans, quibus Iudaeis vesci licitum erat, ut patet *Levitico* 11, [105] et Hieronymus libro 2 *in Iovinianum* testatur orientales ac Lybiae populos his vesci; [106] Plinius etiam libro 11, capite 29, testatur Parthis locustas in deliciis fuisse, [107] et libro 6, capite 30, quosdam Aethiopiae populos nonnisi hoc cibo vivere, fumo eas exiccantes et oleo ac sale condientes. [108] His vero usum fuisse Ioannem in cibum tradit Beda *De Locis Sanctis*, capite 14, ex relatione Sancti Archulphi episcopi, qui Loca Sancta visit, ubi ex eiusdem relatione tradit mel silvestre arborum quarumdam folia esse lactei coloris ac mellei saporis. [109] Isidorus vero ait mel istud silvestre non herbas esse, [110] sed mel montanum, ab agrestibus apibus confectum, quod amari inquit esse saporis. [111] Alii putant mel esse ericaeum, quod Plinius libro 10, capite 16, tertium facit mellis genus, quod ab erica fructice colligitur autumnali tempore; [112] alii mel quidem verum et dulce, ad illius

93) Mt 3, 4. 94) Cf. 4 Rg 1, 8. 95) Cf. 3 Rg 17, 6; 19, 6. An Elias vinum biberit S. Scriptura non loquitur. 96) Cf. Lc 1, 15. 97) Cf. Idc. 13, 3-7. 98) Cf. Nm 6, 1-4. 99) Cf. vr. 18. 100) Cf. vr. 33. 101) Ms.: *Acrides*, et infra.
102) *Enarrat. in Evang. Matthaei*, (P. G. 123, 173-174). 103) Ibid. 78, 270.
104) Ibid. col. 183. 105) Cf. vr. 22. 106) P. L. 23, 295. 107) *Hist. Nat.*, pag. 126.
108) Ibid. pag. 63. 109) T. 3, col. 495. Editio Basileae per Io. Hervagium 1563.
110) Ms.: *Dicit* adicitur. 111) *Etymol.*, lib. 20, cp. 2, (P. L. 82, 711). 112) Cf. *Hist. Nat.*, pag. 122.

instar quod Ionathas in saltu invenit ac degustavit, [113] abundans enim est Palaestina feris apibus et incultis, mellificantibus in arboribus et petrarum cavernis. [114] Utcunque tamen sit, Ioannes ad praedicandam poenitentiam missus, toto vitae suae tempore asperrimam poenitentiam egit, absque ullis deliciis ac voluptatibus carnis et sensus, sed in terra semper coelestem et angelicam vitam duxit.

**Desrribit modum quo Ioannes ad praedicandum venit**

VII. Describit modum quo ad praedicandum venit: *Factum est verbum Domini.* Non, inquit, a seipso venit, proprio spiritu impulsus sed actus Spiritu Sancto, missus a Deo sicut mittebantur Prophetae, ad praedicandum: *Quomodo* enim *praedicabunt nisi mittantur?* [115] Existimabat Ioannes se imparem, ineptum indignumque esse ad tale tantumque munus pro dignitate exercendum, ideo quamvis Dei gloriam hominumque salutem summopere desideraret, non tamen ausus fuit a seipso ad praedicandum exire, sed divinum expectavit mandatum. Sicut enim Moyses imparem se, ineptum indignumque existimavit legatione illa, qua Deus ipsum mittebat ad Pharaonem et ad populum suum, [116] sic Ioannes humillimus, qui ait: *Non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamenti.* [117] Nec tantum indignum, sed etiam ineptum se existimavit, hinc Ioannes quidem ἄξιος [118] habet, quod est *indignus*, sed ceteri Evangelistae ἱκανὸς, 'quod est *ineptus.* [119] Missus tamen a Deo, promptissime obedivit; hinc ait: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto, et venit,* statim, immediate, nulla interposita mora, ex tempore venit ad divinum exequendum mandatum; non restitit ut Moyses, unde iratus in illum est Dominus, [120] sed humillime ac promptissime obedivit, quamvis mitteretur ad opus multo maius quam erat opus ad quod missus Moyses fuit; imo tanto maius quo coelum universum maius est terra, Deo homini; ille enim terram promissionis praedicaturus erat, iste vero divinam terram, terram supercoelestem, paradisum gloriae. Nec id tantum, sed etiam Deum hominem factum, quod omnem humanae mentis intellectusque infinitis gradibus superat captum, putans se omnia posse in Deo qui eum mittebat. [121]

113) Cf. 1 Rg 14, 25-29. 114) Hoc asserunt visitatores Palaestinae. Cf. Aug. Calmet *Comment. in 1 Regum*, cp. 14. 115) Rom 10, 15. 116) Cf. Ex 3, 11; 4, 10-13. 117) Lc 3, 16. Vulg.: *Solvere corigiam calceamentorum eius.* 118) 1, 27. Ms.: αξιος. 119) Mt 3, 11; Mc 1, 7; Lc 3, 16. Ms.: ιχανος. 120) Cf. Ex 4, 14. 121) Cf. Phil 4, 13.

Tandem Ioannis praedicationem Evangelista describit et quidnam praedicaverit docet: *Praedicans*, inquit, *baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.*[122] Tria praedicabat Ioannes: primo, poenitentiam, sive *baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum: Poenitentiam agite;* secundo, gloriam regni coelestis, cuius ipse primus fuit praedicator: *Appropinquavit enim regnum coelorum;*[123] tertio, adventum Christi: *Veniet fortior me post me, cuius* ego *non sum dignus... solvere corigiam calceamentorum eius.*[124]

et indicat quidnam praedicaverit,

Primo, inquam, Ioannes poenitentiam praedicabat et baptismum in signum poenitentiae, ob id enim baptismus Ioannis dicebatur *baptismus poenitentiae*, peculiari nomine, sicut in *Actis Apostolorum* legimus: *Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae populum dicens: In eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Iesum;*[125] nam, ut ipsemet Ioannes ait: *Ego... baptizo vos... aqua in poenitentiam.*[126] Quare cum intueor Ioannem missum ad praedicandam poenitentiam, videre mihi videor Ionam missum ad praedicandum Ninivitis,[127] imo ipsum Moysen, qui ante adventum Domini ad dandam legem de coelo, missus a Deo fuit ad sanctificandum populum; ait enim illi Deus: *Vade ad populum et sanctifica illos hodie et cras laventque vestimenta sua et sint parati in diem tertium... Descenditque Moyses de monte ad populum et sanctificavit eum. Cumque lavissent vestimenta sua, ait ad eos: Estote parati in diem tertium et ne appropinquetis uxoribus vestris.*[128] Et homo quidem per poenitentiam peccatorum sanctificatur: sic David,[129] sic Ninivitae,[130] sic Magdalena;[131] hinc Ioannes praedicat poenitentiam et hac praedicatione sanctificat populum, nam: *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.*[132] Cum autem corpora animarum sint vestimenta, Ioannes vestimenta ista lavabat dum baptizabat; nam, ut Matthaeus ait: *Exibat ad eum Ierosolyma et omnis Iudaea et omnis regio circa Iordanem et baptizabantur ab eo... confitentes peccata sua.*[133] Tertio, Ioannes praedicabat ut parati essent ad Dominum recipiendum dicens: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis*

idest primo poenitentiam,

122) Lc 3, 3. 123) Mt 3, 2. 124) Mc 1, 7. Vulg.: *Venit post me*, etc.
125) 19, 4. 126) Mt 3, 11. 127) Cf. Ion 1, 1-2; 3, 1-2. 128) Ex 19, 10-15.
129) Cf. 2 Rg 12, 1-14. 130) Cf. Ion 3, 1 sqq. 131) Cf. Lc 7, 36 sqq.
132) Io 15, 3. 133) 3, 5-6.

*implebitur et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa et aspera in vias planas.*[134]

Quare docuit Ioannes ad amussim tres poenitentiae partes: contritionem cordis, confessionem oris et satisfactionem operis. Contritionem, inquam, cordis: *Poenitentiam agite*, graece est unum tantummodo verbum: μετανοεῖτε, idest, ut Petrus in *Actis* ait: *Poenitemini*,[135] poenitudine ducimini: haec est contritio cordis; deinde, inquit, confitebantur peccata sua: ecce oris confessio; et tandem baptismum suscipiebant in poenitentiam peccatorum suorum.

**et tres poenitentiae actus: contritionem, confessionem et satisfactionem.**

Imo docebat eos Ioannes ut digna satisfactionis opera facerent, dicens: *Facite... dignos fructus poenitentiae.*[136] Quare etsi vox ista μετανοεῖτε secundum se non significat nisi cordis animique poenitudinem ac resipiscentiam, in Scripturis tamen Divinis non tantum internam, verum etiam externam poenitentiam significat, qualis fuit poenitentia Ninivitarum, ut poenitentia nostra similis sit poenitentiae Dei, de qua legimus quod *videns Dominus Deus quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum quod hominem fecisset in terra; et praecavens in futurum et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terrae.*[137] Nec tantum dolore cordis tactus intrinsecus dicitur et verbis animi dolorem manifestat, sed etiam aperit cataractas coeli maximoque diluvio quadraginta dierum omnes peccatores delet de terra.[138] Haec autem *ad nostram doctrinam scripta sunt*,[139] voluit nos docere Deus humana veluti forma indutus poenitentiae salutaris virtutem qua delentur omnia peccata.

**Poenitentia nostra interna et externa esse debet.**

VIII. Poenitentia itaque in Divinis Scripturis non tantum resipiscentiam ac recognitionem tantummodo peccati scelerisque commissi significat, sed etiam corporis afflictationem ob patrata scelera admissaque delicta. Hinc Paulus *2 ad Corinthios* poenitentiam veluti definiens ait: *Gaudeo non quia contristati estis, sed quia contri-*

**Vera poenitentia significat non tantum resipiscentiam et cognitionem peccati,**

134) Lc 3, 4-5. 135) 2, 19. 136) Lc 3, 8. 137) Gn 6, 5-7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus, iussu Clementis VIII recognitis, verba: *Praecavens in futurum* expuncta fuerunt. 138) Cf. ibid. 7, 1 sqq.
139) Rom 15, 4.

*stati estis ad poenitentiam. Contristati enim estis secundum Deum... Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur... Ecce enim hoc ipsum secundum Deum vos contristavi, quantam in vobis operatur sollicitudinem! sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam.*[140] Ubi primo contra perniciosum haereticorum nostri temporis errorem dicentium poenitentiam nonnisi resipiscentiam quandam esse,[141] docet Apostolus per poenitentiam aliud intelligendum esse quam resipiscentiam; nam si poenitentia nonnisi mentis resipiscentia est et peccati cognitio, non diceret Apostolus quod tristitia secundum Deum operatur poenitentiam; tristitia enim sequitur cognitionem et ex cognitione mali oritur, cognito enim malo quod displicet, tristamur; sed ait quod tristitia secundum Deum, quae quidem poenitudo est animi cordisque dolor et contritio ob peccata commissa, operatur poenitentiam, idest poenitentiae opera in salutem stabilem, sicut in Ninivitis videre est.

sed eam animi tristitiam ob patrata scelera quae ad poenitentiae opera incitet.

Deinde, huic poenitentiae et internae et externae, tum secundum animam tum secundum corpus, septem tribuit Apostolus: sollicitudinem, defensionem, indignationem, timorem, desiderium, aemulationem atque vindictam. *Sollicitudinem* emendandi erratum, sicut qui, cognito gravi morbo, sollicitus est de curatione, qui ignem videt in domo sua accensum, sollicitus est de aqua. *Defensionem*, sive purgationem, ἀπολογίαν[142] habet Graecus Textus. Sed sicut homo apud homines purgatur atque defenditur negando peccatum, sic apud Deum defenditur et purgatur confitendo peccatum; sic enim David ab ira divinae iustitiae se defendit dicens: *Peccavi Domino*, unde statim dictum est illi: *Dominus... transtulit peccatum tuum*, noli timere, *non morieris*,[143] ubi Adam seipsum excusando magis peccavit.[144] Et David quidem admirabilem quandam apologiam fecit pro peccato suo in *Psalmo* suae poenitentiae dicens: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam;*[145] sic humilis publi-

Talis poenitentia septem actus comprehendit.

140) 7, 9-11. Vulg.: *Secundum Deum contristavi vos*, etc. 141) Cf. Erasmus Roterodamus *Novum Testamentum*, t. 6, col. 20; Io. Calvinus *Institut. Christianae Religionis*, lib. 3, cp. 3, pag. 211; Theodorus Beza *Testamentum Novum* e graeco in latinum versum, h. l; S. Rob. Bellarminus *De Controversiis Christianae Fidei*, t. 3, *De Poenitentia*, lib. 1, cp. 7, pag. 476.
142) Ms.: *Apologhiam*. 143) 2 Rg 12, 13. 144) Cf. Gn 3, 12 sqq. 145) Ps 50, 1.

canus,[146] sic Magdalena.[147] Operatur poenitentia *indignationem*, idest odium peccati et indignationem odiumque contra corpus peccati, contra carnem, contra sensum, contra mundum, contra diabolum, contra omnem occasionem peccati; operatur *timorem* divinae iustitiae divinique iudicii tremendissimi et horrendissimi, ne ob peccatum amittat aeterna bona et acquirat sempiterna mala; operatur *desiderium* iustitiae perfectae, gratiae et caritatis, desiderium misericordiae et benignitatis divinae, desiderium coelestis patriae in qua homo liber ab omni peccato erit; operatur *aemulationem*, idest zelum ut homo aemuletur charismata semper meliora;[148] operatur zelum divini honoris et propriae salutis; et tandem operatur *vindictam*, ut Saul sumat arma contra Amalec,[149] vindictam contra omnia vitia et peccata, vindictam contra concupiscentiam carnis et oculorum et contra superbiam vitae,[150] vindictam contra omnes inimicos salutis nostrae *per arma iustitiae a dextris et a sinistris.*[151]

**Haec est vera poenitentia quam Ioannes praedicabat.**

IX. Haec est poenitentia quam praedicabat Ioannes: *Poenitentiam agite.* Primo, inquam, poenitentiam cordis, per hanc enim sanctificatur homo, per odium peccati et vitii amoremque virtutis et gratiae Dei intimum desiderium; secundo baptizat, facit ut lavent vestimenta Hebraei ab omnibus sordibus; vestimenta animarum sunt corpora nostra, sordes sunt mali mores qui turpem sordidamque faciunt hominis conversationem; haec vestimenta lavanda sunt a sordibus, deponendi sunt mali mores in externa nostra conversatione; et tandem *sint*, inquit, *parati in diem tertium: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.*[152]

**Vera poenitentia tria a peccatore requirit:**

Peccatori homini ut salvetur tria sunt facienda: primum, per poenitentiam delenda sunt praeterita peccata; secundum, ducenda illi est vita innocens et immaculata absque vitiis et peccatis; tertium, studendum illi est et satagendum ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faciat,[153] studendum ut divinarum virtutum pro viribus perfectionem acquirat. Hoc est iter trium dierum,[154] hi sunt tres dies quibus sanctificandus est populus,[154*] hae sunt tres partes

146) Cf. Lc 18, 13. 147) Cf. ibid. 7, 37-38. 148) Cf. 1 Cor 12, 31. 149) Cf. 1 Rg 15, 2-7. 150) Cf. 1 Io 2, 16. 151) 2 Cor 6, 7. 152) Mt 3, 3; Lc 3, 4. 153) Cf. 2 Petr 1, 10. 154) Cf. Ex 3, 18. 154*) Cf. Ex 19, 10-11.

divini templi,[155] hoc mare Rubrum, desertum et terra promissionis. Haec tria docet Ioannes, dum praedicat poenitentiam, dum baptizat, dum dicit: *Parate viam Domini.*

veram conversionem ad Deum, vitam immaculatam et sinceram pietatem.

Haec tria Samuel populum Dei docuit dicens: *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth, et praeparate corda vestra Domino et servite illi soli, et eruet vos de manu Philisthiim.*[156] Primo enim veram conversionem ad Dominum requirit, de qua Ioel: *Convertimini ad me in toto corde vestro;*[156a] secundo, vitam immaculatam: *Auferte deos alienos de medio vestri*, idest omnia vitia, nam avaritia est *idolorum servitus;*[157] *Quorum deus venter est,*[158] et omne [quod] supra Deum vel aeque cum Deo diligitur, idolum est; tertio, veram ac summam pietatem, in Deum animi dispositionem: *Praeparate corda vestra Domino et servite illi soli.* Hoc est quod tertio docet Ioannes: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis* impleatur *et omnis mons et collis* humilietur *et* sint *prava in directa et aspera in vias planas.*[159] Cum, inquit, magnus aliquis princeps venturus est in aliquam civitatem ad visitandam eam, si viae ineptae sunt, omni cum diligentia adaptantur et pro viribus fiunt rectae, planae, latae et mundae; ideo si valde distortae sunt, diriguntur filo; si valde asperae et inaequales, foveis et magnis glaebis ad instar vallium et montium plenae complanantur; si valde arctae sunt, dilatantur ut triumphalis currus et innumera equitum, equorum et hominum multitudo commode gradi possint; et tandem si valde immundae sunt ac turpes, coeno et stercoribus plenae, pro viribus mundantur et mille modis ornantur. Sic, inquit, ut advenienti Domino praeparentur viae, fiant semitae rectae et planae; ideo, inquit, omnis vallis impleatur et omnis mons et collis humilietur et sint *prava*, sive distorta, *in directa et aspera in vias planas*, quoniam, inquit, venturus est Dominus, non quidem occulte et tanquam privata persona, sed *videbit omnis caro salutare Dei.*[160]

Hoc autem est quod idem vates Isaias alibi docet: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis*

155) Cf. 3 Rg 6, 8. 156) 1 Rg 7, 43. Vulg.: *Servite ei soli*, etc. 156a) 2, 12. 157) Eph 5, 5; Col 3, 5. 158) Phil 3, 19. 159) Lc 3, 5. 160) Ibid. vr. 6.

*meis, quiescite agere perverse, discite bene agere,*[161] hoc est, ut unusquisque *declinet a malo et faciat bonum;*[162] his enim duabus partibus divina lex constat, hinc quaedam praecepta sunt affirmativa, quae iubent fieri bona, quaedam vero negativa, quae prohibent fieri mala. Quod si homo divinam non servet legem, eius vita sicut via est perversa et aspera, d'storta et mont bus ac vallibus plena. Vallis est defectus terrae, mons vero excessus ac nimia superfluitas; vallis est transgressio mandatorum praecipientium bona, mons transgressio mandatorum prohibentium mala; vallis est defectus bonorum operum ac sanctarum virtutum, mons abundantia operum malorum, vitiorum ac peccatorum omnium; vallis est defectus amoris Dei, mons abundantia amoris mundi; vallis defectus spiritus amorisque spiritualis mons abundantia carnis amorisque carnalis. Hae valles sunt implendae, hi montes humiliandi: *Sicut... exhibuistis membra vestra servire iniustitiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.*[163]

**Hoc est quod etiam Isaias docet, nam divina lex consistit in bono faciendo et in malo fugiendo.**

X. Via per quam Deus ad nos venit et nos imus ad Deum, amor est; hinc Paulus caritatem vocat *viam: Excellentiorem viam vobis demonstro.*[164] Etiam fides via est, et spes, *sed maior horum est caritas:*[165] *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata;*[166] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* et *diliges proximum tuum sicut teipsum;*[167] *Si quis diligit me, mandata mea servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*[168] Viam amoris necesse est rectam esse, ut servetur ordo caritatis, planam per legis ac iustitiae perfectam observantiam, latam per magnitudinem caritatis et mundam ac ornatam per evitationem etiam venialium peccatorum et per studium omnium bonorum morum.

**Via qua Deus ad nos venit et nos ad Deum imus amor est,**

Sed via haec valles habet et montes: valles, si Deum minus quam debemus diligimus, si animae salutem, si vitam aeternam, si gratiam Dei, si gloriam paradisi minus quam par est desideramus; habet et montes, si temporalia bona, si carnem nostram, si vitam

**sed via haec valles habet quas implere oportet**

161) 1, 16-17. Vulg.: *Bene facere.* 162) 1 Petr 3, 11. 163) Rom 6, 19. Vulg.: *Immunditiae.* 164) 1 Cor 12, 31. 165) Ibid. 13, 13. Vulg.: *Maior autem, etc.* 166) Mt 19, 17. 167) Ibid. 22, 37-39; Lc 10, 27. 168) Io 14, 23. Vulg.: *Sermonem meum servabit, etc.*

et montes quos oportet explanare.

hanc plus aequo diligimus. Omnes passiones cordis nostri, spes, timor, gaudium, dolor, viae sunt per quas Deus ad nos et nos ad Deum ire possumus. Sed habent hae viae valles et montes: si quis summa cum diligentia mundano principi serviat, non autem Deo, terrenis lucris inhiet, non autem coelestibus, est quia temporalia bona sperat, non autem aeterna; sic qui homines magis quam Deum timet, temporalia magis quam aeterna mala; sic qui gaudet magis de temporali prosperitate atque carnali quam de spirituali et aeterna; sic qui magis dolet de temporali mundanaque adversitate quam de peccatis suis, de spirituali iactura, de divinis offensis.

idest humilianda est superbia

Omnis vallis impleatur et omnis mons et collis humilietur, alioquin veniet mors et tunc *omnis vallis implebitur et omnis mons et collis humiliabitur.* Nam

« Mors omnia aequat »;[169]

veniet iudicium divinum et tunc omnis vallis exaltabitur: exaltabuntur humiles et humiliabuntur superbi; illi exaltati in coelum semper gaudebunt, isti depressi in infernum semper cruciabuntur. Quod si non sic humiliari volumus, exequamur iussa Ioannis: *Parate viam Domini,* nam si imparati cum fatuis virginibus inveniemur, profecto cum illis a nuptiis excludemur;[170] *Dirigite viam Domini* filo rectissimo vitae Christi, quae ad instar rectissimae cuiusdam lineae fuit, cuius media extremis, principio et fini, aequalia sunt. Extrema vitae nostrae sunt nativitas et mors: *Nudus egressus sum de utero matris meae et nudus revertar illuc.*[171] Pauper nascitur homo nudusque; sed qualis in hunc mundum ingreditur, talis egreditur; sic Christus nudus mori voluit et pauperrimus semper vixit: *Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput* suum *reclinet.*[172] Sic fuit semper vita Christi innocentissima, humillima, castissima, sanctissima sicut in suo natali.

et ad normam Christi vita nostra moderanda;

nam non sufficit malum non agere,

Hoc ergo filo dirigenda nobis est via perversa vitae nostrae iniquae, hanc viam dirigemus si dignos poenitentiae fructus faciamus; non enim satis est facere fructus poenitentiae, sed opus est ut dignos poenitentiae fructus faciamus. Peccata enim debita dicuntur: *Dimitte nobis debita nostra:*[173] qui mille aureos debet, non sufficit si

169) Claudianus *De Raptu Proserpinae*, lib. 2, vr. 302. 170) Cf. Mt 25, 1-13.
171) Iob 1, 21. 172) Mt 8, 20; Lc 9, 58. *Suum* lect. cod. 173) Mt 6, 12.

tantum centum solvat; quisque autem nostrum servus ille est qui regi debet decem millia talenta,[174] debitum plane maximum ac pene infinitum. Satagendum ergo nobis est ut tale tantumque debitum solvere possimus ut dignos poenitentiae fructus faciamus: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.*

**sed opus est fructus dignos poenitentiae facere.**

XI. Secundum quod Ioannes praedicat est regnum coelorum, gloria coelestis paradisi, vita perpetua, felicitas ac beatitudo sempiterna. Nunquam aliquis Prophetarum tale quid praedicavit: non Moyses, non Elias, non Eliseus, non Isaias, non Ieremias, non Ezechiel, Daniel, aut quivis alius Prophetarum. Non praedicat Ioannes regnum terrarum, sed regnum coelorum; quanti enim pendat Deus regnum terrarum, ostendit sacrosanctum Evangelium hodiernum. Siquidem Deus est, ut Daniel ait, *ipse* Deus *mutat tempora atque aetates, transfert regna atque constituit.*[175] Hic ergo Deus Tiberio, viro impio, idolorum cultori, homini scelesto ac flagitioso, dat universum Romanorum imperium, quod Oceano claudebatur, regnum vero Iudaeorum dederat impio Herodi ac successoribus suis. Si terrarum regnum Deus vilissimis peccatoribus impiisque inimicis suis largitur, Deus ergo vilissimi pendit. Regnum enim terrae vanum est, fallax, momentaneum et instabile; sed regnum coelorum verum est, plenum infinita summaque felicitate, aeternum et immutabile. Hinc regnum terrarum Deus, ut plurimum, inimicis dat suis, siquidem omnium principum qui hic recensentur nemo fuit vir probus ac Dei amicus: Tiberius impius idololatra, Herodes adulter et homicida sacrilegus,[176] Philippus frater ipsius illi simillimus, Lysanias tyrannus,[177] Annas et Caiphas monstra portentosae impietatis, qui Filium Dei occiderunt.[178]

**Secundum quod Ioannes praedicat est regnum coelorum, idest gloria coelestis.**

**Deus nihil pendit regnum terrenum, quod iniquis et inimicis suis etiam concedit,**

At regnum coelorum nonnisi iustis sanctisque amicis suis largitur Deus, terram enim promissionis non Aegyptiis, sed Hebraeis electis ac fidelibus suis donavit: *Non introibit in eam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens;*[179] sicut Abraham filiis concu-

**regnum autem coeleste nonnisi amicis largitur.**

174) Cf. ibid. 18, 24. Ms.: *Centum* loco: *Decem.* 175) 2, 21. Vulg.: *Et aetates.*
176) Cf. Mt 14, 1-10; Mc 6, 14-27; Lc 3, 19-20; 9, 9. 177) Nullibi invenimus Lysaniam de hoc fuisse specialiter notatum. Attamen omnes Romanorum praesides tunc temporis in Palaestina eiusdem furfuris erant. 178) Cf. Lc 24, 20. 179) Apc 21, 27. Vulg.: *Non intrabit in eam aliquod,* etc.

binarum munera quaedam vilia dedit, sed Isaac filio suo dilectissimo universam domus suae hereditatem,[180] sic Deus mundanis hominibus temporalia haec bona largitur, sicut epuloni divitias,[181] electis vero suis non vana haec et caduca, sed tanquam dilectissimis filiis aeterna bona in coelesti patria in aeternum possidenda fruendaque donat.

Hoc regnum, quod forte oculis viderat, Ioannes praedicat

Praedicat Ioannes regnum coelorum, sicut Iosue et Caleb praedicaverunt Hebraeis in deserto felicitatem terrae promissionis, quam ipsi quadraginta diebus exploraverant totamque circumierant totamque lacte et melle manantem fluentemque viderant;[182] Ioannes vero in deserto annis triginta totis universam patriam coelestem contemplatus fuerat, et forte nonnunquam sicut Paulus angelico ministerio ad tertium usque coelum raptus in paradisum fuit,[183] ut quod oculis viderat tanquam oculatus testis hominibus praedicaret, sicut nonnisi postquam oculis Christum vidit, praedicare coepit. Et quidem in sacro Christi baptismo Ioannes vidit coelum apertum,[184] sicut Stephanus vidit gloriam Dei;[185] hinc quod viderat loquebatur.

et ut illud acquirant, peccatores ad poenitentiam excitat,

O qualis praedicatio erat ista Ioannis! Aliter enim visa, aliter audita narratur. *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum:*[186] paravit, inquit, nobis Deus ante mundi constitutionem, in aeterna sua praedestinatione regnum coelorum, regnum aeternum, regnum infinitae gloriae, infinitae felicitatis, regnum paradisi, regnum omnium bonorum absque ullo vel minimo malo. Sed peccatoribus non datur regnum istud, nisi condignam de peccatis poenitentiam agant. Osor enim peccati est Deus: ob peccatum eiecit parentes nostros a gaudiis paradisi terrestris,[187] quare peccato infectis minime dare vult gaudia coelestis, nisi poenitentiam agant. Concedit autem hominibus Deus quod Angelis peccantibus non concessit,[188] ut possent salutarem poenitentiam agere et liberari ab aeternis infinitisque malis. Hanc tanquam salutiferam medelam efficacissimumque antidotum contra mortiferissimum peccati venenum dedit hominibus, ut per poenitentiam a peccatis mundati, digni fiant vita aeterna: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* Haec poe-

sola enim poenitentia peccata expiantur.

180) Cf. Gn 25, 5-6. 181) Cf. Lc 16, 19 sqq. 182) Cf. Nm 13, 1-14, 1-9.
183) Cf. 2 Cor 12, 2-4. 184) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 21. 185) Cf. Act 7, 55.
186) Mt 3, 2. 187) Cf. Gn 3, 6 sqq. 188) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6.

nitentia est salutaris; illa statuitur in aeneum serpentem per quem salvabantur Hebraei a morte sanabanturque a morsibus ignitorum serpentium, quorum erat venenum letiferissimum.[189] Hoc est altare sacrificiorum ubi expiantur peccata: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*[190] Sic per locum sacrificii pergitur in sancta sanctorum, per desertum in terram promissionis, currus igneus quo Elias rapitur in coelum, factis tribus itineribus, in Bethel primum, in Iericho secundum et in Iordanem tertium, unde raptus fuit,[191] sicut per Iordanem populus ingressus fuit in terram promissionis.[192]

Via ad coelum est pia religio in Deum, fuga vitiorum omnium,

Haec tria agenda nobis sunt, si cum Elia in coelum rapi volumus. Primo, pergere in Bethel, ubi primo Iacob Deum cognovit lapidemque oleo unctum in titulum[192a] erexit ac votum vovit Domino dicens: *Erit mihi Dominus in Deum:*[193] incipiendum nobis est Deum cognoscere et pia religione colere. Secundo, pergendum in Iericho, ubi Rahab meretrix conversa fuit,[194] in Iericho, civitatem anathemate fulminatam atque igne combustam,[195] ut vitia omnia destruamus ac poenitus relinquamus, sicut Hebraei nihil tulerunt de spoliis Iericho, et Achan ille, qui nonnihil tulit, infeliciter periit;[196] sic aquae pessimae Iericho sanandae sunt, novo vase sale pleno in aquas immisso,[197] idest nova perfectaque carnis mortificatione. Et tandem eundum est in Iordanem, in cuius medio mansit arca foederis Domini Iordanemque exiccavit,[198] et pallium Eliae eundem effectum operatum fuit;[199] quare perfectam caritatem designat, quae vestis est nuptialis, et gratiam Spiritus Sancti, qui in Iordane, aperto coeli ostio, super Christum descendit et mansit in columbae specie.[200] Haec autem gratia est quae nobis aditum facit in gloriam, aperit ostium paradisi.

et gratia Spiritus Sancti,

quae nequit esse cum peccato.

Quoniam vero haec una cum peccato letali manere minime potest, sicut nec lux cum tenebris, nec ignis cum aqua, nec arca Domini cum idolo Dagon,[201] hinc ad hanc gratiam consequendam, per quam salvi esse possimus, poenitentiam agere monet Ioannes ut,

189) Cf. Nm 21, 8-9. 190) Ps 50, 19. 191) Cf. 4 Rg 2, 1-11. 192) Cf. Ios 3, 14 sqq. 192a) Ms.: *In lapidem erexit.* 193) Gn 28, 18-21. 194) Cf. Ios 2, 1 sqq. 195) Cf. ibid. 6, 24-26. 196) Cf. ibid. 7, 16 sqq. 197) Cf. 4 Rg 2, 20-22. 198) Cf. Ios 3, 15-16. 199) Cf. 4 Rg 2, 8. 200) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22; Io 1, 32. 201) Cf. 1 Rg 5, 1-5.

deleto per poenitentiam peccato, per gratiam pateat nobis aditus regni coelorum.

Tertium quod Ioannes praedicat Christus est,

XII. Tertium quod praedicat Ioannes est Christus, qui auctor et largitor est tum gratiae tum gloriae: *Gratiam et gloriam dabit Dominus,*[202] sicut sol lucem et calorem: *Venit fortior me post me, cuius* ego *non sum dignus . . . calceamenta portare;*[203] *Ego baptizo vos . . . aqua in poenitentiam, ille* autem *baptizabit vos . . . Spiritu Sancto et igni.*[203a] Praecessit Ioannes ante Christum tanquam praeco praedicans eius gloriam infinitamque maiestatem, ut omnes in Christum crederent, Christum pia fide adorarent, pia religione colerent. Sicut enim Pharao, ille optimus rex Aegypti, eductum Ioseph, sanctum illum iuvenem, de carcere cum triginta annorum esset aetatis, cognita eius divina virtute ac sapientia in interpretatione somniorum, constituit eum principem summum super universum regnum suum dicens: *Ecce constitui te super universam terram Aegypti; tulitque anulum da manu sua et dedit eum in manu eius vestivitque eum stola byssina et collo torquem auream circumposuit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante* coram eo *praecone ut omnes coram eo genuflecterent et praepositum esse scirent universae terrae Aegypti,*[204] sic Deus summus rex universi egit Christo. Manserat Christus usque ad aetatem triginta annorum in obscuro carcere veluti inclusus, ignotus omnibus; cognita autem virtute quae in eo erat ad salvandum mundum ab aeterna morte, sicut Ioseph salvavit Aegyptum a fame septem annorum,[205] manifestavit eum mundo in die baptismi mundique principem declaravit dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui: ipsum audite;*[206] induit eum veste byssina candidissima, nam: *Vestimenta . . . eius facta sunt alba sicut nix;*[207] dedit torquem auream in collo eius, omnia dona Spiritus Sancti, qui descendit *et mansit super eum:*[208] *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus,* etc.;[209] dedit anulum in manu eius, potestatem miracula operandi, nam ex tunc Christus coepit operari miracula,[210] et posuit eum super

ad hoc enim a Deo missus fuit, ut praedicaret gloriam et divinam Christi maiestatem,

202) Ps 83, 12. 203) Mt 3, 11; Mc 1, 7. 203a) Mt 3, 11; Mc 3, 8. Ordine inverso affert hunc vr. 204) Gn 41, 41-43. 205) Cf. ibid. vrr. 27. 57 sqq. 206) Mt 3, 17; 17, 5. 207) Ibid. 17, 2. 208) Io 1, 32. 209) Is 11, 2. 210) Cf. Io 2, 1-11.

currum suum: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium;*[211] constituit eum Angelis superiorem, nam: *Accesserunt Angeli et ministrabant ei;*[212] sic misit praeconem Ioannem ad praedicandam Christi gloriam, ut omnes ante Christum genuflecterent eumque adorarent: *In nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur quia Dominus* noster *Iesus Christus in gloria est Dei Patris;*[213] sic scirent omnes Christum esse praepositum universae terrae Aegypti: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius;*[214] *Nihil reliquit non subiectum ei.*[215]

Haec omnia de Christo praedicabat Ioannes dicens ut in Christum, qui post se venturus erat sicut sol post auroram, crederent tanquam in verum Messiam, Redemptorem et Salvatorem mundi, Deum omnium creatorem, pro hominum salute verum hominem factum: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo,*[216] pro hominum utique salute, hinc ait: *Videbit omnis caro salutare Dei.*[217] Propheta ait: *Revelabitur gloria Domini et videbit omnis caro pariter,*[218] sive simul; Evangelista autem declarat Prophetam, quoniam Christus est *gloria Domini*, cui dicitur: *Exurge, gloria mea, exurge, psalterium et cithara;*[219] gloria illa Domini quam Ezechiel vidit super templum elevari;[220] gloria Domini: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius.*[221] Potest etiam ex hebraeo interpretari: *Revelabitur gloriae Dominus*, sive gloriosus Dominus, admirandus, ille de quo dicitur: *Introibit rex gloriae: Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio... Dominus virtutum ipse est rex gloriae.*[222]

**ut omnes in Christum crederent tanquam verum Redemptorem et Deum hominem factum.**

Sed si Deus suapte natura invisibilis est corporeis oculis, quomodo inquit: *Videbit omnis caro salutare Dei?* Deus quidem multis modis videri dicitur in Scripturis Divinis. Primo quidem, in sua essentia, sicut a Beatis videtur in patria, et sic solum in paradiso

**Multis modis Deus videri potest: in sua essentia visione beatifica,**

211) Ps 67, 18. 212) Mt 4, 11. Vulg.: *Angeli accesserunt.* 213) Phil 2, 10-11. 214) Ps 8, 6-8. 215) Hebr 2, 8. Vulg.: *Nihil dimisit non*, etc. 216) Phil 2, 6-7. 217) Lc 3, 6. 218) Is 40, 5. 219) Ps 107, 3. 220) Cf. Ez 10, 4. 221) Hebr 1, 3. 222) Ps 23, 7 sqq.

videtur: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt;*[223] *Videbimus eum sicuti est;*[224] *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum;*[225] et hoc modo nemo Deum in hoc mundo vidit: *Deum nemo vidit unquam;*[226] *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest, lucem* enim *habitat inaccessibilem.*[227]

per fidem in Ecclesia, per contemplationem creaturarum,

Secundo, videtur in Ecclesia per fidem; sic Paulus ait: *Videmus nunc per speculum in aenigmate;*[228] sic enim praesens est Deus omnium fidelium mentibus. Tertio, videri dicitur in creaturis per contemplationem earum in quibus elucet aliqua vel imago vel similitudo Dei, vel saltem umbra quaedam delineata, sicut videtur homo in imagine vel simulacro vel per vultum eius in speculo; sic ait Apostolus: *Invisibilia* Dei *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas;*[229] sic et Iob ait: *Omnes homines vident eum* et *unusquisque intuetur procul.*[230] Sicut enim si pictor sui ipsius naturalem imaginem[231] summa cum diligentia depinxisset, aut sculptor simulacrum, videretur ipse artifex in eo opere, sic Deus in mundo.

sub specie aliqua, sicut cum apparuit Patriarchis et Prophetis, et tandem in sacra humanitate Christi.

Quarto, videri dicitur Deus apparens alicui sancto viro in aliqua specie cuiusvis creaturae; sic visus est Patriarchis et Prophetis saepissime in humana specie, maxime summi regis,[232] et quoniam Deus erat in illa specie sicut homo in vestimento et sub larva, hinc Deum vidisse dicti sunt Patriarchae atque Prophetae, quemadmodum etiam Angeli saepe visi sunt hominibus.[233] Tandem, videri dicitur Deus in sacra humanitate Christi, de qua ipse Dominus ait: *Qui videt me, videt et Patrem* meum,[234] quoniam in Christi humanitate tota plenitudo divinitatis corporaliter inhabitabat.[235] Quare si Deus apparens in aliqua specie videri dicebatur quia vere ibi erat, multo magis in Christo; et si quis regem videat indutum et larvatum, quamvis non videat corpus, carnem et substantiam regis, ipsum tamen regem videre dicitur, sic utique qui sacram Christi humanitatem videt, Deum videre dicitur, quoniam Christus vere est Deus. Et sic: *Videbit omnis caro salutare Dei.*

223) Mt 5, 8. 224) 1 Io 3, 2. 225) 1 Cor 13, 12. 226) Io 1, 18; 1 Io 4, 12. 227) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Lucem inhabitat... quem nullus hominum*, etc. Ordine inverso affert hunc vr. 228) 1 Cor 13, 12. 229) Rom 1, 20. 230) 36, 25. 231) Ms.: *Naturalem* repetitur. 232) Cf. Gn 18, 1 sqq.; 32, 24-30; Ex 33, 11; 3 Rg 22, 19; Is 6, 1-6; Ez 10, 8 sqq.; Dn 7, 13 sqq. 233) Cf. Gn 16, 7-12; 19, 1-15; 21, 17-18; 32, 1-2; Idc 6, 11-23; 13, 3-20; Tob 3, 25 sqq. 234) Io 14, 9. 235) Cf. Col 2, 9.

XIII. *Videbit omnis caro salutare Dei*, sive: *Revelabitur gloria Domini et videbit omnis caro pariter, quia Dominus locutus est.*[236] Sicut in mundo hoc duo sunt magna corpora: coelum et terra, duoque magna luminaria: sol et luna, ita duo sunt regna: unum terrenum, aliud coeleste; unum temporale, aliud aeternum; unum humanum, aliud divinum. De primo loquitur Evangelium: *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris;* de secundo praedicat Ioannes: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum,* et item: *Revelabitur gloria Domini.*

De duplici regno loquitur hodie Evangelium: de terreno et de coelesti.

Accidit autem quod sicut Isaac magis Esau diligebat quam Iacob, ubi Rebecca divino spiritu afflata,[237] imo Deus ipse magis Iacob quam Esau diligebat,[238] sic cum Deus maximi faciat regnum coelorum et minimi regnum terrarum, nos, e contra, maximi facimus hoc ac minimi illud. Deus, inquam, minimi facit regnum terrenum, hinc impiis inimicis suis Tiberio, Pilato, Herodi, Philippo, Lysaniae, Annae et Caiphae tradidit illud. At quis nesciat quod ea quae prudens ac sapiens rex fidei credit infidelium servorum, quos etiam inimicos ac proditores novit, necesse est ut minimi nihilique ea faciat? Sic utique, cum Deus mundanum imperium ac universalem monarchiam infidelibus idololatris tradiderit: Assyriis, Chaldaeis, Persis, Medis, Graecis et Romanis, minimi necesse est ut haec pendat. Et cum Deus summa sit sapientia, cuius iudicium falli minime potest nec errare, profecto haec tanquam minima ac nihil minimi nihilique facienda sunt. Nos vero haec maximi facimus, haec desideramus, haec quaerimus, pro his laboramus ac desudamus; coeleste autem regnum, quod Deus maximi facit, quod nonnisi filiis in hereditatem tribuit, quod Christo nonnisi infinito thesauro sanguinis vendere voluit, pretio plane Deo aequali, nos, inquam, hoc regnum minimi ac nihili facimus.

Terrenum regnum Deus nihili facit, maximi autem coeleste, quod Christus sanguine suo nobis comparavit.

XIV. Sed, quaeso, appendamus in statera duo haec regna, et primo quidem videbimus quod, si quid boni in hoc regno est, totum a coelo est, sicut quicquid luminis in luna a sole emanat. Si enim non descendat pluvia a coelo et sol suos non emittat radios in terram,

236) Is 40, 5. Vulg.: *Quod os Domini locutum est.* 237) Cf. Gn 25, 28. 238) Cf. Mal 1, 2; Rom 9, 13.

Maxima ergo insania est regni coelestis aeternam et infinitam gloriam contemnere

quidnam boni reperietur in mundo? Terra plane esset, sicut in principio, *inanis et vacua* tenebrisque operta,[239] locus tenebrarum ac umbrae mortis. Quare ob oculos videre est quod quicquid boni in mundo hoc reperitur, omnia desiderabilia terrae micae quaedam sunt cadentes de coelesti mensa. An ergo micas panis de mensa cadentes regali coenae lautissimae ac splendidissimae ad instar illius Assueri,[240] praeferens, sapienter aget? farinam Aegypti mannae coelesti?[241] hordeaceum panem ambrosiae ac nectari?

eique terreni regni bona praeferre, quae vilissima sunt,

Deinde, terra coelo comparata vix punctum est, cum omni ex parte integra coeli medietas, integrum hemisphaerium, sex signa coelestia conspiciantur; coelum vero immensae magnitudinis corpus est. Et terra quidem lutum est, coelum vero totum argentum et aurum, aurum enim sol et astra, argentum sphaerae coelestes. Et regnum quidem coelorum tanto nobilius est coelo isto visibili, quanto istud ipsum terra. Quis non ergo recte praeferat infinitum argenti et auri thesaurum luto ac coeno terrae? Et quis sapiens lutum, coenum, stercus praeferat thesauro?

minima et misera,

Deinde, terrarum regnum, cum tam parvum sit coelo comparatum, nemini tamen integrum est, sed multas in partes divisum: ecce Pilatus procurator Iudaeae, Herodes rex Galilaeae, Philippus Ituraeae, Lysania Abilinae. Sic nullus unquam hominum totum possedit integrum solus terrarum regnum. Solus Adam in paradiso terrestri totius mundi dominus fuit: *Dominetur*, inquit, *piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.*[242] At neque ipsi totus suffecit mundus divinamque aequalitatem, diabolo suggerente, appetiit. Sed regnum coelorum unicum est et indivisum et quilibet electus rex est totius regni, sicut si rex plures habeat filios omnesque simul velit regni heredes ac dominos esse, ut sit regnum indivisum, sed omnes simul super totum simul regnum dominentur summa cum pace, caritate et animorum concordia.

vanissima et fallacia,

Adhuc, terrenum quidem regnum temporale est; quod si temporale, momentaneum, temporis enim nonnisi momentum et instans habemus; regnum autem coelorum aeternum est: *Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur et regnum ... quod non corrumpetur.*[243]

239) Gn 1, 2. 240) Cf. Est 1, 3-8. 241) Cf. Nm 11, 4-6; 21, 5. 242) Gn 1, 26. Vulg: *Praesit piscibus*, etc. 243) Dn 7, 14.

Nostra ergo insania similis est homini, cui si princeps provinciam dono offerat in perpetuum, modo ei velit servire, eligat magis servire tyranno ob vilissimum stipendium, facta conventione ex denario diurno.[244]

Deinde, in terreno regno multae sunt ignominiae; coeleste autem totum gloria est: *Revelabitur gloria Domini.*[245] In terreno regno multae infirmitates ac tandem mors; in coelesti autem sempiterna vita cum felicitate perpetua, hinc dicitur *salutare Dei.* In temporali regno multa mala bonis admixta: lux cum tenebris, sanitas cum infirmitate, mors et vita; in coelesti autem perpetua lux, perpetuus dies, purum, summum ac infinitum bonum. **multis malis permixta**

Tandem, temporalia bona magno cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, nam *fures effodiunt et furantur,*[246] cum dolore amittuntur;[247] horum autem nullum in coelo; hinc Christus ait: *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo.*[248] Modica poenitentia acquiritur coeleste regnum et in aeternum amitti non potest: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coeiorum,* regnum infinitarum divitiarum, infinitarum voluptatum, infinitae gloriae, sempiternae felicitatis. **et mille anxietatum causa.**

Et regnum quidem istud Deus dare vult omnibus: *Vult omnes homines salvos fieri.*[249] Hinc ait: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Non inquit quod omnis caro salvabitur, nam multi peribunt, quibus **Via ad regnum coeleste poenitentia est,**

244) Cf. Mt 20, 2. 245) In margine haec adiecta fuerunt: « *Videbit omnis caro salutare Dei ; Revelabitur gloria Domini et videbit omnis caro,* inquit Isaias. Magna promissio, quam aliis verbis Ioannes exprimens dixit: *Appropinquavit... regnum coelorum.* Non est autem Deus promissis dives, sed factis et donis multo ditior; promittit parum et dat multum. Promisit Moysi quod virga Aaron in signum conversa magni sacerdotii, floritura erat, et postea non tantum floruit, sed etiam fronduit et fructus fecit: promisit flores et dedit etiam fructus. Promisit Iacob apparens ei in Bethel quod salvum reducturus erat eum in domum patris, et non tantum salvum reduxit, verum etiam ditissimum. Promisit Abrahae magnam posteritatem, sed dedit etiam nobilissimam regno, sacerdotio, lege, Prophetis, templo, sacrificiis multisque divinis favoribus et beneficiis, quae minime promiserat. Davidi promisit regnum cum esset humilis pastor, et fecit regem potentissimum et invictissimum: dedit regnum multo maius quam promiserat, multas ei subiciens provincias alienas. Promisit ei filium regem, et dedit non solum regem, sed etiam sapientissimum, ditissimum et toto mundo gloriosissimum. Sic semper Deus plus dat quam promittat. Si ergo per Ioannem, per Evangelium magna promittit, maiora dabit, si promissis eius fidem adhibuerimus, sicut promisit mundo Redemptorem et Salvatorem ex semine Abrahae, Christum filium Abrahae; dedit autem non tantum filium Abrahae, sed etiam Filium Dei; non tantum verum hominem, sed etiam verum Deum ». 246) Mt 6, 19.
247) Alludit ad illud S. Prosperi: « Divitiae magno acquiruntur cum labore, possidentur cum timore et amittuntur cum dolore ». *De Vita Contemplativa,* lib. 2, cp. 13, (P. L. 59, 457).
248) Mt 6, 20. 249) 1 Tim. 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc.

Ideo multi peribunt quia poenitentiam agere renuunt.

in die iudicii dicetur: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.*[250] Quare nunc etsi omnes homines et singuli videbunt *salutare Dei*, non tamen omnes salvabuntur, eo quod non omnes poenitentiam agere voluerint: *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.*[251] Agite ergo poenitentiam, quia *appropinquavit... regnum coelorum*, regnum salutis aeternae omnibus praeparatum: *Videbit omnis caro salutare Dei*, illud de quo dicitur: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et salutare tuum da nobis;*[252] illud de quo patriarcha Iacob ait: *Salutare tuum expectabo, Domine.*[153] *Salutare Dei*, Deum Salvatorem: *Deus ipse veniet et salvabit nos;*[254] *salutare Dei: Ipse... salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*[255] Sed *positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum:*[256] *Vallis omnis implebitur*, sed *omnis mons et collis humiliabitur;*[257] *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles; esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes:*[258] salvabuntur electi.

Primus Adam peccato mundum perdidit;

XV. *Videbit omnis caro salutare Dei*, Salvatorem mundi, ut sicut primus Adam mundum peccato perdidit, ita secundus Adam gratia mundum salvaret. Totus mundus propter Adae peccatum perdidit felicitatem paradisi, perdidit vitae immortalitatem, perdidit gratiam et amicitiam Dei, perdidit iustitiam originalem gratiamque Spiritus Sancti iustificantem et sanctificantem animam, perdidit meritum coelestis paradisi; acquisivit autem mille poenas, miserias, calamitates et infirmitates, acquisivit corruptionem et mortem, acquisivit inimicitiam Dei, acquisivit dominium peccati in membris suis, ut servus esset peccati per carnis concupiscentiam, virtutis infirmitatem, intellectus ignorantiam et voluntatis malitiam, qua *sensus... et cogitatio... cordis ad malum prona sunt omni tempore;*[259] acquisivit diaboli servitutem factus eius captivus, et tandem reatum aeternae mortis aeternaeque poenae et, ut breviter dicam, perdidit gratiam et gloriam Deumque ipsum et acquisivit culpam, poenam atque diabolum, qui ob id dictus est *mundi princeps.*[260]

250) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me maledicti*, etc. 251) Lc 13, 5. Vulg.: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* 252) Ps 84, 8. 253) Gn 49, 18. 254) Is 35, 4. Vulg.: *Vos.* 255) Mt 1, 21. 256) Lc 2, 34. 257) Is 40, 4; Lc 3, 5. Vulg.: *Omnis vallis*, etc. 258) Lc 1, 52-53. 259) Gn 8, 21. Vulg.: *In malum... ab adolescentia sua.* 260) Io 12, 31; 14, 30; 16, 11.

**ad hanc autem ruinam reparandam summa requirebatur potentia, sapientia, iustitia et bonitas.**

Quare ad hanc reparandam ruinam requirebatur utique infinita potentia, infinita sapientia, infinita bonitas, infinita misericordia, iustitia, caritas atque sanctitas. Potentia, qua posset hominem ab omni infirmitate curare et a morte resuscitare immortalitatemque perpetuam et vitam sempiternam conferre, gratiam Spiritus Sancti donare et summam felicitatem veramque beatitudinem tribuere; ad haec enim infinita requiritur virtus. Quis enim posset mortuum resuscitare aut caecum illuminare aut hominem incurabili quovis morbo sanare, nisi infinita sit praeditus virtute? Requiritur et sapientia qua sciat, bonitas qua velit hanc salutem conferre, misericordia, ut indignis etiam conferat, iustitia qua omnem iniquitatem deleat, caritas qua ardentissime cupiat mundi salutem, ac tandem sanctitas qua mundum universum sanctificet atque iustificet; sine hac enim salus non confertur.

**His omnibus praeditus Christus est, ideo est verus Salvator, quia Deus homo.**

Hoc est ergo *salutare Dei*, homo plenus infinita sanctitate, plenus infinita potestate, sapientia, bonitate, iustitia, misericordia et caritate ad salvandum liberandumque mundum ab omnibus malis corporis et animae donandumque omnibus bonis carnis et spiritus *in aeternum et ultra.*[261] *Videbit omnis caro salutare Dei*, ideo *videbit omnis caro*, quia homo erit, sed ideo *salutare Dei*, quia Filius Dei consubstantialis, coaeternus et coaequalis, verus Deus; hinc ait Deus, mundo salutare istud ab initio promittens: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et inter semen tuum et semen illius, ipsum conteret caput tuum.*[262] Semen mulieris dicitur Christus, quia homo, et semen mulieris, non viri, quia de Virgine natus; sed *ipsum conteret caput tuum*, serpens, quia Deus te multo multoque fortior atque potentior. Hinc Eva intelligens qualis futurus erat iste Salvator, primum pariens filium ait: קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה:[263] *Acquisivi virum Deum*, sive *virum cum Deo*,[264] quia Christus est *Emmanuel, nobiscum Deus.*[265] Sic *videbit omnis caro salutare Dei.*

XVI. Sed cur, quaeso, non etiam a corporalibus infirmitatibus et corporali morte Christus electos suos in hoc mundo liberavit ac

261) Mich 4, 5. 262) Gn 3, 15. Ex hebraico. 263) Ms: *Kanithi isc eth Iehovah.* 264) Gn 4, 1. Ex hebraico. 265) Is 7, 14; Mt 1, 23.

Liberare noluit Christus electos suos a corporalibus infirmitatibus in hoc mundo,

in terrestrem paradisum, unde Adam ob peccatum eiectus fuit, reduxit, in signum verae iustificationis? Profecto ut copiosiori nos gloria in coelo donaret; nam: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* [266] Per fidem enim conferenda salus ista erat: *Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [267] *Fides autem substantia est sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* [268] Ut ergo fides maius apud Deum meritum haberet, in mundo hoc invisibilia tantum spiritualiaque bona conferre voluit, collaturus corporalem felicitatem omnibus numeris absolutam in coelo. Sic Divus Petrus ait: Nam *et mortuis evangelizatum est,* mortuis Patriarchis atque Prophetis sanctisque omnibus Veteris Testamenti, *ut iudicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.* [269] Hoc dicit monens fideles Christi ad libenter sufferendum mala in hoc mundo pro Christo, et Christi sequerentur vestigia, accepto exemplo: *Christo... in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.* [270]

ut maius meritum in coelo haberent.

Quod si Christus electis suis in hoc mundo immortalitatem temporalemque felicitatem contulisset, quis non eius fidem accepisset? Sed amore potius carnis quam spiritus, intuitu potius temporalium bonorum quam aeternorum. inc ipse in humilitate in mundum pauper venire voluit ad probanda hominum corda, ad caritatem probandam; nam Deus super omnia et propter seipsum, simplicissime ac purissime diligendus est.

Deus enim intuitu bonorum temporalium diligi non vult;

Deinde, quia temporalia haec bona vana sunt et fallacia ac nonnisi multo sunt impedimento virtuti ad salutem consequendam; fovent enim carnem, quae spiritui inimica est, et scandala sunt occasionesque peccandi, cum cor nostrum a Deo coeloque avertere et ad se convertere satagunt ac conantur quodammodo sua praesentia. Obiectum enim praesens magis movet quam absens, et pater qui experimento comprobavit cibum aliquem noxium valde esse, dilectissimo filio desideranti et petenti negat ne maius inferat malum. Expertus est Deus quod temporalis felicitas nocuit Adamo constituto in paradiso, nocuit Sauli, Davidi, Salomoni, hinc noluit haec noxia secum afferre.

Insuper terrena bona virtuti impedimento sunt,

266) Io 20, 29. 267) Ibid. 3, 15. 268) Hebr 11, 1. Vulg.: *Est autem fides sperandarum substantia, etc.* 269) 1 Petr 4, 6. 270) Ibid. vrr. 1-2. Vulg.: *Passo in carne, etc.*

Et alioqui mala haec temporalia virtutem perficiunt: *Virtus,* inquit, *in infirmitate perficitur,*[271] et merita coronasque augent: *Non coronabitur, nisi* qui *legitime certaverit ;*[272] *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.*[273] Tribulationes sunt apud Deum lapides pretiosissimi infinitusque thesaurus, hinc has elegit pro seipso Christus. Paradisus terrestris homini fuit occasio ruinae, occasio superbiae, occasio ut a Deo ad diaboli partes deficeret, occasio ut perpetua ac sempiterna bona amitteret. Hinc noluit Christus electos fidelesque suos in terrestrem paradisum reducere ne coelestem amitterent, quo semel omnes inferre cupit, ut sint ibi *sicut stellae in perpetuas aeternitates.*[274] Nec eicere hominem de paradiso illo poena fuit originalis peccati; non enim sic legimus in sententia contra hominem lata, sed ne diutius in peccato viveret eiectus inde fuit. Sed principalis poena fuit quod Dei gratiam amicitiamque perdidit odiumque et inimicitiam incurrit, et inde omnia consecuta sunt mala. Christus vero hominem Deo reconciliavit ut hinc omnia consequantur bona.

**tribulationes, e contra, virtutem perficiunt.**

## II. ALIA HOMILIA

*Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, etc.*[1]

I. Tempus describitur quo Christus per Ioannis praedicationem mundo manifestatur et ipse seipsum manifestat. Venturus erat Christus in fine regni Iudaeorum: *Non auferetur sceptrum de Iuda,* etc.;[2] hinc divisum nunc legimus hoc regnum et alienigenis subiectum;[3] venturus in fine septuaginta hebdomadarum Danielis: עַד־מָשִׁיחַ נָגִיד;[4] venturus tempore quartae monarchiae iuxta vaticinia Danielis 2 capite[5] et 7[6] suarum *Revelationum ;* lapis enim de monte excisus absque manibus ferreos ac fictiles statuae pedes percutit et fit mons magnus; et post quartam bestiam, omnium ma-

**Tempus describitur praedicationis Ioannis.**

271) 2 Cor 12, 9. 272) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur,* etc. *Non coronabitur* lect. cod. 273) Iac 1, 12. 274) Dn 12, 3. Vulg.: *Quasi stellae.*

1) Lc 3, 1. 2) Gn 49, 10. 3) Cf. Lc 3, 1. 4) Dn 9, 25. Ms.: *Hadmasciah naghid : Usque ad Christum venturum.* 5) Cf. vrr. 36-45. 6) Cf. vrr. 1 sqq.

xime terribilem, similis filio hominis in coelo accipit a Deo aeternam potestatem regnumque super universam terram: ecce quarta monarchia: *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris.* Venit Christus in plenitudine temporis praefiniti a Patre, cum mundus in pessimo statu reperiretur. Non venit tempore capitis aurei vel pectoris argentei aut ventris aenei, sed tempore ferrei et terrei regni. En qualibus principibus regebatur mundus: Tiberio, Pilato, Herode, Anna et Caipha, qui non homines, sed monstra fuerunt et portenta vitiorum. Sic enim apud Danielem per quattuor monstrifica animalia designantur quattuor mundi imperia et monarchiae.

Magna res est sacra praedicatio,

II. *Factum est verbum Domini super Ioannem,* etc.[7] Ut praedicationem Ioannis introduceret, Lucas talem tantumque historiae et chronologiae apparatum praemisit, ad insinuandum quod res maximi momenti praedicatio est Evangelii; ab ipso enim Ioanne coepit Evangelii praedicatio: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.*[8] Describit Evangelista regnum Iudaeorum multas in partes divisum, cum Ioannes praedicare coepit, ad insinuandum quod prope finem erat synagoga, nam *omne regnum... divisum desolabitur,*[9] quod etiam pedes statuae Nabuchodonosor significant, quod multarum partium divisione periturum erat romanum imperium. Lex synagogae non promittebat nisi terrena bona; at Evangelium Ecclesiae tantum coelestia praedicat et promittit. Commutanda erat per praedicationem hanc lex in Evangelium, synagoga in Ecclesiam, terra in coelum.

haec enim est finis incarnationis, nam ad hanc Christus in mundum missus fuit,

Tanta apparatus pompa utitur Lucas ad introducendam praedicationem Evangelii quanta minime usus est ad introducendam incarnationem Filii Dei,[10] quia praedicatio finis quodammodo incarnationis est. Sic enim ipsemet Christus, Verbum incarnatum, ait verbis usus Isaiae: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.*[11] Ipse Christus missus fuit ad praedicandum Evangelium. Tanti enim fecit Deus Evangelii praedicationem, ut non contentus ad hoc misisse Ioannem post innumeros Prophetas, voluerit etiam unigenitum Filium suum mittere et post eum

7) Lc 3, 2. 8) Mt 3, 2. 9) Lc 11, 17. 10) Cf. 1, 26-38. 11) 61, 1-2 Affert ex Lc 4, 18.

etiam Spiritum Sanctum,[12] qui per Apostolos et discipulos Christi universum per orbem divinum Evangelium praedicaret.

Tale igitur ac tantum cum sit evangelicae praedicationis munus, ut ad hoc unigenitus Filius Dei et etiam Spiritus Sanctus Dei, verus Deus, missus sit, nil mirum si tanta cum magnificentia et pompa introducitur ab Evangelista. Haec ostendit homini ultimum finem ad quem conditus est; nec tantum ostendit, sed etiam promittit ex Dei nomine; praedicator enim nuncius est et legatus Dei, hinc *Angelus Domini* dictus est Ioannes.[13] Docet etiam media necessaria et sufficientia, imo et facilia ad finem hunc consequendum, ut in eo animus noster perpetuo quiescat, sicut lapis in suo centro et unumquodque naturale in suo naturali loco.

**Ideo tanta cum pompa introducitur in hodierno Evangelio.**

III. Describitur autem hodie ab Evangelista divini praedicatoris persona, genus, aetas, vita et munus. Persona est Ioannes, quod interpretatur gratia, vir gratia plenus, vir sanctissimus, Spiritu Sancto plenus, Angelus inter homines, plus quam propheta inter Angelos. Talem oportet esse divini verbi ministrum et dispensatorem mysteriorum Dei.[14] Genus est: *Zachariae filius*, ex nobilissima stirpe sacerdotali, de filiis Aaron[15] summi pontificis et hierarchae totius synagogae, heres magnae nobilitatis et virtutis. Vita sanctissima, asperrima in deserto,[16] ubi cum Deo et Angelis conversabatur, longe ab omni hominum conversatione; vitam ducebat angelicam in carne, coelestem in terra, divinam in mundo, in perpetua contemplatione coelestium, dies noctesque ducens in oratione Dei, ut Spiritu Sancto plenus et virtute ex alto indutus, magno postmodum cum fructu Christi Evangelium praedicaret. O utinam talis esset vita praedicatorum nostri temporis! Non esset mundus totus positus in maligno;[17] totus ad poenitentiam converteretur mundus.

**Describit Evangelium Ioannis personam et genus nobilissimum,**

**vitam sanctissimam et asperrimam,**

Aetas autem describitur per tempus imperii. Natus fuit Ioannes imperante Caesare Augusto, anno quadragesimo primo;[18] imperavit autem ille annis quinquaginta quinque, cui successit privignus eius Tiberius;[19] anno autem quintodecimo imperii Ti-

**aetatem**

12) Cf. Act 2, 1-4. 13) Mal 3, 1; Mt 11, 10; Mc 1, 2; Lc 7, 26-27. 14) Cf. 1 Cor 4, 1. 15) Cf. Lc 1, 5-7. 16) Cf. ibid. vr. 80. 17) Cf. 1 Io 5, 19. 18) Cf. not. 73 praec. hom., pag. 295. 19) Cf. ibid.

berii coepit praedicare Ioannes, hoc est anno aetatis suae trigesimo, cum virilis esset aetatis, cum vir perfectus esset sensu et iudicio rationali, ut etiam per aetatem vir esset auctoritatis cui merito adhibenda sit fides. Hinc nec Christus praedicare voluit ante hanc aetatem, ut in praedicatione nulla posset esse iuvenilis levitatis suspicio nullaque sit in praedicatore vanitas iuvenilis, sed virilis gravitas et auctoritas magna cum sanctitatis opinione ex vita mirabili.

**et divinam missionem acceptam.**

Tandem describitur munus et officium divina auctoritate acceptum, hoc est: *Factum est verbum Domini,*[20] scilicet mandatum praeceptumque Domini. Misit ipsemet Deus Ioannem ad praedicandum, sicut prius miserat Prophetas: Moysen, Eliam, Eliseum, Isaiam. Ieremiam et alios; sic venit Ioannes tanquam Dei nuncius et legatus. Destinavit autem Dominus ad hanc legationem virum summae auctoritatis et gravitatis, quoniam tractandum erat negotium inter Deum et humanam rempublicam, quod erat maximi momenti.

**Ioannes poenitentiam praedicabat,**

IV. Sed, quaeso, audiamus praedicationem Ioannis: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini,* etc.,[21] hoc est quod aliis verbis dixit Ioannes: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* Desiderat mundus praedicatores placidos, qui divinam semper misericordiam praedicent et promittant, qui viam salutis latam et spatiosam ostendant, sicut apud Isaiam legimus: *Populus... ad iracundiam provocans est... filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre, et aspicientibus: Nolite aspicere nobis... quae recta sunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.*[22] Videamus quomodo praedicat Ioannes, si dulcia loquitur et placentia, si in spiritu lenitatis et mansuetudinis. Audite praedicationem ipsius: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignos fructus poenitentiae... Iam enim securis ad radicem arboris posita est; omnis... arbor quae non facit fructum bonum,* etc.[23] Quid vobis videtur? Venit Ioannes in spiritu et virtute non Moysi, qui vir mitissimus fuit,[24] sed Eliae,[25] qui fuit vir zelantissimus et severissimus, qui occidit omnes sacerdotes et

**vitia severe increpabat**

20) Lc 3, 2. 21) Ibid. vr. 4. 22) 30, 9-10. 23) Lc 3, 7-9. Vulg.: *Fructus dignos... ad radicem arborum... non faciens fructus,* etc. 24) Cf. Nm 12, 3. 25) Cf. Lc 1, 17.

prophetas Baal[26] et centum servos impii regis Israel Ochoziae igne de coelo combussit.[27] Sic Ioannes rigidus est et severus praedicator. Interrogatus a turbis: *Quid ergo faciemus?*[28] hoc est: Tu dicis quod salvari non potest nisi qui fecerit dignos fructus poenitentiae et quod *omnis arbor quae non facit fructum bonum,* etc.: quid ergo faciendum nobis est? Respondit Ioannes: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas, similiter faciat,*[29] hoc est saltem servet quisque legem naturalem: *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.*[30]

**et bonum faciendum docebat.**

Videtis, fratres, quanta cum simplicitate et puritate loquebatur et praedicabat populo Ioannes. Et tamen adhuc multi sunt qui dicunt praedicatoribus: *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores,* scilicet dulces deceptiones, recedite a via, declinate a semita, cessare facite a facie nostra sanctum Israel.[31] Quid semper praedicare Evangelium, semper eadem inculcare? Dicite aliqua pulcra, subtilia, inaudita, ad pascendos et delectandos animos. Sed, quaeso, audite quid Deus dicat: *Pro eo quod reprobastis verbum hoc et sperastis in calumnia et... tumultu et innixi estis super eo, propterea erit vobis iniquitas haec sicut interruptio cadens et requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio eius. Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida et non invenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquae de fovea.*[32] Malum signum est, fratres mei, signum perditionis est cum displicet veritas: *Qui ex Deo est, verba Dei audit;*[33] requirere in sacra praedicatione inanem philosophiam, vanas historias, poetica figmenta, flores rhetoricos, pruritum aurium et non puram et simplicem veritatem pro salute aeterna.

**Hodie vero a praedicatoribus vana quaeruntur, quia veritas displicet;**

**sed hoc signum est perditionis.**

V. Fratres mei, si vere salutem animarum vestrarum desideratis ex animo, rogate instantissime Dominum ut det vobis praedicatores Ioanni similes, quoniam sicut legimus apud Ezechielem, cum elevabantur animalia illa sacra, quae Dei currum trahebant sacrosque Evangelistas designant, elevabantur pariter et

**Praedicatores verbi Dei similes Ioanni esse oportet,**

26) Cf. 3 Rg 18, 21 sqq. 27) Cf. 4 Rg 1, 3-16. 28) Lc 3, 10. 29) Ibid. vr. 11.
30) Mt 7, 12. 31) Cf. Is 30, 11. 32) Ibid. vrr. 12-14. 33) Io 8, 47.

rotae,[34] scilicet populi Ecclesiae; sic praedicante Ioanne, universus populus ad poenitentiam conversus fuit. Praedicatori vero per Isaiam dicit Deus: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam et annuncia populo meo scelera eorum et domui Iacob peccata eorum.*[35] Talis fuit Ioannes propheta Dei verax, non de numero illorum de quibus Dominus per Ieremiam ait: *Nolite audire* prophetas qui *decipiunt vos; visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini;*[36] quos etiam per Ezechielem Dominus arguit: *Vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum et nihil vident! Quasi vulpes in desertis prophetae tui, Israel;*[37] quia sicut in vulpibus nil boni est nisi pellis mollis et morbida, tota intrinsecus est ad nihil utilis, ita in falsis prophetis et praedicatoribus vanis – nam praedicatores tunc temporis prophetae dicebantur, – nil boni est nisi mollis blandiloquentia in promissionibus misericordiae divinae: *Dicentes: pax, et non est pax,* linientes parietem absque temperatura,[38] fabricantes absque firmo fundamento. Ubi etiam ait quod consuebant *pulvillos sub omni cubito manus* et faciebant *cervicalia sub* omni *capite universae aetatis,*[39] scilicet populo adulabantur, non arguebant vitia, sed divinam praedicabant misericordiam. Non sic Ioannes, sed: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* Quod si praedicatione sua Ioannes non multum profecit ut Iudaei in Christum crederent, non ipsi imputandum est, sed ipsis Iudaeis. Sit pictor optimus qui optimis utatur coloribus et penicillis, sed telarium habeat ex tela pessima vel tabula asperrima et nodosissima, quae nec gypsum tenet nec recipit colores: si optima non fit pictura, non est pictoris defectus.

ut populum ad poenitentiam convertant,

secus erunt falsi prophetae populo adulantes, non peccata arguentes.

VI. *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris,* etc. Mirum videtur cur evangelista Lucas divinum hoc opus describere voluerit potius per tempora terreni mundanique principatus quam coelestis et divini. Cur non dixit: Anno a creatione mundi quater millesimo, vel aliud huiusmodi, quo divinum designaretur imperium? Sed existimo quod si sic descripsisset, dixisset mundus: Quidnam est divinum hoc imperium? Quis divinus imperator? Sicut dixit

Describitur romanum imperium

34) Cf. 1, 19. 35) 58, 1. 36) 23, 16. 37) 13, 3-4. 38) Ibid. vr. 10-11. 39) Ibid. vr. 18.

Pharao Moysi et Aaron: *Quis est Deus, ut audiam vocem eius et dimittam Israel?* [40] Non agnoscebat tunc mundus alium imperatorem nisi Caesarem; sic dixerunt Iudaei Pilato: *Non habemus regem nisi Caesarem.* [41] Quare eo devenerat mundus ut totus esset veluti atheista, sicque totus in maligno positus erat [41a] ut non esset qui faceret bonum, non esset nec unus quidem. [42] Quod a principibus patet, nam cum principes sint capita mundi, sub infirmo capite non potest esse sanum corpus: cum caput dolet, omnia membra languent: [43] *Omne caput languidum et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas.* [44] In tempore autem talis tantaeque perversitatis, quae ad instar diluvii universalis totum mundum submerserat, [45] voluit Deus unigenitum Filium suum mittere, ut ubi abundavit delictum superabundaret et gratia. [46] Hoc est quod legimus apud Danielem, quod lapis cecidit de monte et percussit pedes fictiles statuae illius, quae semper ad viliora descendebat; nam cum haberet caput aureum, sub capite habebat pectus argenteum et postea ventrem aereum, sub quo tibias ferreas et tandem pedes magna ex parte fictiles terreosque. Sic mundus iste semper in peius processit. Cum autem ad pessimum iam devenisset statum, tunc de monte descendit lapis, qui paulatim crescens totum mundum implevit. [47]

**ad ostendendam perversitatem tunc in mundo regnantem,**

**cum Filius Dei venit.**

*Vox clamantis in deserto. Vox* dicitur Ioannes, quia sicut vox procedit a spiritu hominis et a mente, sic ipse per spiritum Dei praedicabat; et quia sicut vox praecedit et declarat conceptum mentis audientibus, sic Ioannes Christum praecessit et manifestavit. *Vox,* quia non sicut antiqui Prophetae divina oracula scriptis erat promulgaturus, sed tantum viva voce praedicaturus; *vox,* quia brevi tempore suo munere erat perfuncturus, cito enim vox transit; quia totus vox praedicationis erat, verbo et exemplo, vita et doctrina, lingua et manibus: vita Ioannis praedicatio erat. Tandem *vox clamantis,* scilicet vox magna, potenter feriens aures, quia homines acutissimis auribus praediti ad audienda quae mundi sunt, ad ea quae sunt Dei audienda surdastri sunt, ideo alta opus est voce et clamare fortiter oportet. Erant homines gravissimo veluti somno et lethargo sopiti:

**Vox dicitur Ioannes, quia Christum praecessit et annunciavit.**

40) Ex 5, 2. Vulg.: *Quis est Dominus,* etc. 41) Io 19, 15. 41a) Cf. 1 Io 5, 19.
42) Cf. Ps 13, 1. 3; 52, 4. 43) Proverbium, de quo cf. S. Beda *Sententiae,* (P. L. 90, 1094).
44) Is 1, 5-6. 45) Cf. Gn 7, 11 sqq. 46) Cf. Rom 5, 20. 47) Cf. 2, 28-45.

ad eos excitandos magna voce opus erat; et tamen vix tali tantaque Dei voce excitari potuerunt.

Ut via bona sit quattuor requiruntur,

*Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Ut via bona sit quattuor requiruntur: ut sit recta, plana, lata atque expedita, absque impedimento, nam lapides, lutum et pulvis magno sunt impedimento et viam difficilem reddunt. Sic necesse est ut via vitae nostrae, qua in hoc saeculo tanquam peregrini ad patriam tendimus, sit recta per iustitiam, plana per aequitatem, lata per caritatem et dilectionem, expedita, sine lapidibus avaritiae, luto luxuriae, pulvere mundanae vanitatis et superbiae. Hoc est quod ait: *Omnis vallis*, etc.[48] Vallis est defectus, mons autem superfluitas terrae; suppleantur defectus in rebus spiritualibus et tollantur vanae superfluitates in corporalibus.

quae tamen quilibet facere recusat.

Mirandum valde est, fratres, quod in mundo bona corporalia quisque vellet pro se, spiritualia autem pro aliis; hinc quisque videt et damnat vitia aliorum; vellet quisque ut alii essent sancti, absque omni vitio, sed pro se non desiderat quis nisi esse absque defectu rerum corporalium; terram quilibet vult pro se et coelum Deumque pro aliis.

## III. ALIA HOMILIA

*Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudaeam, tetrarcha autem*, etc.[1]

Ioannes a Deo missus fuit ad praedicandum.

I. Agitur in sacrosancto hodierno Evangelio de praedicatione Ioannis Baptistae; nam ad hoc missus fuit a Deo, ut alter Ioannes ait, aquila Evangelistarum et theologorum phoenix:[2] *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes; hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.*[3] Et sic Deus ipse per Malachiam ait: *Ecce ego mitto Angelum meum et praeparabit viam ante faciem tuam; et statim veniet ad templum* sanctum *suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.*[4] Sic Lucas hodie ait quod *venit*, sed postquam

48) Lc 3, 5.

1) Lc 3, 1. 2) Alludit ad proverbium: « Phoenice rarior », de quo cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 949. 3) 1, 6-7. 4) 3, 1. Vulg.: *Ante faciem meam.*

*factum est verbum Domini* ad eum, *in omnem regionem Iordanis praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.*[5] Matthaeus ait quod sic praedicabat Ioannes: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.*[6]

Quare tria praedicabat Ioannes: Christum, poenitentiam et regnum coelorum; Christum esse verum Messiam, poenitentiam necessariam esse ad consequendam remissionem peccatorum, et quod a Deo paratum est nobis regnum coelorum. Primum horum trium non tangit Lucas in hodierno Evangelio, sed tantum duo posteriora; sic et ego. Nam cum omnes nos per gratiam et misericordiam Dei tanquam fideles et veri catholici in Christum credamus, necessarium nunc minime est Christi fidem nobis praedicatione persuadere. Praedicat ergo Ioannes hodie poenitentiam et regnum coelorum, viam et patriam.

**Tria praedicabat: Christum, poenitentiam et regnum coelorum.**

II. Magna res est praedicare hominibus eisque promittere regnum et regnum coeleste, aeternum et infinitum; ideo tanto cum splendore, tanta cum pompa et apparatu historico introducitur in hodierno Evangelio haec praedicatio. Quoniam vero multa promittenti et magna parum creditur, nisi persona sit magnae auctoritatis et fidei, hoc primum de Ioanne docet Lucas, quod *factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto;*[7] quod missus a Deo est ad praedicandum tanquam nuncius et legatus divinus. Nunciis et legatis in publicis legationibus adhiberi solet fides in iis quae dicunt atque promittunt nomine suorum principum a quibus missi sunt. Magna promittit Ioannes, sed Dei nomine cuius est legatus. Non est Ioannes qui promittit, sed Deus. An Deo omnipotenti fidem negabimus? Divinis promissionibus fidem non adhibebimus?

**Ioannes tanquam Dei legatus promittit regnum coelorum.**

Homini magna promittenti aliquando non creditur ex dubitatione aut suspicione vel quod non possit vel quod nolit promissa praestare vel quod, si vere, dum promittit, et potest et vult implere promissa, postea tamen, re melius considerata, eum poenitet vel ne se bonis quae promiserat privet domumque suam, vel quia hominem postea promissis indignum novit quem prius minime noverat, vel ab amicis et domesticis dissuasus. De Deo autem tam magna promit-

**Deus autem quod promittit servat, est enim omnipotens**

5) 3, 2-3. 6) 3, 2. 7) 3, 2.

tente quid dicemus? Quod non potest servare quae promittit? An non est omnipotens ipse creator coeli et terrae? Quis fecit omnia quae vel oculis cernuntur vel mente intelliguntur in coelo et in terra? Si rex magnus aut imperator optimatibus suis promittit marchionatus, comitatus, ducatus et principatus similesque titulos et status in suo regno aut imperio, praestare etiam potest.

et verax,

Sed an forte censendus Deus est nolle stare promissis, sed curialium more multa proferre? Hoc autem infidelitas et mendacium est; Deus autem fidelis est: *Seipsum negare non potest;* [8] *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax,* [8a] scilicet mentiri potest, Deus autem nequaquam: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt,* [9] scilicet coelum et terra potius deficerent quam Dei verbum et promissa. Si Deus magna promittit, maxima, multo maiora praestat, quamvis impossibilia videantur promissa. Quis non videat sole clarius impleta omnia quae divinitus sanctis Patriarchis et Prophetis fidelique populo promissa sunt? Promittere autem et promissi postmodum poenitere hominis est parum cordati et sapientis, est defectus prudentiae vel mentis instabilitas; Deus autem est ipsamet sapientia, nec mutari potest divinae voluntatis decretum: *Ego... Deus et non mutor;* [10] *Sine poenitentia... sunt Dei dona* [10a] et promissa, idest Deum non poenitet promissorum donorum. Si igitur Deus hodie per Ioannem magna nobis promittit, dum universo populo praedicat regnum coelorum, integerrima est summaque et maxima adhibenda fides divinis promissionibus.

Imo maiora dat quam promittat.

Satanas est qui magna promittit et nihil attendit.

Satanas est qui magna promittit, sed nihil attendit, qui promissis nos decipit, sicut pisces decipiuntur esca ut hamo capiantur. Magna promisit parentibus nostris: *Nequaquam... moriemini,* sed *eritis sicut dii scientes bonum et malum,* [11] si comederitis de ligno vetito. Promisit immortalitatem vitaeque aeternitatem, divinam dignitatem et gloriam divinamque sapientiam et omniscientiam; sed haec omnia eripuit nobis. Sic nunc quoque promissis suis omnes fere decipit, promittens vitae diuturnitatem ac longaevitatem, mundana bona mundanamque felicitatem ac prosperitatem in saecularibus negotiis,

8) 2 Tim 2, 13. Vulg.: *Negare seipsum,* etc. 8a) Rom 3, 4. 9) Mt 24, 35.
10) Mal 3, 6. Vulg.: *Ego... Dominus,* etc. 10a) Rom 11, 29. Vulg.: *Dona... Dei.*
11) Gn 3, 4.

modo avertat animum a spe, a desiderio et cogitatione coelestium bonorum, quae a Deo nobis promissa et praeparata iam a saeculo sunt, modo Ioannis vocem minime audiamus dicentem: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.*

**Deus promittit regnum coelorum, sed laborando et pugnando hoc regnum acquiritur.**

Sicut autem promisit quidem Deus Hebraeis terram Chanaan et regnum Palaestinae, sed ita tamen ut armis pugnando illud sibi acquirerent, Deo victorias largiente et virtutem auxiliumque praestante ad hostes superandos et in nihilum redigendos,[12] sic promittit quidem nobis Deus regnum coelorum, ita tamen ut armis iustitiae pugnando contra diabolum, mundum et carnis vitia atque concupiscentias illud nobis acquiramus. Promittit nobis coelestem civitatem Ierusalem supernam, quae nostra civitas et patria est: *Non enim habemus... civitatem permanentem, sed futuram inquirimus;*[13] *Dum sumus in hoc saeculo, peregrinamur a Domino;*[14] vult tamen ut laboremus per viam ambulando quae ad civitatem hanc ducit.

**Praedicat Ioannes parare viam planam, rectam et facilem;**

III. Id autem quod iter agentes peregrini valde desiderant est ut sit via bona, plana et facilis, non admodum laboriosa. Sic Ioannes ait viam salutis quae ad coelum ducit bonam facilemque futuram: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius; omnis vallis implebitur et omnis mons et collis humiliabitur et erunt prava in directa et aspera in vias planas.*[15] Ut via bona sit requiritur ut sit plana, non montuosa, nam via quae per altos montes et profundas valles in Alpibus facta est, procul dubio valde laboriosa suapte natura est. Praeterea, ut sit recta, non tortuosa, obliqua et arcuata; necesse est enim ut sit multo longior via sinuosa, peregrini autem desiderant, ut dici solet, per chordam potius quam per arcum ire. Tertio, ut sit via non aspera, non petricosa, non lutuosa aut arenosa, sed facilis, quae non augeat corporis defatigationem atque laborem. Sic, inquit Ioannes coeli viam describens, erit plana, quia *omnis vallis implebitur et omnis mons et collis humiliabitur;* erit recta, nam: *Erunt prava in directa;* erit facilis: *Et aspera in vias planas.*

Comparat hisce verbis Ioannes, ut opinor, evangelicam legem cum lege mosaica. Data fuit lex Moysi ut esset via salutis: *Si... vis*

12) Cf. Ex 3, 17; Nm 21, 1 sqq.; Dt 2, 1 sqq.; Ios 3, 10. 13) Hebr 13, 14. Vulg.: *Manentem civitatem*, etc. 14) 2 Cor 5, 6. Vulg.: *Dum sumus in corpore*, etc. 15) Lc 3, 4-5.

talis est via legis evangelicae, quae est lex amoris et pietatis.

*ad vitam ingredi, serva mandata;*[16] *Haec fac et vives.*[17] Sic legimus in *Levitico: Custodite leges meas atque iudicia, quae faciens homo vivet in eis,*[18] alioquin maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quae scripta sunt in libro legis ut faciat ea.[19] Quis autem nescit quod lex Moysi servatu admodum difficilis erat? Sic Petrus ait: *Quid tentatis... imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari.*[20] Manus Moysi graves erant,[21] lex data in lapidibus fuit,[22] lex erat timoris, minarum, irarum, vindictarum et mortis, iugum valde asperum et grave; Evangelium vero lex amoris et pietatis, iugum est suave et leve: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis* sub iugo legis, *et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve.*[23]

Facilis et suavis est lex Christi, asperrima autem et difficilis valde erat lex Moysi

Sic Ioannes hodie discrimen statuit inter legem Moysi et Evangelium Christi, quale est inter viam montuosam, flexuosam, asperam ac valde difficilem et inter viam planam, rectam, facilem ac valde bonam, qua nec desiderari melior potest. Quid est hoc nisi quod magna cum difficultate servari poterat lex Moysi et quod lex Christi facillime servatur? Videte quale discrimen est inter circumcisionem et baptismum, inter sanguinem et aquam, inter statum servorum et statum filiorum, inter timorem et amorem, inter sacrificia et sacrificia, inter cultum et cultum, inter praecepta et praecepta! Lex habebat sexcenta et tredecim praecepta,[24] Evangelium duo tantum: ut diligamus Deum super omnia et proximos sicut nos ipsos.[25] Lex Moysi tota erat montes et valles: mons est terrae excessus, vallis autem defectus; ille altitudo terrae, haec autem profunditas: in lege erant montes externarum caeremoniarum, sed valles defectus spiritualium exercitiorum in virtutibus animi, quibus vere Deus colitur in spiritu et veritate;[26] montes promissionum temporalium bonorum, valles defectus aeternorum: aeternam vitam, coelestem gloriam,

et imperfecta tum in praeceptis, tum in promissionibus et praemiis,

16) Mt 19, 17. 17) Lc 10, 28. Vulg.: *Hoc fac*, etc. 18) 18, 5. 19) Cf. Dt 27, 26.
20) Act 15, 10-11. 21) Cf. Ex 17, 12. 22) Cf. ibid. 31, 18; 34, 28-29.
23) Mt 11, 28 sqq. 24) *Talmud Babyl., Makkoth*, f. 23ᵃ; Moses Ben Maimon *Liber Praeceptorum*, apud Blasium Ugolinum *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*, t. 8, col. 695-696.
25) Cf. Mt 22, 37-39; Mc 12, 30-31. 26) Cf. Io 4, 23-24.

perpetuam felicitatem et beatitudinem in coelesti paradiso nullibi lex promittit; montes minarum temporalium malorum, valles defectus aeternorum: nullibi disserit de aeternis inferni poenis, sicut nec de creatione Angelorum aut de casu daemonum et malorum spirituum; montes figurarum et umbrarum, sed valles veritatum; montes sacrificiorum, sed valles sacramentorum, nam vacua erant veteris legis sacramenta, gratiam non conferebant suapte natura; montes iustitiae et severitatis, valles misericordiae et pietatis, erat enim tunc *Deus ultionum:*[27] lex mortem minabatur peccatoribus,[28] sed non misericordiam promittebat poenitentibus, nullum erat sacrificium pro peccatis voluntate commissis, unde P a u l u s ait: *Voluntarie enim peccantibus nobis... non relinquitur hostia pro peccatis; terribilis autem quaedam expectatio iudicii et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios.*[29] Sic D a v i d poenitens ait: *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique*[30] pro peccato meo; ita ut nonnisi ex divina revelatione scire poterat peccator dimissum sibi esse peccatum, sicut David, cui Nathan ait: *Dominus... transtulit peccatum tuum*, noli timere, *non morieris.*[31] At in nova lege habemus Poenitentiae sacramentum, post Baptisma, quo omnia peccata deleantur. Sic Deus per Evangelium facilem paravit nobis viam aditumque aeternae salutis per poenitentiam salutarem.

tum in sacrificiis et sacramentis.

IV. Sed quid est quod ait: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius?* Nonne parata a Deo via est? Nonne suapte natura recta est? Quomodo ergo paranda et dirigenda iubetur? Quaeso, attendite. Hebraice sic legitur I s a i a 40: פַּנּוּ דֶּרֶךְ יְהוָֹה יַשְּׁרוּ בָּעֲרָבָה מְסִלָּה לֵאלֹהֵינוּ;[32] ubi duo sunt verba multiplicis significationis: פָּנָה[33] enim non tantum p a r a r e significat, sed etiam r e s p i c e r e ac sese vertere ad inspiciendum; יָשַׁר vero significat d i r i g e r e, rectum esse, et p l a c e r e, recte iudicare ac bene. Ait ergo: *Parate viam Domini:* videte, respicite ut inveniatis eam,

Vult Deus ut aspiciatur quaenam bona sit via.

27) Ps 93, 1. 28) Cf. Lv 20. 1 sqq. 29) Hebr 10, 26-27. Vulg.: *Pro peccatis hostia, etc.* 30) Ps 50, 18. 31) 2 Rg 12, 13. 32) Vr. 3. Ms.: *Pannu derech Iehovah iasceru baharabah mesillah lelohenu.* 33) Ms.: *Panah*, et infra: *Iascar.*

sicut apud Ieremiam ipse Dominus ait: *Haec dicit Dominus: State super vias et videte et interrogate de semitis antiquis*, sive saeculi aut mundi, *quae sit via bona, et ambulate in ea et invenietis refrigerium animabus vestris.*[34] Videtis quomodo iubet Deus ut aspiciatur ac videatur quaenam bona sit via? Sic etiam inquit: *Dirigite, rectas facite*, rectas bonasque iudicate vobisque placere ostendite semitas Dei nostri, nam homo libenter agit quod arridet et sibi placet.

Alia est via qua Deus ad nos venit et alia qua nos ad Deum imus; utraque autem paranda est.

Verum, quoniam hebraice *dirigite semitam in solitudine Deo nostro* legimus, dicendum est quod duplex est via: altera qua Deus ad nos venit et altera qua nos ad Deum imus. Via qua Deus ad nos venit animus noster est, via qua nos ad Deum tendimus lex Domini est et vitae Salvatoris imitatio. Venit ad nos Deus per viam intellectus vel affectus, per viam cognitionis vel amoris, per viam cogitationis vel desiderii aut affectionis. De via qua Deus ad nos venit ait: *Parate viam Domini, rectas facite semitas Deo nostro*, scilicet auferte omnia impedimenta quae venientem Dominum remorari possunt iterque impedire aut retardare et oculos maiestatis eius offendere.

Via Dei ad nos per poenitentiam paratur, via nostra ad Deum per observantiam legis.

Quare idem est quod hic Ioannes ait, cum eo quod Samuel universo populo dixit: *Praeparate corda vestra Domino et servite illi soli; auferte deos alienos de medio vestri.*[35] Sic per poenitentiam salutarem paratur via et dirigitur semita per quam veniat ad nos Christus Deus noster. Paravit nobis Deus viam optimam, ut minimo cum labore perageremus nostrum iter in coelestem patriam; exigit ratio ut nos quoque venienti Deo viam paremus pro nostra virili non indignam tali tantaque maiestate; paremus viam ita ut sit plana, recta, lata et facilis, non lutosa, non salebrosa, non tetricosa aut senticosa, deserta et invia, sed bona, optima, ornatissima, qualis parari solet magno principi qui avide in civitate excipitur.

quae purificat et ornat Dei habitationem, idest animam,

Praeparate viam, *praeparate corda vestra Domino*: ne sitis, inquit, insipientes, quales censerentur ab omnibus illi qui regem excepturi in civitatem pararent viam atque ornarent mille modis; similiter palatium, aulam et procubicula; de regis cubiculo, de lecto, de mensa et victu nihil vel cogitarint quidem, quod principe loco et cura faciendum erat, ut esset ornatissimum et rege dignissimum. Ne, inquam,

34) 6, 16. 35) 1 Rg 7, 3. Vulg.: *Servite ei soli*, etc. Ordine inverso affert hunc vr.

nos similes his simus, nam nemo est qui pro hac solemnitate suam non ornaverit domum atque seipsum pro viribus, sic etiam ornatae sunt Ecclesiae atque altaria. Sed cubiculum Christi anima nostra, cor nostrum est; hoc est Christi habitaculum et domicilium in nobis, aliam non quaerit sedem nec aliud stratum. Hanc igitur domum necesse est ut paremus Domino, haec mundanda nobis est a vitiorum immunditiis, haec ornanda virtutum ornamentis.

quam Deus ipsemet ingrediendo splendidiorem faciet.

Quod si tanto principe dignam praeparare habitationem non possumus, faciamus quod pro nostra virili possumus. Moyses praeparavit habitaculum Domino,[36] praeparavit et Salomon templum pro viribus ornatissimum auro gemmisque.[37] Quoniam vero nil potest Deo dignum esse, cum descendit Dominus ad habitandum in tabernaculo Moysi, gloriam secum de coelo attulit: *Gloria Domini implevit* tabernaculum, *maiestate Domini coruscante;*[38] similiter de templo legimus: *Complevit... gloria Domini templum Dei.*[39] Est enim Deus sicut sol, qui sua gloria suum ornat palatium illustrans suis radiis coelum universum. Videamus ne nunc quoque accidat Christo id quod in die palmarum accidit: exceptus fuit avide in civitatem Ierusalem, occurrit ei universus populus magna cum laetitia et exultatione, omnes cum ramis palmarum et olivarum acclamabant triumphum: *Hosanna Filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel;*[40] *Pax in coelo et gloria in excelsis;*[41] multi etiam honoris causa vestimenta sua prosternebant in terra;[42] sed cum in templum pervenit a profanis mercatoribus occupatum, invenit tanquam speluncam latronum – unde conquestus, et merito, fuit dicens: *Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum,*[43] – a nemine exceptus fuit convivio; quare esuriens et famelicus in Bethaniam reversus fuit.[44]

Satagere ergo debemus ut veniens ad nos Christus domum suam indignam non inveniat.

Ad parandam viam Christo Ioannes poenitentiam

V. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*, scilicet: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim*, etc. Ut Ioannes viam Christo praepararet iuxta patris oraculum: *Tu,*

36) Cf. Ex 40, 1-31. 37) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 2 Par 3, 1-4, 1 sqq. 38) Ex 40, 32-33. 39) 2 Par 5, 14. Vulg.: *Compleverat... domum Dei.* 40) Mt 21, 9; Io 12, 13. 41) Lc 19, 38. 42) Cf. Mt 21, 8; Mc 11, 8; Lc 19, 36. 43) Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 46. 44) Cf. Mt 21, 17.

et baptismum praedicabat et poenitentes baptizabat.

*puer, propheta Altissimi vocaberis, praeibis... ante Dominum parare vias eius; ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum,*[45] tria faciebat: praedicabat, sed scientiam salutis, praedicabat poenitentiam, sicut et Christus, sic enim praedicare coepit: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;*[46] sic etiam Apostoli;[47] praedicabat *baptismum poenitentiae,*[48] scilicet in signum verae poenitentiae, et tertio loco, vere poenitentes ac peccata sua confitentes baptizabat in Iordane,[49] quamvis baptisma ipsius gratiam non conferret, nam ait: *Ego... baptizo vos... aqua, qui autem post me venit... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.*[50]

Poenitentia dolorem de peccatis importat.

Primum ergo quod praedicat Ioannes poenitentia est salutaris: *Poenitentiam agite,* sive, ut graece est, μετανοεῖτε,[51] *poenitemini,* resipiscite, cognoscite peccata vestra et dicite cum David poenitente: *Peccavi Domino,*[52] ut Dominus transferat peccata vestra. Importat autem poenitentia displicentiam et dolorem de peccatis contra Deum legemque eius admissis.

Deus poenitentiam requirit contra delectationem peccati

Poenitentiam a nobis requirit Deus et condignam poenitentiam; ait enim: *Facite... dignos fructus poenitentiae, iam enim securis ad radicem arboris posita est; omnis... arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.*[53] Requirit a nobis poenitentiam, sicut medicus ab infirmo ut amaram sumat potionem ad evacuandos malos humores, qui maxime ex dulcium et suavium comestione causantur. Amat enim natura dulcia et suavibus nimium delectatur; hinc fiunt repletiones, hinc indigestiones et cruditates; ideo amara requiritur potio, sic enim contraria contrariis curantur.[54] Peccare est comedere de ligno scientiae boni et mali,[55] sed poenitere est comedere de ligno scientiae mali et boni, qualis fuit crucis arbor. Peccatum prius offert et dat nobis bonum, scilicet delectationem atque dulcedinem quandam suavem et iucundam, sed momentaneam; postea vero amaritudinem conscientiae diuturnam, imo perpetuam; poenitentia vero fructus est arboris scientiae mali et boni, arboris

45) Lc 1, 76-77. Vulg.: *Ante faciem Domini*, etc. 46) Mt 4, 17. 47) Cf. ibid. 10, 6-7. 48) Mc 1, 4; Lc 3, 3. 49) Cf. Mt 3, 6; Mc 1, 5. 50) Mt 3, 11. Vulg.: *Qui autem post me venturus est*, etc. 51) Ms.: *Metanoite.* 52) 2 Rg 12, 13. 53) Mt 3, 8-10; Lc 3, 8-9. Vulg: *Fructum dignum poenitentiae... ad radicem arborum*, etc. 54) Aphorismus Hippocratis, de quo cf. Galenus *De Sanitate tuenda*, lib. 1, cp. 7, f. 65ª; lib. 5, cp. 1, f. 93ª; cp. 12, f. 94ᵇ. 55) Cf. Gn 2, 17.

crucis: prius dat nobis amaritudinem, postea vero sempiternam dulcedinem.

Requirit a nobis poenitentiam tanquam iustam punitionem peccati admissique delicti, nam divina iustitia sicut nullum bonum relinquit irremuneratum, ita nec malum relinquere vult impunitum; poenitentia est punitio et vindicta de peccato sumpta. Si homo hominem laesit eique reconciliari desiderat, necesse est ut condignam praestet satisfactionem, ut veniam petat ostendatque se dolere de illata iniuria ac displicere sibi offensam. Nos autem Deum offendimus, quare necesse est ut per poenitentiam reconciliemur; poenitentia autem sacrificium est pro peccato quo exhibemus corpora nostra Deo hostiam viventem,[56] crucifigentes carnem cum vitiis et concupiscentiis.[57] Non potest autem occidi[58] animal Deo in sacrificium immolandum sine doloris sensu: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum.*[59]

et in iustam peccati punitionem

et divinae offensae reparationem.

Est poenitentia circumcisio cordis:[60] quis unquam circumcidi potuit sine dolore? Arca Dei Dagonem deum Philisthaeorum in terram proiecit caputque et manus amputavit;[61] et primum quod iussit Deus Hebraeis fuit, ut ingressi terram promissionis idola Gentium destruerent et ad nihilum redigerent;[62] iussit ut Deo in sacrificia offerrent hircos, arietes, oves, boves et huiuscemodi animalia,[63] quae Aegyptii tanquam divina numina colebant.[64] Samuel ad populum ait: *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri.*[65] Peccatum est cultus quidam idololatriae: *Quorum deus venter est,*[66] inquit Paulus alludens ad Dagonem deum Allophylorum capite manibusque truncatum; et iterum ait quod *idolorum servitus* avaritia est.[67] Ut igitur Deo vere serviamus et placeamus, delenda sunt per poenitentiam vitiorum idola, nam Deum et idola cum Samaritanis colere minime possumus[68] et in duas partes cum Israelitis claudicare, ut Deum simul cum Baal colamus.[69] Sic Ioannes poenitentiam a nobis requirit, sed condignam: *Facite ... fructus dignos poenitentiae.*

Vera poenitentia destructionem omnium penitus vitiorum significat.

56) Cf. Rom 12, 1. 57) Cf. Gal 5, 24. 58) Ms.: *Occidit.* 59) Ps 50, 19.
60) Cf. Ier 4, 4. 61) Cf. 1 Rg 5, 2-7. 62) Cf. Dt 12, 1-3. 63) Cf. Lv 1, 1 sqq.
64) Cf. Ex 8, 26. 65) 1 Rg 7, 3. 66) Phil 3, 19. 67) Col 3, 5.
68) Cf. 4 Rg 17, 41. 69) Cf. 3 Rg 18, 21.

Duae sunt praecipuae partes poenitentiae; dolor et propositum.

VI. Sciendum autem quod duae sunt praecipuae poenitentiae partes: altera est resipiscentia ac recognitio peccati una cum dolore et displicentia de commisso scelere, altera est odium peccati et firmum animi ac stabile voluntatis propositum fugiendi peccatum in posterum, ita ut mortem quis potius et quodvis aliud malum, licet maximum, subire [70] velit, quam peccatum in Deum admittere. Et hoc est quod Ioannes ait: *Parate viam*, sive mundate viam et dirigite semitam, ut per poenitentiam vere iustificati declinemus a malo et faciamus bonum. [71]

Non sola peccata commissionis vitanda sunt, sed etiam omissionis.

Quoniam vero sicut duplex est pars iustitiae et duo genera praeceptorum legis, ita duo sunt quoque genera peccatorum; peccamus enim et committendo mala et omittendo bona. Loquitur Ioannes de montibus et vallibus, dum monet ut paretur via et dirigatur semita. Montes sunt peccata commissa, valles bona dimissa; montes cogitationum superfluarum, desideriorum carnalium, verborum otiosorum, operum vel malorum vel vanorum in servitium mundi et carnis; sed valles sunt defectus bonarum cogitationum, sanctorum desideriorum, verborum et operum quae ad salutem necessaria sunt. Humilientur montes et impleantur exaltenturque valles, tollantur superfluae cogitationes, desideria, verba, opera carnis et mundi, adhibeantur autem spiritualia et quae Deo placent nobisque utilia sunt. Haec erit condigna poenitentia: *Facite... fructus dignos poenitentiae, iam enim securis ad radicem arboris posita est.*

hoc enim est declinare a malo et facere bonum.

Talis est vera poenitentia quam Ioannes praedicabat.

Sic venit Ioannes *in spiritu et virtute Eliae*, [72] praeco divini verbi zelantissimus, ardentissimus ac severus valde, intentans minas damnationis et perditionis aeternae: *Omnis... arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Facile tamen est quod nobis suadet, ut a ventura ira fugiamus: *Poenitentiam agite.* Si via hac rei mortis et poenarum effugere possent a manibus temporalis iustitiae, quis non facillime ultima supplicia et omne poenarum genus effugeret? Si sola delicti poenitentia et emendationis promissio reis sufficeret ad evadendam mortem, nemo unquam moreretur per manus iustitiae. Quid ergo hac via salutis facilius?

70) Ms.: *Potius* iterum ponitur. 71) Cf. Ps 33, 15; 1 Petr 3, 11. 72) Lc 1, 17.

De duobus regnis loquitur hodie Evangelium:

VII. *Videbit omnis caro salutare Dei,*[73] sive: *Revelabitur gloria Domini et videbit omnis caro pariter,*[74] vel: *Appropinquavit . . . regnum coelorum.* Hodiernum Evangelium veluti magnus quidam thesaurus est bonorum omnium coelestium et terrestrium, temporalium et aeternorum, visibilium et invisibilium; loquitur enim de imperio terreno atque mundano cum omni dignitate quae in mundo reperiri potest, et de regno coelesti et divino. Sicut enim in mundi exordio duo regna constituit Deus: regnum diei, cui praefecit solem, et regnum noctis, quod tradidit lunae,[75] sic nunc duo nobis proponuntur regna. Ab initio Deus duo condidit regna: coeleste unum, terrenum alterum, cum *creavit . . . coelum et terram.*[76] Regnum coeli super Angelos tradidit Filio suo, regnum vero terrae tradidit homini super animalia: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.*[77] Non contentus autem homo tali tantoque principatu, arte et suasu diaboli coelestis regni sceptrum et coronam appetiit.[78]

de terreno, quod Deus homini dat, et de coelesti, quod dat Filio suo.

Et quidem Deus regnum coeleste semper praetulit terreno: *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum,* sive, ut in hebraico est, *filiis Adam,*[79] hoc est: regnum coeleste Deus dedit Domino unigenito Filio suo, vero Deo, qui humanandus erat et humana carne induendus, terrenum autem regnum homini dedit servo, ut esset veluti pro-rex et procurator, sicut in hodierno Evangelio Pilatus in Iudaea erat procurator Tiberii Caesaris. Praetulit Deus semper coeleste regnum terreno sicut sol praefertur lunae, aurum aeri, argentum plumbo.

Contempsit Christus regnum terrenum, hinc in mundum incognitus venit.

Contempsit Christus regnum terrenum atque mundanum, hinc noluit rex esse in mundo hoc, sicut David et Salomon, Cyrus aut Assuerus. Sicut enim indignitatis esset, non dignitatis munus, ut nunc potentissimi regis Hispaniarum unicus filius regni princeps mitteretur a patre in Italiam pro-rex Neapolis vel Siciliae aut pro-dux Mediolani,[80] ita plane indignum fuisset unigenito Filio Dei ut cum

73) Ibid. 3, 6. 74) Is 40, 5. 75) Cf. Gn 1, 16. 76) Ibid. 1, 1. 77) Ibid. vr. 26. Vulg.: *Et praesit piscibus,* etc. 78) Cf. ibid. 3, 4-6. 79) Ps 113 (hebr. 114), 16. 80) Scitum est ex historia civili regem Hispaniarum tempore S. Auctoris potestatem in duas Sicilias et Mediolani habuisse, quam Mediolani per pro-ducem et Neapolis per pro-regem exercebat.

titulo et honore mundani regis aut imperatoris in hunc mundum venisset. In mundum hunc venire voluit incognitus, tanquam privata persona, licet rex coeli esset, unigenitus Filius Dei summi.

Vilipendit Deus terrenum regnum, quod etiam inimicis dat,

Deus etiam ipse contemnere semper visus est coronas et sceptra mundani imperii mundanasque dignitates, nam ante Christi adventum et multis etiam post Christum annis regna haec et imperia infidelibus dedit: Assyriis, Chaldaeis, Persis, Medis, Graecis atque Romanis, hominibus impiis, daemonum cultoribus, servis diaboli, inimicis Dei vivi et veri. An non vilissima reputamus quae in immundorum animalium cibum proicimus comedendaque tradimus? Tradidit romanum imperium Tiberio, homini impio, tyranno crudelissimo, carnis vitiis deditissimo, qui etiam ob nimiam crapulam et ebrietatem biberius dicebatur, ut Suetonius Tranquillus scribit;[81] provinciam Iudaeae tradidit Pilato, a quo unigenitus Dei Filius crucifigendus erat;[82] pontificiam dignitatem Annae et Caiphae, horrendae impietatis monstris, qui avaritia et ambitione ducti pontificatum emebant annuatim.[83] Sic Deus vilipendit ac pene nihili facit mundi huius principatum, regna et imperia terrae, quoniam vitiis plena sunt, avaritia, ambitione, superbia, libdiine et mille malis: *Mundus totus in maligno positus est.*[84]

maximi autem facit coeleste, quod Filio et amicis suis ab aeterno praeparavit.

Regnum autem coeli, quod Filio suo dedit, quod amicis et electis suis ab aeterno praeparavit, maximi facit, quoniam regnum est in quo omne reperitur bonum, regnum augustissimum, felicissimum, regnum perpetuae felicitatis et pacis, regnum infinitum et aeternum, ubi terrenum regnum ad nihilum redigendum est, nam: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.*[85] Videmus autem romanum imperium in tot partes divisum atque dissectum, sicut in digitis statuae, quam in somnis vidit rex Chaldaeorum, praemonstratum fuit,[86] et in decem cornuis quartae bestiae,[87] et tandem tota statua fuit redacta in nihilum; sed regnum coelorum regnum est, ut Daniel ait, *quod non corrumpetur,*[88] quod in aeternum manebit.

81) *Duodecim Caesares*, cp. 42-44, pag. 322-327; cp. 50-61, pag. 332-349. 82) Cf. Mt 27, 2-26; Mc 15, 1-15; Lc 23, 1-25; Io 19, 1-16. 83) Cf. S. Beda *In Evang. S. Marci*, lib. 4, (P. L. 92, 279). 84) 1 Io 5, 19. 85) Lc 11, 17. 86) Cf. Dn 2, 31-45. 87) Cf. Ibid. 7, 19-20. 88) 7, 14.

Nunc vero, o fratres, si rectum Dei iudicium est, si Deus recte ac sapientissime de rebus omnibus iudicat, cum sit ipsamet sapientia, quid est quod nos tanti facimus terrena bona et tam nihili coelestia, cum Deus, e contra, tam vili pendat terrena et tanti faciat coelestia? Mundana bona quis nescit quod magno cum labore acquiruntur, magno cum timore possidentur, cum sint multis periculis subiecta, et magno cum dolore amittuntur? [89] Coelestia autem facili negotio acquiruntur et nullis cum sint subiecta periculis nec possint amitti, nec possidentur cum timore nec amittuntur cum dolore. Et tamen nemo est qui coeleste regnum quaerat, quod Ioannes praedicat et promittit, terrena autem regna omnes summo studio perquirunt. Bone Deus, Christus ait: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra . . . thesaurizate autem vobis thesauros in coelo,* [90] et nos ex diametro totum oppositum facimus! Quaenam haec fides est nostra? quomodo credimus?

Homines tamen, ex opposito, maximi faciunt terrena et contemnuut coelestia.

VIII. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Magna profecto res est salutare Dei, salus divina; nihil est ultra quod maius aut melius sit. Hoc significavit Regius Vates *Psalmo 90,* dum bona multa et magna enumerat, quibus veri servi Dei gaudent. Cum enim multa enumerasset dicens quod: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur . . . Ipse liberabit me de laqueo venantium et a verbo aspero. Scapulis suis obumbrabit tibi et sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano . . . Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam Angelis suis mandavit de te . . . Super aspidem et basiliscum ambulabis,* etc. *Quoniam in me speravit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum.* Tandem super omnia dixit, quasi quid maius aut melius dicere non habens: *Ostendam illi salutare meum:* [91] postremum omnia anteriora complectitur, ut sit thesaurus omnium beneficiorum et bonorum Dei.

Maxima sunt bona quibus veri servi Dei etiam in hoc mundo fruuntur.

89) Cf. supra, hom. 1 huius Dominicae, pag. 315, not. 247. 90 Mt 6 19-20.
91) Vrr. 1 sqq. Vulg.: *Liberavit me,* etc.

Nam hoc est quod *Psalmus* docet: quod Deus pios eruit ab omnibus malis et periculis corporalibus et spiritualibus, visibilibus et invisibilibus, quoniam eos singulari providentia et protectione gubernat et regit tanquam carissimos filios. Timere solet homo pericula pestis et belli, timet inimicos visibiles et invisibiles daemones milleque mundi pericula. Quod si a malis bestiis timet homo, a venenatis serpentibus et feris, ursis atque leonibus, ab his liber erit, sicut in Samsone,[92] Davide,[93] Daniele[94] et Paulo,[95] quem vipera nihil laesit, manifestum est. Ait autem quod *in protectione Dei coeli commorabitur*, sive, ut hebraice est, *pernoctabit* - noctem Sacrae Litterae appellant tempus calamitatum et malorum,[96] – tanquam in optimo hospitio ac securissimo loco quiescet, ita ut non sentiat noctis iniurias. Appellat vero noctem, ut diximus, tempus calamitatum et persecutionum malorumque omnium, sed ait: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum*, et tandem *ostendam illi salutare meum*.[97]

92) Cf. Idc 14, 5-6. 93) Cf. 1 Rg 17, 34-35. 94) Cf. Dn 6, 16-29; 14, 30 sqq.
95) Cf. Act 28, 3-5. 96) Cf. Iob 27, 20; 34, 25; Ps 16, 3. 97) Deinde, septem foliis albis relictis, transitur ad diem S. Andreae Apostoli, Conceptionis Beatae M. V. et S. Thomae Apostoli. Sermones SS. Apostolorum in *Sanctorali* inseremus, cf. quae diximus in *Praefatione* huius voluminis; ceterae de B. M. V. in *Mariali* iam editae fuerunt, *In Conceptionem Immaculatam*, serm. 2, pag. 422-437; serm. 5, pag. 453-460; serm. 6, pag. 461-467; serm. 10, pag. 494-496; serm. 11, pag. 497-503.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

## IN DIE NATALIS DOMINI

*Novum creavit Dominus super terram: femina circumdabit virum*

I. Novum est, inauditum, insolitum maximumque miraculum: *Dabit Dominus ipse vobis signum*, idest miraculum: *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel;* [2] *Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus eius, peperit* filium *masculum. Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile?* [3] *Vocabitur nomen eius admirabilis,* פֶּלֶא, [4] *miraculum*, quod videtur impossibile. Quod autem parvulus infans modo genitus Deus sit aeternus, infinitus, omnipotens, infinitae maiestatis et gloriae, impossibile videtur. Scit Deus quod homo suapte natura est novitatum amator, quod omnia nova placent; hinc hodie novum facere voluit, novum et admirandum spectaculum, ut ad tale tantumque spectaculum totum pertraheret mundum. Angelus de coelo vocat pastores ad spectaculum istud: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator... Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* [5] Pastores autem vocati accurrunt: *Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum quod factum est, quod* fecit *Dominus* et *ostendit nobis*. Et venientes *invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepio... Et omnes qui audierunt mirati sunt,* [6] mirati sunt talem tantamque novitatem. Nec tantum mirantur pastores, sed etiam praedicantes mirabilia Dei multos in admirationem trahunt: *Et omnes qui audierunt mirati sunt et de his quae*

**Vere novum et inauditum miraculum celebratur hodie,**

**ad cuius contemplationem totus mundus vocatur.**

1) Ier 31, 22. Vulg.: *Creavit Dominus novum*, etc. 2) Is 7, 14. 3) Ibid. 66, 7-8. 4) Ibid. 9, 6. Ms.: *Pele*. 5) Lc 2, 10-12. 6) Ibid. vrr. 15-18. *Quod fecit Dominus et ostendit* lect. cod.

*dicta erant a pastoribus ad ipsos.*[7] Praedicant pastores Christi gloriam et notas faciunt adinventiones Dei;[8] hodiernum nanque spectaculum nova quaedam et mirabilis Dei inventio videtur esse.

**Homines ad inusitata spectacula facillime pertrahuntur.**

II. Homines enim ad nova et inusitata spectacula, cum sint novitatum amatores, facillime pertrahuntur. Mulier quae videri cupit et omnium hominum oculos ad suam pulcritudinem contemplandam admirandamque [pertrahere], novas quaerit inventiones in vestitu, in ornatu, in fucis, in capitis et capillorum compositione et ornatu, novum mundum muliebrem excogitat. Sic Deus cupiens cognosci ab hominibus nova hac inventione usus est novoque spectaculo.

**Sic diabolus inventionibus suis mundum decepit,**

Vidit Deus quod diabolus inventionibus quibusdam usus mundum decepit, avertit a Deo, convertit ad seipsum et ad idololatriae impietatem perduxit; nam ut homines in paradiso deciperet, accepit formam serpentis et in ea forma Evam allocutus affatusque est.[9] Res plane nova ut serpens loquatur et discurrat sapienter sicut homo sapiens, sicut res nova fuit ut asina Balaam loqueretur;[10] ea autem novitate decepit Evam, sic postea totum decepit mundum et ad idololatriae impietatem perduxit atque detinuit, faciens ut homines, relicto vivo veroque Deo, idola colerent, statuas aureas, argenteas, lapideas, ligneas, fictiles adorando, quoniam ipse statuas illas ingrediebatur et loquebatur dabatque responsa et proferebat oracula.

**loquens per statuas, magos et astrologos.**

Videre autem et audire statuam loquentem mirabile est; hac autem inventione induxit ad errorem atque detinuit, multis saeculis mundum universum. Adinvenit etiam artes magicas falsaque miracula, quae per magos cultores suos faciebat, cumque illa mirabilia ac supernaturalia hominibus opera viderentur, facile sic delusi et alucinati, in impietatis errore detinebantur. Nam futura quoque praedicebat per magos et astrologos, et sic hisce diabolicis inventionibus mundum universum a Deo avertit et ad se convertit.

Deus igitur cupiens salutem hominum, ipse quoque inventionibus hisce uti coepit. Usus est Prophetis, qui in nomine Domini et futura praedicerent et miracula facerent; usus est apparitionibus, nam diabolus quoque hominibus saepe apparebat sub variis formis et figuris,

7) Ibid. vr. 18. 8) Cf. Is 12, 4. 9) Cf. Gn 3, 1-5. 10) Cf. Nm 22, 21-30.

sicut in forma serpentis apparuit primis hominibus. Sic Deus nova quadam inventione apparuit Iacob in summitate scalae coelestis:[11] mirabilis fuit illa inventio; apparuit Moysi in rubo ardenti et incombusto, unde miratus Moyses accessit;[12] apparuit universo populo dans legem in medio caliginis et ignis magno cum sonitu tubarum, strepitu tonitruorum et splendore terribilium fulgurum;[13] itemque dum templum Salomonis dedicatum fuit, apparuit in nebula et igne.[14] Sic saepissime Prophetis apparuit: Isaiae,[15] Ieremiae,[16] Ezechieli,[17] Michaeae,[18] Danieli[19] et aliis.[20] Usus est oraculis, nam in sancta sanctorum de medio cherubim dabat oracula divinaque responsa.[21]

Sic etiam Deus cupiens salutem hominum multis usus est inventionibus,

III. Sed tandem nova hac et omnium maxime mirabili inventione uti voluit, ut homo fieret et novitate hac homines ad se pertraheret: *Novum creavit Dominus super terram.* Nova res est in Deo humanitas, nova res mortalitas, nova passibilitas, nova res paupertas, nova humilitas, nova servitus, nova poenarum perpessio, nova res stabulum pro coelesti paradiso, nova, nova praesepium pro throno et solio alto et elevato apud Isaiam,[22] throno sapphirino supra firmamentum apud Ezechielem,[23] nova res animalia, bos et asinus, pro Angelis innumeris assistentibus et ministrantibus apud Danielem,[24] nova res matrem habere qui creator est et pater omnium rerum, nova res nutritium habere qui omnia nutrit, nova opus habere lacte qui animalia omnia in terra et Angelos in coelo pascit. Hominibus divinitas vetus erat, aeternitas, magnitudo, gloria, maiestas, potentia, creatio mundi, conservatio naturae, regimen universi. Omnia haec vetera erant; hodie facta sunt omnia nova. Deus factus est homo, creator creatura, aeternus temporalis, infinitus finitus, immensus parvulus: *Notas facite in populis adinventiones eius;*[25] adinventiones novas et mirabiles: *Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram.*[26]

et tandem nova hac, omnium maxime mirabili, ut Deus homo fieret pauper et mortalis.

*Omnes . . . mirati sunt:* concurrunt hodie omnes Angeli de coelo ad videndum hoc novum spectaculum, novam hanc Dei adinventio-

11) Cf. Gn 28, 13. 12) Cf. Ex 3, 2. 13) Cf. ibid. 19, 16 sqq. 14) Cf. 3 Rg 9, 1-9; 2 Par 7, 12 sqq. 15) Cf. Is 6, 1. 16) Cf. Ier 1, 4 sqq. 17) Cf. Ez 10, 1; 43, 7. 18) Cf. 3 Rg 22, 19. 19) Cf. Dn 7, 9. 20) Cf. Ex 24, 10; 33, 17 sqq.; 3 Rg 19, 9-18. 21) Cf. Ex 25, 19-22. 22) Cf. 6, 1 sqq. 23) Cf. 10, 1 sqq. 24) Cf. 7, 10. 25) Is 12, 4. 26) Ps 45, 9.

Ad tale miraculum contemplandum etiam Angeli accurrunt.

nem; omnes coelestes spiritus paradisum relinquunt ad pascendos hodie oculos tam novo et inaudito tamque mirabili et stupendo spectaculo in praesepio.

## II. ALIA HOMILIA

*Ecce... evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est*, etc. *Et hoc vobis signum*, etc. *Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus et ostendit nobis.* [1]

Sicut Angelus pastores, sic praedicatores populum fidelem invitant

I. Sicut hodie Deus per Angelum paradisi invitavit sanctos humilesque pastores ad videndum et contemplandum mirabile spectaculum et spectandum miraculum nativitatis unigeniti Filii Dei in terris, in humili theatro praesepii, in parva civitate Bethlehem, sic hodie per sanctos praedicatores ad idem mysterium mente recolendum et spiritualibus oculis contemplandum invitat universum populum fidelem. Omnis nanque praedicator Evangelii Angelus Domini Deique nuncius officio est, quamvis natura homo terrenus sit, non Angelus coelestis.

ad contemplandum Deum hominem natum in humili praesepio.

Utinam, fratres, eundem sortiatur effectum humana praedicatio sicut angelica! Nam cum Angelus pastoribus praedicasset Christi nativitatem: *Ecce... evangelizo vobis gaudium magnum*, etc., pastores, audita angelica concione, dixerunt: *Transeamus*, etc., alacresque et gaudentes venerunt ad adorandum Christum natum et contemplandum divinum hoc spectaculum. Sed timeo, fratres, ne contrarium sortiatur effectum. Illi enim *reversi sunt... glorificantes et laudantes Deum*, [2] quoniam humillimi cum essent pastores, a nobilissimo Angelo paradisi concionem audierunt. Sed hodie contrarium accidit: viri nobilissimi audiunt verbum Dei a praedicatore indignissimo. Sed utcunque sit, ipsam eandem Angeli vobis proponam et recitabo concionem.

II. Primo omnium Angelus pastores ad spectaculum invitat natalis Christi. Mirandum plane spectaculum, stuporis infiniti miracu-

1) Lc 2, 10-15. Cf. not. 6 praec. hom., pag. 341. 2) Lc 2, 20.

lum: *Vocabitur nomen eius miraculum;* [3] *Dabit Dominus ipse vobis signum,* [4] idest miraculum maius omni miraculo terreno et coelesti: *Antequam parturiret... peperit* filium *masculum. Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile?* [5] *Admiramini et obstupescite, quia opus factum est in diebus nostris, quod nemo credet cum narrabitur.* [6] Nunquam mirabilius spectaculum visum est in mundo, imo nec in coelo. Hinc descendunt hodie omnes Angeli paradisi ad contemplandum divinum hoc spectaculum et pleni stupore laudant: *Facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum et dicentium: Gloria in altissimis Deo,* [7] etc. Spectaculum mirabile, quia hic cernitur Deus infinitae maiestatis, sed in infinita humilitate. Non miratur mundus solem luce plenum, sed eclipsatum, lunae unitum; vel si videretur sol nube aliqua vere tectus et circumdatus, vel si in terram descenderet, hoc esset magnum miraculum.

Vere mirabile spectaculum Deum in infinita humilitate puerum factum contemplari

Nunc audiamus quomodo Angelus divinum hoc spectaculum depingat: *Natus est vobis hodie Salvator qui,* etc. [8] Mira dicit et inaudita. Dicere de Deo magna, quod sit aeternus, infinitus, etc., nil mirum, sicut nec de homine humilia fari, quod sit miserabilis, passibilis, mortalis, etc. Sed Angelus hic de homine dicit altissima et de Deo humillima; exaltat hominem supra coelum, supra Angelos, facit Deo aequalem; Deum vero humiliat infra Angelos, infra homines, in animalium praesepio collocat. De puero nato inquit: *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus,* idest rex, Dominus, absolute *Dominus;* ergo Deus, qui solus est Dominus omnium. Ab Angelo dicitur absolute *rex* et *Dominus;* ergo Dominus omnium Angelorum, ergo rex coeli, ergo rex aeternus, infinitae maiestatis et potentiae, ergo aequalis Deo. O infinitam magnitudinem et altitudinem!

Mira dicit Angelus, appellat enim puerum hunc regem et Dominum.

Sic etiam Isaias usque ad aequalitatem Dei exaltat natum hunc puerum: *Parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius,* etc. [9] Quid est: *Factus est principatus,* absolute, *super humerum eius,* nisi quod factus est imperator et monarcha totius universi, sicut Deus? factus est Deo aequalis? *Vocabitur... Deus,*

Hoc est quod etiam Isaias dixerat et canit hodie militia coelestis.

3) Is 9, 6. Ex hebraico. 4) Ibid. 7, 14. 5) Ibid. 66, 7-8. 6) Hab 1, 5. Vulg.; *Diebus vestris.* 7) Lc 2, 13-14. 8) Ibid. vr. 11. 9) 9, 6.

*fortis, pater aeternitatis, princeps pacis... et pacis non erit finis.* [10] Imo quid est quod canit hodie universa militia coeli: *Gloria in altissimis Deo,* nisi quod infans iste natus altissimus Deus est?

Sic homo ab amore Dei exaltatus est usque ad aequalitatem Dei,

III. Exaltatus igitur homo est hodie usque ad aequalitatem Dei, ad quam pervenire non potuit Lucifer, princeps et coryphaeus Angelorum, [10a] nec primus homo princeps universi. [11] Sed quisnam hodie hominem tantopere exaltavit? Declarant pastores: *Transeamus et videamus hoc verbum quod factum est, quod* fecit *Dominus.* Sed unde motus fecit hoc Dominus? Declarat Isaias, nam cum dixisset: *Parvulus natus est nobis,* etc., subiunxit: *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* [11a] Quidnam est zelus nisi ardentissimus amor? *Sic... Deus dilexit mundum ut,* etc. [12] O infinitum Dei amorem erga hominem! Exaltavit Pharao Ioseph, [13] Nabuchodonosor Danielem, [14] Assuerus Mardochaeum, [15] sed non sicut David Salomonem filium, quem regem constituit, dans ei coronam, sceptrum, thesauros omnes, arces, civitates et regnum universum. [16] Deus autem sic hodie hominem exaltavit sicut David Salomonem, in cuius signum veniunt omnes Angeli, qui sunt regni principes, ad adorandum Christum hodie et ad praestandum ei iuramentum inviolabilis fidei ut vero regi. Imo multo amplius fecit hodie Deus. Facile reperitur princeps qui fidelem servum exaltet ad primos regni honores, sed non qui faciat servum sibi aequalem. Quod si hoc quoque reperiatur, sicut fecit David cum filio Salomone, reperiri non potest qui ita vel servo vel filio dare velit omnem gloriam, regnum omnesque thesauros, ut ipse deveniat ad humilem miserabilemque fortunam. Sed *admiramini et obstupescite,* etc. Hoc est spectaculum quod hodie Angelus pastoribus indicat: *Hoc vobis signum: invenietis infantem pannis,* etc. [17]

qui ad infimam devenit hominis conditionem,

10) Ibid. vrr. 6-7. Ex hebraico. 10a) Cf. ibid. 14, 12-15. 11) Cf. Gn 3, 1 sqq. 11a) 9, 7. 12) Io 3, 16. 13) Cf. Gn 41, 39-45. 14) Cf. Dn 2, 48. 15) Cf. Est 6, 10. 16) Cf. 1 Par 28, 1 sqq. 17) Lc 2, 12. In margine haec adiecta fuerunt: « *Hoc vobis signum: invenietis,* etc. Signum saepissime in Divinis Litteris *miraculum* dicitur: *Pete tibi signum; Dabit Dominus ipse vobis signum.* Homo dictus est a Trismegisto magnum miraculum, quia constat ex contrariis, ex substantia mortali et immortali; est veluti centaurus, est simul Angelus coelestis et animal terrenum. Sed: *Hoc vobis signum,* hoc miraculum: *invenietis infantem.* Ostendit Angelus constare miraculum hoc ex summe contrariis, ex infinita maiestate et humilitate, infinitis divitiis et paupertate, infinita voluptate et passione, infinita magnitudine et pusillitate: *Natus est vobis... Salvator... Christus Dominus... invenietis infantem,* etc. Bone Deus, quodnam miraculum hoc est? Miratus fuit Moyses videns

**parvus factus, impotens et pauper, passibilis et mortalis.**

O miraculum supra omne miraculum divinae erga nos caritatis! Coegit, ut ita dicam, amor Deum ut propter nos deveniret ad statum humilis, arctae et miserabilis fortunae. *Invenietis infantem,* videbitis spectaculum parvitatis Dei, humilitatis Dei, paupertatis Dei, necessitatis Dei, passibilitatis Dei, mortalitatis Dei, ut ita dicam, nihilitatis Dei. Ita Paulus ait: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus... esse se aequalem Deo... semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* [18] *Invenietis infantem pannis involutum.* Quis est iste infans? Unigenitus Filius Dei, verus Deus. *Invenietis infantem: Parvulus... natus est nobis:* ecce parvitas Dei infiniti, *pannis involutum:* ecce impotentia Dei. Quid potest infans totus pannis involutus? ligatis manibus intra strictam fasciam? *Positum in praesepio,* in stabulo: ecce humilitas Dei. Sed cur in praesepio? *Quia non erat ei locus in diversorio:* [19] ecce paupertas Dei. *Invenietis infantem* lactentem: *Ascendet sicut lactens coram eo,* [20] lacte opus habet: ecce necessitas; patitur frigus, hinc pannis involutus est: ecce passibilitas; positus est in praesepio, quod speciem referebat sepulturae: ecce mortalitas.

**Sed super omnia spectaculum est infinitae caritatis.**

Sed super omnia spectaculum infinitae caritatis: *Positum in praesepio.* Domine, in praesepio non ponitur nisi foenum, cibus bestiarum. Bene, inquit, veni ut sim cibus et panis hominis, qui *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est,* etc. [21] Erat prius Deus ex caritate pater et pastor hominum, nunc autem factus est panis, cibus hominum, manna in deserto. [22] Quid amplius desiderari potest? Quod maius signum amoris a Deo possumus expectare? *Invenietis infantem positum in praesepio.* O spectaculum! o miraculum! Miratus

quod rubus ardebat et non comburebatur. Si ignis est, quomodo non comburit? Si non est, quomodo ardet? Sed multo mirabilius est hodiernum spectaculum. Si Deus est qui natus est, quomodo tam parvus est, tam pauper, tam humili loco natus? Si Deus non est, quomodo ab Angelis tanquam verus Deus adoratur? Hoc signum, hoc miraculum supra omne miraculum. Filii Israel videntes manna quod de coelo descenderat, pleni admiratione et stupore dicebant: *Manhu... quid est hoc?* Miraculum hoc hodiernum est infinitae pulcritudinis Christi, altitudinis hominis et humilitatis ac caritatis Dei. Pulcritudinis Christi, quia est imago Dei pulcherrima, Deo coaequalis. Pictor, quamtumvis egregius et excellens, non potest facere imaginem regis virtute ipsi regi coaequalem, quia ars non adaequat naturam, non potest dare ei spiritum, mentem, etc.; similiter sculptor, quamvis det imagini corpus. Hodie autem Spiritus Sanctus fecit Dei imaginem vivam et coaequalem Deo: *Qui est Christus Dominus* ».

18) Phil 2, 6-7. 19) Lc 2, 7. Vulg.: *Non erat eis,* etc. Ex lect. cod. 20) Is 53, 2. Ex hebraico. 21) Ps 48, 13. 21. 22) Cf. Ex 16, 35.

fuit Iacob quod apparuerit ei Deus in Bethel: *Vere Dominus est in loco isto et ego nesciebam! Pavensque: quam terribilis est, inquit, locus iste!*[23] Miratus fuit sapientissimus Salomon quod Deus infinitae maiestatis veniret ad habitandum in templo ab ipso magnificentissime constructo ex auro et pretiosis lapidibus;[24] sed quo stupore actus fuisset si ipsum Deum hodie in stabulo vidisset in infinita humilitate, abiectione et paupertate?

**Tale spectaculum infinitae caritatis contemplari debemus, ut amore in Deum ardentissimo accendamur.**

IV. Nos igitur, fratres, agnoscamus hodie infinitum erga nos Dei amorem, contemplemur tale tantumque spectaculum divinae caritatis, ut nos quoque ardentissimo in Deum accendamur amore. Nam ait: *Ignem veni mittere in terram.*[25] Sicut enim ignis igne maxime accenditur, ita amor amore, nec nisi amore compensari digne potest amor. Si prius homo Deum minime diligebat, excusari poterat eo quod Deum minime agnoscebat, quia invisibilis erat et in coelo cum Angelis agens ab hominibus in terra quam maxime distabat. Quod si aliquando hominibus apparuit, ut cum populo suo legem dedit, apparuit in terribili et formidabili maiestate;[26] excusari poterat, quia quamvis Deus suapte natura sit summum bonum, homo tamen suapte natura non inclinatur nisi ad diligendum proprium bonum; Deus autem non sic agnoscebatur. At nunc quam excusationem habere poterimus? Venit ad nos forma corporea factus homo omnibus visibilis, aetate infantili, maxime amabili; hinc enim Pharaonis filia Moysen in filium ex amore adoptavit, quia pulcrum vidit infantem.[27] Venit nudus, pauper et humilis, ut ipsum amemus propter seipsum. Nam qui Deum amat propter divitias, non Deum amat, sed divitias, sicut servus mercenarius non servit ob amorem, sed ob mercedem.

**Ideo enim Deus hodie ex amore nostri veluti extra se factus est.**

Fratres mei, si delectantur homines amore et benevolentia principum eisque quos benevolos sibi norunt, libenter serviunt, en hodie Deus noster ex amore erga nos extra se, ut ita dicam, exivit, sic enim D i o n y s i u s ait quod Deus ex vi caritatis extra se fit.[28] Si princeps amore captus pauperis alicuius pulcrae iuvenculae, ad eam sibi copulandam, ut posset cum ea familiariter loqui et ad amorem incitare

23) Gn 28, 16-17. 24) Cf. 3 Rg 8, 27. 25) Lc 12, 49. 26) Cf. Ex 19, 16 sqq.
27) Cf. ibid. 2, 2-10. 28) *De Divinis Nominibus*, cp. 4, (P. G. 3, 711-714, 743-744).

coniugalem, pauperis formam assumeret vitamque pauperem duceret et labore humili plenam, diceretur ex amore insanisse. Deus autem egisse visus est hodie sicut de Apolline fabulantur poetae, quod ex amore in terram descenderit vitamque duxerit pastoralem paveritque Admeti regis armenta.[29] Quod princeps pulcrae mulieris humili loco natae amore capiatur, mirum non est, sic enim David adamavit Bethsabee[30] et Assuerus Esther;[31] sed quod pro ea habenda renunciet coronae et regno pauperemque et humilem eligat fortunam, hoc miraculum est amoris. Sic Dei Filius egit hodie ad copulandam sibi Ecclesiam animasque nostras. Et quali, bone Deus, amore dignus esset talis tantusque sponsus propter sponsam humilis factus? Quo amore deberet eum sponsa diligere? Talem a nobis Deus expectat.

ut nos ad seipsum traheret.

## III. ALIA HOMILIA

*Ecce... evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David*, etc. [1]

Nato Domino hodie laetantur Angeli Deum laudantes;

I. Cum in mundo nascitur primogenitus filius summo alicui principi et potentissimo regi, qui totius regni futurus sit heres, fiunt in universo regno magna festa, celebrantur dies solemnes summo cum gaudio, exultatione atque tripudiis;[2] ita, nato hodie primogenito

29) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 10, pag. 294. 30) Cf. 2 Rg 11, 2-4. 31) Cf. Est 2, 15-18.

1) Lc 2, 10-11. In codice repetitur inscriptio: « Dies Natalis Domini », quam nos omisimus.
2) In margine haec adiecta fuerunt: « Nativitas Isaac tale tantumque gaudium attulit universae domui Abrahae, ut propterea dictus sit *Isaac*, idest r i s u s , signum magnae laetitiae. Sed gaudium illud figura fuit hodierni, sicut ipse Isaac typum gessit Christi. Hinc Dominus ait: *Abraham... exultavit ut videret diem meum; vidit et gavisus est.* Hoc est quod ait Angelus: *Evangelizo vobis gaudium magnum*, et universale: *quod erit omni populo.* Et quaenam causa tanti gaudii? *Quia natus est vobis... Salvator.* Quis est iste Salvator? *Qui est Christus Dominus*, idest verus Deus bonorum omnium auctor. Sed a quo malo nos salvabit? Iam Angelus declaraverat Ioseph: *Ipse... salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Peccatum autem nobis causa fuit omnium malorum, mortis, inferni et captivitatis satanicae. *Natus est vobis Salvator*, qui vos ab omni malo liberabit bonisque omnibus in aeternum ditabit. Ad intelligendum quid sit *Salvator* scire opus esset quid sit peccatum, quid mors, quid infernus, quid diabolus, quid gratia Spiritus Sancti, quid gloria paradisi, quid Filium esse Dei et verum Deum. *Natus est vobis Salvator.* Sed ubi et quomodo natus est? *Invenietis infantem*, etc. Bone Deus, qualisnam iste Salvator? Infans impotens; pauper, nudus, humilis, vagiens, multa patiens, in stabulo natus,

Filio Dei, universum coelorum regnum infinita laetitia et exultatione repletum est, unde Angeli omnes exultantes atque laudantes Deum canunt: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis,* [3] nunciantque universo mundo gaudium magnum: Annuncio *vobis gaudium magnum... Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.*

nos autem congaudere oportet etiam cum Matre Divina exultante, cuius consanguinei hodie facti sumus.

Sicut autem vel maxime in principis natali gaudent reginae consanguinei, praesertim si ipsa ex humili loco assumpta sit in reginam, sicut Esther, [4] unde Iudaeis *nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium,* [5] sic nobis praecipue gaudendum est, quia Reginae huius parientis, quae hodie *peperit filium suum primogenitum,* [6] caro et sanguis sumus, sicut ipsa hodie summo gaudio infinitaque exultatione repleta fuit. Si enim Abraham promissione tantum desideratissimi ex Sara filii laetatus summopere fuit, unde risit in corde suo et procidens in terram Deum adoravit, [7] quoniam in illo filio sibi nascituro nasciturum Christum praevidebat – unde: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum; vidit et gavisus est,* [8] – quaenam vel lingua dicere vel intellectus capere poterit quali quantoque gaudio Sanctissima Virgo repleta hodie fuerit, maxime cum absque ullo dolore pepererit? Congaudeamus et nos illique congratulemur, quoniam nobis natus est eius Filius Redemptor atque Salvator.

Novus mundus hodie creatur.

II. Contemplanti mihi hodie sacrosanctum Christi Filii Dei natale videtur novum hodie mundum esse creatum, mundano hoc opificio tanto maiorem quanto Deus maior est creatura. Cuius quidem mundi terra est caro sanctissima, coelum stellis ornatum anima scientiis omnibus atque virtutibus: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei, [9] paradisus vero ipsa divinitas. Videtur creatum esse novum solem mundano isto infinitis gradibus lucidiorem: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae;* [10] videtur formatum esse

inter animalia collocatus in praesepio. Quomodo hic salvare nos poterit? Sed ad salvandum nullo alio eget; per seipsum salvare potest, sicut sol illuminare, ignis calefacere. Non eget mundana gloria, non terrenis divitiis, non exercitibus militum, non corporeis viribus. Mundani principes rebus hisce egent, quia nonnisi homines sunt et aliis hominibus in nulla re praestant; at Christus solus per seipsum omnia potest. Sic parvulus venit, ut Isaias ait, *ad multiplicandum imperium* ». 3) Lc 2, 14. Vulg.: *Gloria in altissimis*, etc. *In excelsis* ex Liturgia Ecclesiae. 4) Cf. Est 2, 5-12. 5) Ibid. 8, 16. 6) Mt 1, 25. 7) Cf. Gn 17, 17. 8) Io 8, 56. 9) Col 2, 3. 10) Mal 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis*, etc.

novum hominem *ad imaginem et similitudinem Dei,*[11] de terra virginea, coelo astrisque nobiliori: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae,*[12] homo Deo similis et aequalis. Videtur natum esse novum Abelem ab impio fratre Caino ob iustitiam occidendum,[13] novum Enoch qui Deo placens assumendus erat in coelum,[14] novum Noe salvatorem mundi,[15] novum Abraham Deo obedientissimum usque ad mortem,[16] novum Isaac Deo immolandum in sacrificium,[17] novum Iacob Deo dilectum:[18] *Hic est Filius meus dilectus,*[19] novum Moysen populi Dei liberatorem ac legislatorem divinum,[20] novum Aaron summum pontificem:[21] Qui *sempiternum habet sacerdotium,*[22] novum Melchisedech sacerdotem et regem pacis atque iustitiae,[23] novum Ioseph mundi principem[24] ab universis gentibus adorandum, novum Iosue populi Dei ducem ac salvatorem,[25] novum Gedeonem fortem contra Baal,[26] novum Samsonem fortissimum contra Philisthaeos infernales,[27] novum Samuelem prophetam magnum a Dan usque Bersabee,[28] novum David summum regem gloriae, novum Salomonem infinita sapientia plenum,[29] novum Eliam igneo curru rapiendum in coelum,[30] novum Eliseum duplici Eliae Deique spiritu plenum,[31] novum Ezechiam regem sanctissimum,[30] novum Iosiam idolorum destructorem,[33] novum Danielem cui divina sunt revelata mysteria;[34] nam omnia in figura contingebant Christi. Sicut enim omnes stellae, quae solis ortum praecedunt, quaedam sunt orituri solis imagines, ita omnes Sancti Veteris Testamenti imagines quaedam Christi extitere.

nascitur enim mundi Salvator et recreator,

In Sanctis Antiquae Legis figuratus,

Nec tantum Sancti, sed etiam omnia alia Veteris Testamenti mysteria, nam: *Omnia,* inquit, *in figura contingebant illis.*[35] Quare effectam video hodie arcam Noe,[36] constructum tabernaculum Domini cum arca foederis et propitiatorio divino,[37] aedificatum Dei templum, *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:*[38]

multis hieroglyphicis repraesentatus,

11) Gn 1, 20-27; 5, 1; 9, 6. 12) Col 1, 15. 13) Cf. Gn 4, 2-8. 14) Cf. ibid. 5, 24; Eccli 44, 16. 15) Cf. Gn 6, 18; 7, 1. 16) Cf. ibid. 12, 1-5. 17) Cf. ibid. 22, 1-10. 18) Cf. Mal 1, 2; Rom 9, 13. 19) Mt 3, 17; 17, 5. 20) Cf. Ex 3, 4 sqq.; Act 7, 35. 21) Cf. Ex 28, 1 sqq.; Eccli 44, 7-21. 22) Hebr 7, 24. 23) Cf. Gn 14, 18; Hebr 7, 1-2. 24) Cf. Gn 41, 40-45. 25) Cf. Dt 34, 9. 26) Cf. Idc 6, 24 sqq. 27) Cf. ibid. 15, 1-16, 1-30. 28) Cf. 1 Rg 3, 20. 29) Cf. 3 Rg 3, 12; 4, 29 sqq. 30) Cf. 4 Rg 2, 11. 31) Cf. ibid. vr. 15. 32) Cf. ibid. 18, 3-7; 2 Par 29, 2; Eccli 48, 25. 33) Cf. 4 Rg 23, 25; 2 Par 34, 2. 34) Cf. Dn 9, 20 sqq. 35) 1 Cor 10, 11. 36) Cf. Gn 6, 14 sqq. 37) Cf. Ex 40, 1-31. 38) Col 2, 9. Vulg.: *In ipso inhabitat,* etc,

*Solvite templum hoc;* [39] formatum video aeneum serpentem, [40] natam illam petram ex qua percussa fluxerunt aquae, [41] descendisse de coelo man, Angelorum panem, [42] vas manna plenum; video virgam Aaron miraculo florentem: [43] *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet et requiescet super eum Spiritus Domini.* [44] Hodie lapis ille excisus de monte sine manibus venit ad destruendam statuam Nabuchodonosor; [45] hodie videre mihi videor simul natos esse omnes duodecim Iacob patriarchae filios, [46] quorum simul collecta nomina summus pontifex portabat in pectore, [47] in signum quod omnia nominum illorum mysteria colligenda in unum erant in Christo. Ipse enim Ruben filius visionis, genitus per modum intellectus, Filius Dei, Simeon obediens homo, Levi unitus et copulatus, Deus et homo, Iudas laudabilis ab omnibus creaturis; hic Dan iudex mundi, Nephtali luctator contra diabolum, hic Gad felix omni felicitate paradisi creata, Aser beatus omni beatitudine increata; hic Issachar merces, operum retributor, hic Zabulon cohabitator et perpetuus sponsus Ecclesiae militantis ac triumphantis, hic Ioseph accrescens vitam et salutem aeternam omnibus electis, hic tandem Beniamin filius dexterae, [48] qui *assumptus... in coelum sedet a dextris Dei;* [49] ipse enim est de quo scriptum est: *Filius meus primogenitus Israel.* [50]

In duodecim Patriarchis designatus.

III. Qualis autem et quantus sit iste qui nascitur, explicatur hodie tribus Evangeliis. Ioannes inquit quod *Verbum caro factum est,* [51] Verbum de quo ait quod *in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.* [52] Verbum, quod in principio, quando factus est mundus, quando *Deus creavit coelum et terram,* [53] quando omnia quae sunt extra Deum esse coeperunt, non coepit esse, non factum nec creatum est, sed *erat,* mundum praecedens aeternitate; Verbum non hominis, non Angeli, sed Dei; non externum sicut quo homo homini loquitur, sed internum. Nam etsi Deus externo

Explicatur quis et quantus sit iste qui nascitur:

est Verbum Dei,

39) Io 2, 19. 40) Cf. Nm 21, 9. 41) Cf. Ex 16, 15; Nm 17, 6-9.
42) Cf. Ex 16, 15. 43) Cf. Nm 17, 8. 44) Is 11, 1-2. 45) Cf. Dn 2, 34-45.
46) Cf. Gn 49, 1-26. 47) Cf. Ex 28, 9-21. 48) Sic latine haec nomina interpretantur. 49) Mc 16, 19. 50) Ex 4, 22. 51) 1, 14. 52) Ibid. vr. 1.
53) Gn 1, 1. Vulg.: *Creavit Deus*, etc.

nonnunquam verbo locutus est, uti cum legem dedit,[54] sicut et Angeli nonnunquam externis verbis locuti sunt, uti tres Angeli Abrahamo,[55] duo Loth,[56] Angelus Moysi,[57] sic Iosue,[58] sic parentibus Samsonis,[59] sic Gedeoni,[60] sic tandem hodie Angelus pastoribus dicens: Annuncio *vobis*, etc., *et . . . facta est cum Angelo multitudo coelestis*, etc.;[61] Verbum tamen internum istud est, quod praecedit externum, sicut cogitatio cordis et mentalis conceptus in homine praecedit linguae vocisque loquelam. Verbum internum,[62] non tamen accidens, uti est humanum et angelicum verbum, sed substantia ac divina quaedam persona, procedens quidem a Deo sicut conceptus a mente et veluti radius a sole, rivus a fonte: non separatur radius a sole, conceptus a mente, sic nec Verbum istud a Deo cuius est Verbum; *Et Verbum erat apud Deum*, quia Verbum Dei non Angeli, non separatum a Deo, sed cum Deo, non extra Deum, sed intra; non sicut accidens, sed substantia, hypostasis et persona divina, Deo coaeternus, coaequalis et consubstantialis Filius; *Et Deus erat Verbum*, idest eiusdem naturae, substantiae atque essentiae cum Deo, a quo tanquam verbum a mente procedit, cum eo unus verus Deus.

**Verbum internum, substantia et persona divina,**

Verbum per quod factus est mundus: *Ipse dixit et facta sunt;*[63] *Verbo Domini coeli firmati sunt;*[64] *Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt;*[65] *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio; ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret; nondum erant abyssi*, etc.;[66] *Omnia per ipsum facta sunt, visibilia et invisibilia*, ut ait Apostolus,[67] *et sine ipso factum est nihil quod factum est*,[68] idest nec unum quidem eorum quae facta sunt, factum est sine eo. Verbum quod causa est vitae et naturalis et supernaturalis et temporalis et aeternae et corporalis et spiritualis: *In ipso vita erat* ab aeterno tanquam effectus in sua causa.

**Verbum per quod factus est mundus,**

**causa vitae temporalis et aeternae**

Nec tantum causa omnis vitae, verum etiam omnis cognitionis et naturalis et supernaturalis: *Et vita erat lux hominum*;[69] *Ego sum lux mundi.*[70] *In ipso vita erat* per aeternam praedestinationem: *Elegit*

54) Cf. Ex 19, 16 sqq. 55) Cf. Gn 18, 1 sqq. 56) Cf. Ibid. 19, 1-22. 57) Cf. Ex 3, 1 sqq.; Act 7, 30. 58) Cf. Ios 5, 13 sqq. 59) Cf. Idc 13, 3-21. 60) Cf. Ibid. 6, 11-23. Ms.: *Iosue* repetitur loco: *Gedeoni*. 61) Lc 2, 13. 62) Ms.: *Aeternum* loco: *Internum*. 63) Ps 32, 9. 64) Ibid. vr. 7. 65) Io 1, 2-3. 66) Prv 8, 22-24. 67) Col 1, 16. 68) Io 1, 3. 69) Ibid. vr. 4. 70) Ibid. 8, 12.

et omnis cognitionis naturalis et supernaturalis,

*nos in ipso ante mundi constitutionem;* [71] et alibi: *Secundum..., gratiam quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora saecularia.* [72] *Et vita erat lux hominum,* quia sine luce non datur vita: Deus *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire;* [73] *Haec est... vita aeterna: ut cognoscant te... verum Deum et quem misisti Iesum Christum.* [74] *Et lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt,* [75] tenebrae de quibus dicitur: *Eratis... aliquando tenebrae.* [76] *Lux in tenebris lucet,* in mundo tenebris peccatorum et ignorantiae operto; *et tenebrae eam non comprehenderunt, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem;* [77] lux ad quam ostendendam mundo missus fuit Ioannes Baptista, vir ille sanctus, quo *inter natos mulierum non surrexit maior,* [78] propheta et plus quam propheta, Angelus Domini: [79] *Fuit homo missus a Deo... ut testimonium perhiberet de lumine;* [80] *de lumine,* inquam, quod *erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* [81] ad instar solis, modo quis illuminari velit. *Lux vera* non aliunde lumen suscipiens sicut luna, sed per seipsam lucens sicut sol.

Verbum omnipotens, quod ex nihilo omnia creavit,

Verbum quod erat in mundo, Deus ille qui coelum terramque adimplet, [82] cuius coelum est sedes, terra autem scabellum pedum eius; [83] *et mundus per ipsum factus est* ex nihilo, ex nulla, inquam, materia; nam si ex infecta materia factus est mundus, non *omnia per ipsum facta sunt,* [84] si materia facta non est; quod si prima mundi materia facta est, ergo ex nihilo facta est totusque mundus per Verbum ex nihilo. Hinc nulla fit mentio materiei ex qua factus sit mundus, sed tantum factoris et facti operis.

quod homines deificat et filios Dei constituit.

Cum tamen mundus per ipsum factus sit, scilicet omnis creatura, *mundus* tamen, idest homo, *eum non cognovit,* [85] unde erat Athenis ara ignoto Deo. [86] Verbum quod hodie veniens in mundum, venit *in propria,* quia *Domini est terra et plenitudo eius;* [87] *Tui sunt coeli et tua est terra;* [88] *Dominus universorum tu es,* [89] *et sui eum non re-*

71) Eph 1, 4. 72) 2 Tim 1, 9. 73) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc.
74) Io 17, 3. Vulg.: *Deum verum.* 75) Ibid. 1, 5. 76) Eph 5, 8. 77) Io 3, 19.
78) Mt 11, 11. Vulg.: *Non surrexit.* 79) Cf. ibid. vrr. 9-10. 80) Io 1, 6-8.
81) Ibid. vr. 9 82) Cf. Ier 23, 24. 83) Cf. Is 66, 1. 84) Io 1, 3.
85) Ibid. vr. 10. 86) Cf. Act 17, 23. 87) Ps 23, 1. 88) Ps 88, 12.
89) Est 13, 11. Vulg.: *Dominus omnium es.* Affert ex Missali Rom. Dominica 21 post Pentecosten, *Introitus.*

*ceperunt* [90] tanquam verum Messiam ac Salvatorem mundi verumque Deum; sed omnibus qui per veram fidem *receperunt eum, dedit... potestatem* ut fierent filii Dei; [91] quod *si... filii, et heredes,* [92] filii per gratiam adoptionis, et ut consequerentur statum filiorum Dei, declarati filii Dei, veluti cum ignoti occultique principum filii declarantur, tunc statum filiorum consequnntur. Nam antequam declararentur, etsi filii erant, servi tamen habebantur: *Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium,* etc. [93] Hoc Verbum quod homines deificat facitque filios Dei, qui non tantum est auctor naturae, verum etiam fons gratiae tanquam verus Deus, hodie caro factum est: *Et Verbum caro factum est:* Deus factus homo, creator creatura; Deus ille qui in principio mundum creavit, factus est homo, qui novissimus omnium creatus fuit; [94] Deus ille qui apparuit *Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente,* [95] ille visus in summitate scalae, ille Deus cui tabernaculum templumque constructa fuerunt, qui tot miracula in Aegypto et in deserto operatus fuit, qui a Patriarchis adoratus, a Prophetis praedicatus, quem universus Sanctorum chorus semper coluit, cui omnes Angeli ministrant, qui coelum terramque gubernat et regit: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* [96]

**Hoc *Verbum* hodie *caro factum* est.**

*Verbum* dicit divinitatem, *caro* humanitatem, *factum* utriusque unionem. *Verbum: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; Caro: Semetipsum exinanivit formam servi accipiens; Factum est: In similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.* [97] *Verbum* dicit potius quam Deus aut Filius Dei, et *caro* potius quam homo aut humana natura, nec immerito. Christus enim Filius Dei dicitur, quia eiusdem naturae est genitusque a Patre, eandem cum eo communem habet essentiam; sed Verbum dicitur, quia ab intellectu et mente Patris procedit et eo quod sine motu et passione aliqua procedat sicut verbum a mente, et quia cum Patre semper coniunctus manet sicut verbum cum mente, ac tandem quia mentem Patris exprimit ac naturalis est Patris imago, eius naturae et substantiae expressiva, sicut verbum mentis ac cogitationis nostrae imaginem refert. Verbum, quia ex ore Altissimi procedit [98] et sine

**_Verbum_ dicit divinitatem, _caro_ humanitatem, _factum_ utriusque unionem.**

**_Verbum_ dicitur quia ab intellectu procedit**

90) Io 1, 11. 91) Ibid. vr. 12. 92) Rom 8, 17. 93) Gal 4, 1.
94) Cf. Gn 1, 26 sqq. 95) Ex 6, 3. 96) Io 1, 14. 97) Phil 2, 6-7.
98) Cf. Eccli 24, 5.

eo nil unquam Deus aut dixit aut fecit. *Verbum* dixit non Filius, ad designandum illud idem Verbum, quod *erat in principio apud Deum*, factum esse carnem.

et quia rationi conformius est Verbum potius quam filium Deo tribuere,

Nec immerito ibi *Verbum* potius dixit quam Filius, sed quia notius ac rationi conformius est Deo Verbum quam Filium tribuere. Nulla enim ratio naturali tantum lumine ducta assequitur Deum Filium habere sibi coaeternum, coaequalem ac consubstantialem; Verbum autem facilius assequitur, quoniam Deum substantiam esse mente et intellectu praeditam aeternamque philosophi cognoverunt ipsumque intelligere ac mente loqui. At verbum aeternae mentis conceptum notitiamque significat. Deinde, quia Scripturae Veteris Testamenti Deum ubique aiunt Verbo suo mundum creasse, [99] Christum *Dei virtutem Deique sapientiam* [100] intelligentes; hinc Ioannes *Verbum* potius dixit quam Filius. Quare cum Scriptura Vetus dicat Verbo mundum factum esse, idest summa sapientia, arte et ratione, absque ulla difficultate et labore Ioannes declarat quodnam sit Verbum per quod factus sit mundus; et hoc nunc dicit *caro factum*, verum Deum designans mundi opificem.

exprimit enim Dei sapientiam;

*caro* dicitur non homo, ad designandam partem hominis viliorem cui Verbum coniungitur;

Deinde *caro* dicit, non homo, quamvis per carnem homo intelligatur, sicut per Verbum Deus, unde saepe in Divinis Scripturis homo *caro* dicitur: *Videbit omnis caro salutare Dei;* [101] *Ad te omnis caro veniet;* [102] *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* [103] *Caro* autem dixit, non quod Christus animam non habuerit, cum dixerit: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* [104] *Anima mea turbata est.*, [105] et: *In manus tuas commendo spiritum meum;* [106] sed ut designet quod non tantum animam nobiliorem hominis partem, sed etiam carnem viliorem non exhorruit, cum naturalibus suis infirmitatibus, passionibus ac tandem morte. *Caro*, quia venit *in similitudinem carnis peccati*, [107] *in similitudinem hominum factus.* Unde humilitas Christi summopere commendatur, dum coniunguntur duo extrema summe distantium: altissimum et vilissimum, spiritus invisibilis, impassibilis, immortalis, beatissimus, aeternus cum carne sensibili, visibili, passibili, mortali, corruptibili ac temporali. *Verbum caro*, quia venit

99) Cf. Gn 1, 1-15; Idt 16, 17; Ps 32, 6. 9; 148, 5. 100) 1 Cor 1, 24. Vulg.: *Et Dei sapientiam.* 101) Lc 3, 6. 102) Ps 64, 3. 103) Rom 3, 20. 104) Mt 26, 38; Mc 14, 34. 105) Io 12, 27. 106) Lc 23, 46. 107) Rom 8, 3.

ad reparanda etiam damna carnis, omnes passiones poenarum et mortem.

Tandem ait: *Factum est;* non quod Verbum transierit in carnem, sicut cum aqua in vinum conversa fuit,[108] sed sicut legimus inspirasse Dominum Deum in faciem hominis *spiraculum vitae* factumque hominem *in animam viventem.*[109] Non enim corpus in animam conversum fuit, sed unitum, manens tamen utraque impermixta natura. Sic ait: *Verbum caro factum est,* manens tamen Verbum integrum et integra caro.

**tandem dicitur *factum est,* ad designandam unionem duplicis naturae.**

IV. Sed a quonam, quaeso, Verbum factum est caro? Utique a tota Trinitate, quamvis solum Verbum factum sit caro. Factum est a seipso, hoc enim proprium Christi est; neque enim Deus potuit facere seipsum, cum semper ab aeterno fuerit; neque aliqua mundi creatura, nam quod non est, minime agere potest: quomodo faciet fructus arbor quae nondum nata est? quomodo uret ignis nondum accensus? Videre non potest qui oculos non habet, nec audire auribus privatus surdusque omnino; sic quod non est, agere non potest. Nihil ergo potest facere seipsum; solus Christus id potuit, seipsum hominem facere, sicut homo seipsum vestimento potest induere. Hoc est: *Verbum caro factum est.* Si enim *omnia per ipsum facta sunt,* ergo et caro per ipsum facta est.

**Verbum factum est caro a tota Trinitate, ergo et a seipso.**

Sed videamus, quaeso, quomodo a seipso *Verbum caro factum est,* quam carnem induit Verbum, quod vestimentum. Potuisset utique induere carnem beatam, quale nunc est Christi corpus in coelo et quale ostendit in sua gloriosa transfiguratione, quando *resplenduit facies eius sicut sol;*[110] vel saltem induere carnem omni mundana felicitate refertam, uti Salomon fuit.[111] At vero non cum Salomone in Ierusalem in regali palatio, sed cum David in Bethlehem extrema in paupertate nasci voluit; quare paupertatem, humilitatem poenasque elegit, non divitias, non gloriam, non felicitatem mundanam. O nostra confusio! *Verbum caro factum est,* pauper Christus homo carne, dives autem spiritu; pauper *habitavit in nobis,* idest nobiscum humiliter conversatus est, *et vidimus gloriam eius* per operationem

**Potuisset Verbum carnem beatam sumere, elegit vero paupertatem et poenas, sed divinitatem miraculis ostendit;**

108) Cf. Io 2, 1-11. 109) Gn 2, 7. 110) Mt 17, 2. 111) Cf 3 Rg 10, 23; 2 Par 9, 22.

divinorum miraculorum, unde *infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per illam;* [112] *gloriam eius... quasi unigeniti a Patre,* [113] quoniam Filius Dei est: *Primogenitus omnis creaturae* [114] et unigenitus: primogenitus, quia nullus ante ipsum, unigenitus, quia nullus post ipsum genitus a Deo: *Unigenitus... qui est in sinu Patris, ipse enarravit;* [115] *Ut Filium suum unigenitum daret.* [116] Et tandem: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis.* [117]

**In ipso enim est plenitudo gratiae sanctificantis, quam influit in omnes electos,**

Hoc est quod superius dictum est ipsum esse vitam et lucem, hoc quod dicet mox: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.... gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [118] *Plenum gratiae et veritatis: In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei. Plenum gratia habituali sanctificante, qua Sanctus Sanctorum est, super omnes Sanctos sicut sol super omnia astra lucidus; gratia capitis, qua influit in omnes electos sicut caput in membra et sol lucem in astra: *De plenitudine eius nos omnes accepimus;* gratia unionis, qua in sanctitate aequalis est Deo. *Plenum gratiae et veritatis:* veritatis doctrinae et veritatis observantiae et impletionis omnium promissionum Dei; per Christum enim impletae sunt omnes promissiones Dei, omnia vaticinia, umbrae et figurae legis.

**et plenitudo veritatis doctrinae, ut de hac omnes acciperemus.**

Sic Christus in mundo pauperrimus corporalibus terrenisque bonis, ditissimus autem spiritualibus et coelestibus. Ipse enim est vas plenum manna [119] quoad gratiam, et vas plenum sale [120] quoad veritatem; vas autem novum absque omni vetustate peccati: *Plenum gratiae et veritatis;* et ob id *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis,* ut de hac plenitudine nos omnes acciperemus: plenitudinem gratiae per caritatem et plenitudinem veritatis per fidem, plenitudinem gratiae per Sacramenta et plenitudinem veritatis per doctrinam evangelicam, ut tandem accipiamus plenitudinem gratiae perfectae per fruitionem divinam in vita aeterna et plenitudinem veritatis per visionem beatificam: Cognosco *nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* [121] Gratia respondet carnalibus

112) Io 11, 4. Vulg.: *Per eam.* 113) Ibid. 1, 14. 114) Col 1, 15. 115) Io 1, 18. 116) Ibid. 3, 16. 117) Ibid. 1, 14. 118) Ibid. vrr. 16-17. 119) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 120) Cf. 4 Rg 2, 20. 121) 1 Cor 13, 12.

sacrificiis, inutilibus sacramentis et rigorosis iudiciis, veritas respondet umbris, figuris, promissionibus et vaticiniis legis.

V. Quare his verbis Ioannes declarat qualis quantusque sit iste qui natus est hodie: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis*, sicut sol plenus luce et calore, quibus tenebras noctis frigusque pellit hiemis. Sic natum esse dicit Solem iustitiae; sicut enim sol factus fuit, posita prima luce in luminari in vase ac vehiculo lucis,[122] sic hodie Verbum, lux vera illuminans omnem hominem, positum est in vase carnis factusque est *Sol* verus *iustitiae*.[123] O felices in quibus Verbum istud habitat per fidem, per spem, per caritatem, per gratiam! Nam *quotquot... receperunt eum, dedit eis potestatem filios, Dei fieri*, non tantum vocari, sed *fieri: Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus!... Nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus* autem *quoniam cum apparuerit*, tunc *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*.[124] Quare sicut *vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre*, sic nos quoque gloria donabimur. In gloriosa enim Christi transfiguratione non solum ipse visus est in gloria, sed etiam Moyses et Elias *visi in maiestate*.[125] *Similes ei erimus*, quoniam *heredes... Dei, coheredes autem Christi*,[126] hanc enim hereditatem consequimur per plenitudinem gratiae et veritatis.

**Sic Ioannes declarat qualis quantusque sit iste qui hodie natus est et habitat in nobis per gratiam.**

Gratia enim expellit peccatum, veritas falsitatem ac ignorantiam; gratia perficit voluntatem, veritas intellectum; gratia voluntatem perficit amore perfecto, veritas cognitione clara. Veritas facit ut cognoscamus vanitatem temporalium bonorum, quoniam *vanitas vanitatum et omnia vanitas*,[127] et veritatem aeternorum; vanitatem terrenorum et veritatem coelestium; vanitatem corporalium et veritatem spiritualium; vanitatem mundanorum et veritatem divinorum; gratia autem facit ut contemnamus mundana et diligamus divina, ut a terrenis ad coelestia conversi salvemur, sicut a coelestibus ad terrena conversi damnamur.

**Gratia Christi perficit voluntatem, veritas perficit intellectum.**

Haec sunt illa הָאוּרִים וְהַתֻּמִּים, quae summus pontifex

122) Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 175. 123) Mal 4, 2.
124) 1 Io 3, 1-2. Vulg.: *Quoniam videbimus*, etc. 125) Lc 9, 31. 126) Rom 8, 17.
127) Eccle 1, 2; 12, 8.

Haec duo a corde Christi emanant in omnes electos,

portabat in *Rationali* supra pectus,[128] l u m i n a et p e r f e c t i o n e s, lumen veritatis et perfectio gratiae. Haec enim duo a pectore et corde Christi ad omnes electos emanant, sicut pontifex in *Rationali* una cum הָאוּרִים וְהַתֻּמִּים portabat omnia nomina tribuum populi electi,[129] quoniam in electos Christus haec bona influit, ut per haec salutem consequantur aeternam. Haec in arca vas mannae cum tabulis legis:[130] *Plenum gratiae et veritatis*, omnis gratiae et omnis veritatis divinae. Omnis enim veritas quae in Lege et Prophetis reperitur, a Christo est nobis per Moysen et Prophetas tradita: *Lex per Moysen data est.* Non ipse Moyses auctor est legis, sed Christus: *Lex*, inquit, *per Moysen data est* tanquam per mediatorem et internuncium, *gratia et veritas per Iesum Christum facta est:* Christus est auctor omnis divinae veritatis, quoniam *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*[131] nobis. Caecus non potest esse auctor scientiae perspectivae, neque surdus auctor musices; sic qui Deum non vidit, divinae scientiae ac sacrae theologiae auctor esse non potest. Sed nemo hominum vidit Deum, nisi solus unigenitus Filius Dei; ideo solus ipse nobis veritatem divinorum mysteriorum ac supercoelestium sacramentorum potuit enarrare. Sic ergo omnis veritas fidei et divinitatis per Iesum Christum facta est, quamvis per Moysen, per Prophetas et per Apostolos tradita sit.

Ipse enim auctor est omnis veritatis divinae, quae in Lege et Prophetis reperitur,

Sicut autem ipse solus auctor est veritatis, sic ipse solus auctor est gratiae: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;*[132] *Ipse vos baptizabit... Spiritu Sancto et igni;*[133] et sicut auctor veritatis et gratiae, ita etiam vitae aeternae et gloriae: *Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius;*[134] omnis qui credit in eum habet vitam aeternam: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[135]

sicut est auctor omnis gratiae et gloriae aeternae.

VI. Sic cum *Verbum caro factum est*, mundo infinitum collatum est beneficium donumque infinitae caritatis: *Sic... Deus dilexit*

128) Cf. Ex 28, 30. Ms.: *Urim et thumin*, sic et infra. 129) Cf. Ex 28, 29.
130) Cf. ibid. 25, 16-21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 131) Io, 1, 18.
132) Ibid. vr. 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae.
133) Lc 3, 16. 134) Io 3, 35. 135) Ibid. vrr. 15-16. Vulg.: *Qui credit in eum.*

*mundum.* Si Deus non haberet aliud quod diligeret, mirum non esset si mundum amaret; sed in se omne bonum possidet ipseque omne bonum est; vel si necessario amaret sicut sol lucet et ignis calefacit; sed Deus seipsum tantummodo necessario amat, mundum autem potuit non amare sicut potuit non creare; nec ullam in amando consequitur vel utilitatem, vel voluptatem, vel gloriam, quoniam in seipso beatissimus est et bonorum nostrorum non indiget,[136] sicut sol nulla aliena luce aut ignis calore. Ipse enim est שַׁדַּי,[137] sibi sufficiens, quoniam omne bonum in eo infinitum est. **Hinc ostenditur infinita Dei caritas, qua absque ulla sua utilitate mundum dilexit**

*Sic ... dilexit mundum*, cum in mundo nulla praecesserit causa amandi, nam amor aeternus est sicut aeternus est Deus: *Caritate perpetua dilexi te;*[138] *Elegit nos ... ante mundi constitutionem.* Cum autem mundus nihil esset, nullo proprio bono movere Deum potuit ad sui amorem; sed si quid in nobis boni est, a Deo est, sicut picturae pulcritudo. *Sic ... dilexit mundum*, non solum absque ullo merito, sed cum infinitis demeritis, sicut infinita sunt mundí peccata Deo ab aeterno cognita. Sic ... *dilexit* Deus iustissimus, sapientissimus et optimus, in quo nulla inordinata passio vel affectio, nulla ignorantia aut nescientia. Homo enim ex passione vel ignorantia saepe diligit quod non debet, ut Samson Dalilam;[139] in Deo autem summa est sapientia, bonitas et aequitas infinita. Sic: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*[140] **et absque ullo mundi ipsius merito, imo cum infinitis demeritis,**

Nec solum *dilexit*, sed *sic*,[141] ineffabiliter, incomprehensibiliter, infinite, ut *Filium* sibi coaeternum, coaequalem et consubstantialem, Filium, non alium hominem aut Angelum aut mundum alium vel ipsummet paradisum, sed Filium et cum eo omnia – nam: *Qui ... proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*[142] – *Filium suum*, non alienum, *suum* et perfecte suum, qui totam habet Patris substantiam, essentiam atque naturam; nam si Abraham filium dedit, non erat totaliter suus, acceperat illum a Deo, Deus filium dederat **et adeo dilexit, ut Filium suum**

136) Cf. Ps 15, 2; 49, 9-13. 137) Ms.: *Scadai.* 138) Ier 31, 3. 139) Cf. Idc 16, 4. 140) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit*, etc. 141) Ms.: *Sit.* 142) Rom 8, 32, Vulg.: *Pro nobis omnibus.*

et unigenitum cruci et morti daret in pretium pro nobis.

illi,[143] et alioqui alia erat substantia Isaac, aliud corpus, alia anima ab Abraham; Filium vero non tantum suum, sed etiam *unigenitum* – si enim plures habuisset ut David,[144] ut Iacob,[145] vel saltem alterum ut Abraham[146] et Isaac,[147] non adeo mirum fuisset; ut Filium *daret*, non venderet, non commutaret, non mutuaret, sed *daret* dono gratis, et hunc quidem Filium daret morti et cruci, sicut exaltatus fuit serpens.[148] Si dedisset in principem, in regem, in pontificem! Sed in fratrem, in servum, in socium, in pretium, in cibum, in remedium et pro servo! Res inaudita ut pro liberando servo morti filius detur, ut *omnis* homo terrenus, vilis diaboli et peccati servus, *qui credit* viva fide *in ipsum, non pereat* perpetua morte, *sed habeat vitam aeternam.*[149] Nulla Christo utilitas ex hoc, tota nostra est. Hinc natus nudus in praesepio est collocatus, non habens locum in diversorio.[150] Dedit hunc Filium sic pro homine, non pro Angelo, qui etiam et multo magis indigebat. Et poterat aliter hominem salvare; sed quia pro salute nostra expedientius fuit Filium, non Angelum mittere, et Filium morti tradere ad dandam nobis vitam, et vitam aeternam, hoc hodiernum est beneficium.

## IV. ALIA HOMILIA

*Exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima facta est a praeside, etc.*[1]

Statua Nabuchodonosor mundanum imperium designabat,

I. Quoniam Christus lapis ille est qui excisus de monte sine manibus percussit statuam Nabuchodonosor ad nihilumque redegit, ipse vero crescens totam implevit terram, hinc S a c e r E v a n g e l i s t a coniungit Christi nativitatem cum descriptione imperii romani. Per statuam enim illam mundanum imperium ac monarchia designatur, quam primo quidem possederunt Assyrii atque Chaldaei, secundo Persae et Medi, tertio Graeci et quarto tandem ipsi Romani. Sic enim D a n i e l ipse interpretatur caput statuae aureum regnum

143) Cf. Gn 18, 10. 144) Cf. 2 Rg 3, 2-5. 145) Cf. Gn 29, 32 sqq.; 30, 5-24; 35, 18. 146) Cf. ibid. 16, 15. 147) Cf. ibid. 25, 25. 148) Cf. Io 3, 14. 149) Ibid. vr. 16. 150) Cf. Lc 2, 7.

1) Lc 2, 1-2.

Chaldaeorum, pectus cum argenteis brachiis regnum Persarum atque Medorum, ventrem aeneum regnum Graecorum et tibias ferreas regnum Romanorum, omnium maximum et potentissimum, per lapidem vero Christi regnum interpretatur.[2] Ecce statua: *Exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis* romano imperio subiectus; et ecce lapis: *Ascendit autem . . . Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum*,[3] illum de quo dixerat ei Angelus: *Pariet Filium et vocabis nomen eius Iesum; hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur;*[4] et: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.*[5]

lapis regnum Christi

Sic et D a n i e l ait, dum interpretatur quidnam significet lapis ille qui, percussa statua, *factus est mons magnus et implevit universam terram:*[6] *In diebus*, inquit, *regnorum illorum suscitabit Deus . . . regnum quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur;*[7] et, ut idem alibi ait, cum Christum vidisset in nubibus coeli venientem atque pervenientem usque ad Antiquum dierum, a quo regnum et honorem accepit: *Potestas*, inquit, *eius potestas aeterna quae non auferetur, et regnum . . . quod non corrumpetur.*[8]

universale et aeternum.

Lapis est Christus: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli;*[9] *Ecce pono in Sion lapidem;*[10] lapis erectus in titulum unctusque a Iacob;[11] lapis cum septem oculis, Z a c h a r i a e;[12] praecisus de monte: mons est Maria: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium;*[13] mons altissimus omni nobilitate et excellentia naturae, gratiae et gloriae: *Mons in quo beneplacitum est Domino habitare in eo.*[14] Sed praeciditur sine manibus lapis: nascitur Christus miraculo sicut miraculo fuit conceptus, quem enim virgo concepit, virgo peperit; natus est virginalibus claustris uteri materni nullam vim inferens, ea nihili temerans,

Lapis praecisus sine manibus designat mysterium virginalis maternitatis B. V. Mariae.

2) Cf. 2, 31-45. 3) Lc 2, 4-7. 4) Mt 1, 21. 5) Lc 1, 32-33. 6) 2, 35.
7) Ibid. vr. 44. 8) Ibid. 7, 14. 9) Ps 117, 22; Mt 21, 42; Lc 20, 17; 1 Petr 2, 7.
10) Is 28, 16; 1 Petr 2, 6. 11) Cf. Gn 31, 45. 12) Cf. 3, 9. 13) Is 2, 2.
14) Ps 67, 17. Vulg.: *Beneplacitum est Deo*, etc.

sed illis inviolatis et intemeratis nihilique disruptis, exivit de utero transiens sicut radius per crystallum, sicut clauso egressus est sepulcro et clausis ostiis ad Apostolos ingressus fuit. [15]

Christus lapis parvus, quia humillima conditione natus.

Erat autem lapis parvus, nam: *Parvulus... natus est nobis;* [16] parvus lapis: *Peperit filium suum primogenitum et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio.* [17] O parvitas! Nascitur ex paupere muliere pauperi desponsata viro, nascitur nocturno tempore, obscuro loco, in vilissimo stabulo, pauperibus involutus fasciis collocatur in praesepio. Sic: *Parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis.* Sed factus est lapis magnus implevitque universam terram. Ecce magnitudo: *Factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis... super solium David et super regnum eius [sedebit] et pacis non erit finis.* [18] O magnitudo infinita! Magnus lapis Christus ab Angelo pastoribus praedicatur: *Ecce... evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* [19] Enimvero magnus, nam *subito facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum et dicentium: Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* [20]

sed magnus factus, quia implevit terram.

Omnia hodie ostendunt parvitatem et magnitudinem Christi.

II. Lapis magnus et parvus, humilis et sublimis, mirabili quadam varietate ostenditur hodie Christus, ad instar mundi huius qui ex magnis et parvis constat: coelo et terra, montibus et vallibus, die et nocte, aestate et hieme, divitiis et paupertate. Christus enim magnus est quia Deus, parvus quia homo; magnus quia Verbum, parvus quia caro; tanquam parvus nascitur ex paupercula matre, sed tanquam magnus ex Sanctissima Virgine, natura mirante; [21] tanquam parvus putatur filius Ioseph pauperis fabri, [22] tanquam magnus verus est Filius Dei mundanae huius machinae fabricatoris; tanquam parvus nascitur obscuro tempore, media nocte, sed tanquam magnus per Angelum suum nocturnas tenebras expulit: *Claritas Dei circumfulsit illos;* [23]

15) Cf. Io 20, 19. 16) Is 9, 6. 17) Lc 2, 7. Vulg.: *Eis locus*, etc. 18) Is 9. 6-7. Ordine inverso affert vr. 7. *Sedebit* omittitur in aliquibus codicibus. 19) Lc 2, 10-11. 20) Ibid. vrr. 13-14. 21) Cf. Breviarum Rom., antiphona finalis ab Adventu ad diem 2 Februarii. 22) Cf. Mt 13, 55; Lc 3, 23. 23) Lc 2, 9.

tanquam parvus nascitur in vilissimo stabulo, sed tanquam magnus ab Angelo praedicatur pastoribus et divina claritate fulget in mundo; tanquam parvus reclinatur in praesepio, sed ut magnus ab Angelis adoratur et laudatur in coelo; ut parvus infans pannis iacet involutus in terra, ut magnus Deus astra luce, coelum claritate, Angelos gloria vestiens, regnat in paradiso.

**Sic magnus et parvus praedicatur ab Angelo, qui apparuit divina maiestate indutus.**

Sic magnus et parvus praedicatur ab Angelo: *Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David:* ecce magnus; sed ecce parvus: *Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.*[24] Facit autem ad Christi magnitudinem quod Angelus Christum evangelizans singulari quadam gloria indutus apparuit: *Angelus Domini stetit iuxta eos,*[25] sive supereminens eis, *et claritas Domini,* δόξα κυρίου,[26] *gloria,* sive *maiestas Domini circumfulsit eos;* apparuit tanquam sol divina quadam gloria et maiestate indutus divinaeque lucis splendore pastorum oculos subito percussit. Dicitur autem *Angelus Domini* et *claritas Domini,* idest Christi, nam ipsemet Angelus ait: *Qui est Christus Dominus,* universorum enim Dominus Christus est.

**Haec divina claritas ostendit qualis et quantus sit iste qui natus est,**

Nunquam vero legimus in Divinis Scripturis Angelos divina hac maiestate indutos apparuisse hominibus; sed divina haec claritas Angeli ostendit qualis quantusque sit iste qui natus est, cum omnium Angelorum sit Dominus. Et hic quidem Angelus, qui Christi nunciavit nativitatem, Angelum putarim dictum per excellentiam et antonomasiam, existimo enim eum summum fuisse principem et coryphaeum Angelorum, unde *facta est cum Angelo* tanquam cum duce *multitudo militiae coelestis.*

**qui tamen humilibus praedicatur pastoribus.**

Hinc autem talis ac tantus praedicator pauperibus, humilibus et vigilantibus pastoribus nunciat Christi nativitatem, non superbis ac tumidis scribis et Pharisaeis: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis;*[27] sic enim *quae stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes.*[28] Delectatur Dominus humilitate, innocentia et simplicitate, quae in pastorali vita vel maxime elucent;

24) Ibid. vr. 12. 25) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Iuxta illos.* 26) Ms.: *Doxa chiriu.*
27) Mt 11, 25; Lc 10, 21. 28) 1 Cor 1, 27.

sic pastor fuit Abel,[29] pastores Patriarchae,[30] pastor David,[31] quibus nativitas Christi promissa fuit. Nunc autem similem vitam ducentibus nunciatur pastoribus Christi nativitas, quoniam natus est pastor ille qui ait: *Ego sum pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis;*[32] pastor ille per Ezechielem promissus a Deo: *Suscitabo illis pastorem... qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas et ipse erit eis in pastorem.*[33] *Erant vigilantes pastores et custodientes vigilias noctis super greges,*[34] ut oves a lupis servarent; si vigilantibus et quae sua sunt recte exequentibus divina mysteria revelantur; sic Moysi gregem custodienti atque pascenti apparuit Angelus Domini.[35]

Angelus annunciat gaudium magnum,

III. Sed audiamus coelestem hunc praedicatorem. *Ecce,* inquit, res nova, inaudita, mirabilis, magnum, summum, omnium maximum infinitumque miraculum, *evangelizo vobis,* bona laetaque annuncio vobis hominibus, qui simplicem, humilem innocentemque vitam ducitis, *gaudium* unde laetari ac gaudere poteritis, sicut homo invento thesauro, et *gaudium magnum,* sicut homo invento magno thesauro; sed *vobis* annuncio, hominibus qui ob Adae peccatum eiecti estis de paradiso,[36] qui multis aerumnis ac poenis subiecti estis ac tandem morti, qui servi estis peccati, captivi satanae qui princeps est mundi huius,[36a] qui subiecti vitiis ac tentationibus estis carnis et mundi; *vobis* annuncio, *quia natus est* divino miraculo de Virgine purissima *hodie,* cum iam advenit plenitudo temporis praefiniti a Deo, hodie: *Haec... dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea,*[37] natus est homo quidem Deo non tantum similis, sed aequalis: *Natus est vobis... Salvator,* qui *salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Quare si ab omnibus peccatis, etiam ab omnibus malis quae ob peccatum mundo inflicta sunt, hinc absolute dicitur *Salvator,* non ab hoc vel illo periculo aut malo, sed ab omnibus, et temporalibus et aeternis. Salvabit vos a peccatis sicut Noe a diluvio,[38] salvabit vos ab igne aeterno sicut Loth ab incendio,[39] salvabit vos a fame sicut Ioseph salvavit

et Christum appellat absolute Salvatorem, quia salvat ab omnibus malis,

29) Cf. Gn 4, 2. 30) Cf. ibid. 13, 7; 26, 14; 30, 43. 31) Cf. 1 Rg 16, 11; 17, 15. 32) Io 10, 11. 33) 34, 23. Vulg.: *Suscitabo super eas pastorem,* etc. 34) Lc 2, 8. Vulg.: *Pastores erant... super gregem.* 35) Cf. Ex 3, 1; Act 7, 30. 36) Cf. Gn 3, 6 sqq. 36a) Cf. Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. 37) Ps 117, 24. 38) Cf. Gn 7, 1 sqq. 39) Cf. ibid. 19, 24-29.

Aegyptum,[40] salvabit vos ab omni malo sicut Hebraeos a plagis Aegypti,[41] salvabit vos a potestate diaboli sicut Moyses liberavit populum Dei a tyrannide Pharaonis,[42] salvabit vos a morte aeterna sicut Ierusalem liberata fuit a peste,[43] salvabit vos ab inimicis sicut Gedeon[44] et Samson;[45] tandem aeterna vos felicitate donabit sicut Iosue populum in terram promissionis introduxit.[46]

*Natus est vobis hodie Salvator, Sol iustitiae,*[47] *qui est Christus,* unctus summus rex, summus sacerdos, summus propheta, Christus in lege et Prophetis promissus, Christus Deus et homo, qui tanquam Deus ab aeterno natus a Patre est, hodie autem factus homo *natus est vobis* in tempore, quoniam *Verbum caro factum est.*[48]

**summum regem et sacerdotem, quia Filius Dei.**

*Christus Dominus,* absolute *Dominus,* quoniam Dominus universorum,[49] Dominus etiam Angelorum, hinc princeps coelestis exercitus vocat eum Dominum: *Dominus in civitate David,* ut adimpleatur quod dictum est: *Et tu, Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in millibus Iuda, ex te enim exiet mihi dux qui regat populum meum Israel,* et *egressus eius,* sive *egressiones eius ab initio, a diebus aeternitatis,*[50] quia Dominus verus Deus, aeternus et infinitus, Deo Patri coaeternus, coaequalis et consubstantialis; sic *egressus eius a diebus aeternitatis. In civitate David,* ubi summa cum populi exultatione natus fuit ex Ruth et Booz Obed:[51] Christus Obed est, servus[52] ille de quo dicitur: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur . . . elevabitur et sublimis erit valde :*[53] *exaltabitur* a terra in coelum super omnes homines, *elevabitur* in coelo super omnes Angelos, et *sublimis erit valde* in throno divinae gloriae, quoniam *assumptus . . . in coelum . . . sedet a dextris Dei :*[54] *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.*[55] Hic Obed filius est Booz, potentissimi ac ditissimi viri, quoniam Filius Dei et Filius Virginis, quae per Ruth designatur magnae virtutis mulierem.[56] *In civitate David,* ubi David natus magna in humilitate fuit,[57] cum futurus esset rex Israel et in Ierusalem glorio-

**Dominum absolute, quia Dominus universorum,**

**natum in civitate David.**

40) Cf. ibid. 41, 53 sqq. 41) Cf. Ex 9, 26; 10, 23; 11, 7. 42) Cf. ibid. 14, 19 sqq. 43) Cf. 2 Rg 24, 16. 44) Cf. Idc 7, 1-8, 1-28. 45) Cf. ibid. 15, 1 sqq.; 16, 28-30. 46) Cf. Ios 3, 1 sqq. 47) Mal 4, 2. 48) Io 1, 14. 49) Cf. Est 13, 11. 50) Mich 5, 2; Mt 2, 6. 51) Cf. Ruth 4, 13-17. 52) Sic enim latine hoc nomen interpretatur. 53) Is 52, 13. 54) Mc 16, 19. 55) Ps 96, 9. 56) Cf. Ruth 3, 11. 57) Cf. 1 Rg 16, 11.

qui fuit singularis figura Christi.

sissime regnaturus. Nasci voluit Christus in Bethlehem, quae domus panis interpretatur, quoniam ipse est *panis* vivus *qui de coelo descendit*,[58] panis vitae aeternae, et quoniam Rachel in Bethlehem mortua fuerat atque sepulta,[59] ipse vero veniebat ad mortuos suscitandos primo in spiritu ac deinde in carne, maxime vero electos quos Deus diligit sicut Iacob Rachelem,[60] quae ovis interpretatur extititque figura Ecclesiae; nascitur Christus in civitate David, in qua David natus fuit, quoniam David singularis quaedam Christi imago ac figura fuit et quaecunque David egit in carne Christus facturus erat in spiritu.

*Et hoc vobis signum*: his verbis innuitur ineffabile mysterium generationis Christi.

IV. *Et hoc vobis signum*, magnum plane miraculum, unde *omnes qui audierunt mirati sunt;*[61] *hoc vobis signum: Vocabitur nomen eius admirabilis*, sive *miraculum*,[62] quale fuit nomen Angeli illius qui in humana forma parentibus Samsonis apparuit;[63] *hoc vobis signum:* o quale miraculum! *Manhu! manhu!... quid est hoc? quid est hoc?... Hic est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum, hoc est verbum quod praecepit Dominus.*[64] Hoc est miraculorum omnium maximum, miraculum quidem ex parte generantis, ex parte geniti et ex modo generationis, unde Christi generatio ac nativitas vere ineffabilis et incomprehensibilis est omnibus linguis et mentibus: *Generationem eius quis enarrabit?* sic dixit Isaias,[65] cui seraphico ministerio coelestique igne mundata labia fuerunt, cum Christi gloriam vidit,[66] *generationem eius quis enarrabit?* Divinae generationis et nativitatis Christi sacramentum, inquit, enarrare quis poterit?

Generationem Christi explicare nulla lingua potest, nec hominis,

Tria sunt in universo, quae mente et intellectu praedita cum sint, loqui possunt: Deus, Angelus et homo, hinc Paulus Angelis et hominibus linguas tribuit dicens: *Si linguis hominum loquar et Angelorum;*[67] Deum vero in Scripturis Sanctis multifarie multisque modis legimus locutum Patriarchis atque Prophetis.[68] Hanc autem generationem homo explicare non potest. Si enim homini id licuisset, Isaiae profecto vel maxime licuisset, cum summus esset propheta

58) Io 6, 59. 59) Cf. Gn 35, 19. 60) Cf. ibid. 29, 18-20. 61) Lc 2, 18. 62) Is 9, 6. Ex hebraico. 63) Cf. Idc 13, 2-20. 64) Ex 16, 15-16, Vulg.: *Iste... Dominus dedit vobis... Hic est sermo quem*, etc. 65) 53, 8. 66) Cf. ibid. 6, 6-7. 67) 1 Cor 13, 1. 68) Cf. Hebr 1, 1.

labiaque divinitus purgata haberet; sed ipse ait: *Generationem eius quis enarrabit ?*

Sed nec Angelus quidem potest, Christus enim liber ille est septem sigillis obsignatus, quem aperire nulla creatura nec coelestis quidem potuit.[69] Hinc cum Beata Virgo ab Angelo petiit: *Quomodo fiet istud?* respondit: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi ... quia non erit impossibile apud Deum omne verbum,*[70] quasi dixerit: Deo quidem factu possibile id erit, mihi autem dictu et explicatu impossibile est sacramentum huius generationis. Hinc cherubim admirationis vultu divinum propitiatorium intuentur[71] et Seraphim alis operiunt facies suas,[72] quasi divini vultus lucem ferre non valentes, etsi aquilinos oculos habent.

nec Angeli;

Deus vero solus seipsum capit, unde ipse sui ipsius templum dicitur[73] et solus ipse seipsum Verbo suo loquitur ac perfectissime naturam suam exprimit. Sed sibi ipsi ac intra se, nobis autem non potest; nam infiniti verbi, quo solo exprimi potest divina magnitudo, nos nullo pacto capaces sumus, infinitum enim intra finitum capi minime potest, sicut nec mare in phiala aut coelum universum intra pugillum hominis. Si autem finitis verbis seipsum exprimere vellet, nobis minime posset, quoniam verba sunt veluti vestes conceptuum, verbum autem finitum est veluti infantilis vestis; infinitus autem Deus est, maximus gigas. Hinc merito ait: *Generationem eius quis enarrabit ?* Sacramentum hoc tota divinitatis plenitudine refertum est, nam: *Verbum caro factum est,*[74] *Verbum,* quod in principio *erat apud Deum*[75] ac Deus per quem facta sunt omnia, nec potest Deus aliud infinitum verbum producere ad Verbum istud exprimendum nobis.

solus Deus sibi ipsi naturam suam exprimit, non autem nobis, quia infinitum capere non possumus.

V. O signum magnum, incomprehensibile, ineffabile, summe admirabile! *Generationem eius quis enarrabit ?* Infans iste modo natus est et Deo est coaeternus qui semper ab aeterno fuit, parvus est et est coaequalis Deo qui infinitus est, qui coelum et terram adimplet,[76] imo quem *coelum et coeli coelorum ... capere non possunt ;*[77] caro videtur et Deo consubstantialis est, qui spiritus est purissimus carnem et

Vere ineffabile mysterium generatio Christi

69) Cf. Apc 5, 2-3. 70) Lc 1, 33-35. 71) Cf. Ex 25, 18-20. 72) Cf. Is 6, 2. 73) Cf. Apc 21, 22. 74) Io 1, 14. 75) Ibid. vr. 2. 76) Cf. Ier 23, 24. 77) 3 Rg 8, 27.

ossa non habens. Quomodo ergo fit generatio ista? Quomodo nascitur Filius iste Dei? Si ut homo ab homine, in hac generatione, quamvis eadem sit essentiae ratio, non tamen filius modo genitus patri coaevus est nec coaequalis; si ut radius a sole, radius quidem coaevus est et coaequalis, non tamen eiusdem cum sole substantiae; si ut rivus a fonte, hic fonti coaeternus est, sed nunquam eadem aqua est, sed semper alia atque alia, hic autem eadem semper natura; si ut calor ab igne, non idem sunt calor et ignis; si ut a radice arbor vel ab arbore fructus, non sunt idem; si ut ab anima potentiae ac sensus, non sunt eiusdem essentiae; si ut a corde cogitationes, hae illi accidentia sunt; si uti accidentia a substantia, non habent eandem essentiam; si uti species ab obiecto veluti imago hominis in speculo, imago solis in nube vel aliqua ubi parelia [77*] generantur, non sunt eiusdem naturae; si uti impressio a sigillo, aliud sigillum et aliud impressa imago est; si ut effectus a causa, haec aliud et aliud sunt; si ut vita motusque corporis ab anima, non sunt haec eadem; si uti a Deo mundus creatus est, non idem sunt mundus et Deus.

et omnino incomprehensibile.

Quare sacramentum istud ineffabile et incomprehensibile est, hinc Paulus dicit investigabiles Christi divitias et sacramentum absconditum a saeculis in Deo: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi et illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui creavit omnia, ut innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* [78]

quod Divus Paulus dicit *sacramentum absconditum.*

VI. *Hoc vobis signum: Vocabitur nomen eius miraculum* primo, quia qui nascitur Deus est et homo, creator et creatura, aeternus et temporalis, caro humana et spiritus divinus; miraculum, quia infans iste non est ut alii infantes infirmus, sed in virtute atque potentia operandi Deo äequalis; non est ut alii ignorans, sed in sapientia maior Angelis, aequalis Deo: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei; [79] non est natus in peccato ut alii, sed sanctior Angelis, in bonitate ac sanctitate aequalis Deo; non parvulus ut alii, sed in omnibus Deo aequalis, Deo illi cuius comparatione mundus totus a

Nativitas Christi magnum miraculum fuit ex parte geniti.

77*) Ms.: *Parehelii.* 78) Eph 3, 8-10. Vulg.: *Qui omnia creavit*, etc. 79) Col 2, 3.

summo coelorum convexo usque ad terrae centrum vix puntalis est magnitudinis, sicut terra comparata coelo; aequalis Deo qui infinitae est magnitudinis, cuius comparatione si mundus iste millies milliesque ac decies millies, centies millies maior esset, nullius utique magnitudinis esset. Qualis autem et quanta magnitudo ipsius est, talis ac tanta potentia, talis ac tanta sapientia, talis ac tanta bonitas, maiestas, gloria et omnis perfectio est; infans autem iste in his omnibus Deo aequalis per omnia est. O miraculum! *Hoc vobis signum!*

Magnum etiam miraculum ex parte generantis. Pendet autem generatio ista a Deo et a Virgine Sanctissima. Ex parte Dei miraculum est caritatis: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;*[80] *Parvulus . . . natus est nobis et filius datus est nobis.*[81] O donum super omne donum! donum magnum, donum summum, donum omnium maximum, donum infinitum! *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*[82] Si beneficium creationis magnum fuit, hoc illo tanto maius est quanto coelum terra, sol luna, Deus mundo; donum enim istud aequale est Deo: *Filius datus est nobis; Ut Filium suum unigenitum daret.* In creatione Deus dedit nobis terrestrem paradisum, in recreatione coelestem; in creatione temporalem vitam, nunc autem aeternam; tunc naturalem, nunc autem supernaturalem; tunc fecit hominem honore et gloria sibi similem, nunc ipse fit humilitate similis homini, quod maius est; reges enim mundi honore et gloria servos suos afficientes facient sibi similes, sed nullus eorum vult servis in humilitate similis fieri. In creatione dedit nobis bona sua, nunc autem venit ad patiendum pro nobis mala nostra. Principes mundi servis quidem suis donant bona sua, pro eis tamen pati in vita aut persona nil volunt. In creatione constituit hominem dominum terrae, nunc constitutus est homo dominus coeli et rex Angelorum; in creatione dedit nobis mundum magnum, nunc dat nobis mundum ter maximum donans nobis unigenitum Filium suum, Deum verum omnipotentem, auctorem naturae, fontem gratiae, regem gloriae, in amicum, in socium, in fratrem, in magistrum, in pastorem, in cibum et panem, in pretium et redemptorem, in praemium ac per-

**ex parte generantis, nam ex parte Patris est miraculum caritatis**

**qui in creatione dedit nobis mundum, et nunc dat nobis Filium suum;**

80) Io 3, 16. 81) Is 9, 6. 82) Rom 8, 32.

petuum aeternumque Salvatorem. Dat nobis eum, ut auferat a nobis omnia mala nostra et tribuat nobis omnia bona sua.

ex parte Matris, quae concepit et peperit inviolata virgo permanens;

Magnum plane divinae caritatis miraculum fuit et ex parte Virginis Sanctissimae admiranda nativitas; nam sicut Virgo concepit opera Spiritus Sancti,[83] sic et Virgo peperit absque dolore, summo cum gaudio Deum et hominem. Miraculum fuit ut ardens rubus non combureretur,[84] ut virga Aaron arida floreret,[85] ut sterilis Sara pareret;[86] sed istud multo maius multoque illustrius. Hinc tanquam miraculum magnum nobis ab Isaia proponitur: *Ecce virgo concipiet et pariet filium; Dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo,* etc.,[87] cum prius dixerit: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum abyssi sive in excelsum supra.*[88] Quare tanquam omnibus miraculis quae in coelo aut in terra fieri potuissent multo maius atque divinius partum istum virgineum proponit; et si magnum fuit opus ex virginea, nova et immaculata terra Adam formare,[89] Christum formare ex virginea carne tanto maius fuit quanto Christus coelestis homo maior est, Deus cum sit, Adam terreno puroque homine.[90]

ex parte generationis,

Magnum tandem miraculum est Christi nativitas ex parte generationis, ex ipsa nativitatis forma. Nam hominis quidem cuiusvis generatio atque nativitas mirabilis supra modum est: quomodo ex seminis virilis gutta formetur tantum corpus, tanta structura, tot membra, tot organa sensuum et actionum interiorum et exteriorum; quomodo fiant carnes et ossa, pellis ac nervi, arteriae et venae, musculi et cartilagines, sanguis et phlegma; quomodo tantum corpus per tam arctam portam egreditur ex utero in mundumque istum ingreditur; quomodo aut quando rationalis anima corpori uniatur quibusque vinculis connectatur, unde tot spiritus naturales, vitales et animales in epate, corde, cerebro ac toto corpore. Sed haec generatio atque nativitas multo mirabilior quavis alia generatione est; nam corporis quidem humani formatio novem mensium spatio formatur, sed Christi corpus uno instanti totum quoad formam structuramque corporis, etsi non quoad magnitudinem sicut Adae corpus, uno fuit instanti formatum, sicut uno instanti creatus mundus. Hoc uno

Christi enim corpus in uno instanti formatum fuit perfectum quoad formam,

83) Cf. Mt 1, 20-21; Lc 1, 26-38. 84) Cf. Ex 3, 2-3. 85) Cf. Nm 17, 6-8. 86) Cf. Gn 17, 15-19; 18, 10-11; 21, 1-2. 87) 7, 13-14. 88) Ibid. vr. 11. Vulg.: *In profundum inferni*, etc. 89) Cf. Gn 2, 7. 90) Cf. 1 Cor 15, 47.

differt, quod Adae corpus perfectum factum fuit quoad formam et materiam simul, Christi autem corpus quoad formam uno instanti et quoad materiam crevit per novem menses; et animae quidem Christi perfecta fuit omni perfectione naturae, gratiae et gloriae super omnes homines Angelosque perfectissimos, adeo ut maius miraculum fuerit Christi generatio quam mundi creatio quoad perfectionem. Nam tanto Christus est virtute perfectior mundo quanto mundus homine est corporeae molis magnitudine maior, cum in eo sit *omnis plenitudo divinitatis.* [91]

**anima perfecta in natura, gratia et gloria,**

Deinde, egressus est de matris utero per angustam quidem portam, sed absque ulla vi, ac si non corpus solidum, sed spiritus esset, aut veluti cum mane aurora rorem dimittit ex alto: *De matrice ex aurora tibi ros generationis*, sive *nativitatis tuae*, habet Hebraica Veritas in *Psalmo*, ubi nos legimus: *Ex utero ante luciferum genui te.* [92]

**et natus est sine ulla laesione virginalis claustri materni.**

VII. *Hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum.* [93] Signum profecto omni admiratione plenum. Prius dixerat natum esse Salvatorem, Christum Dominum, verum Deum; nunc dicit hunc Salvatorem esse *infantem pannis involutum* ac *positum in praesepio.* Profecto divinam illam claritatem et gloriam, in qua apparuit Angelus, crediderim signum datum esse pastoribus et Angelorum concentum, ut verbis Angeli pastores fidem adhiberent crederentque infantem illum natum ac positum in praesepio verum esse Deum, mundi Salvatorem, mundi gubernatorem, mundi creatorem, quamvis etiam quod sequitur: *Invenietis infantem pannis involutum* ac *positum in praesepio,* [94] signum datum sit ad internoscendum Salvatorem natum inter tot infantes qui in Bethlehem nati erant.

**Modus etiam quo nasci voluit mirabilis est:**

Nasci voluit Filius Dei in paupertate et humilitate, veniens in hunc mundum sicut rex Israel mutato habitu suo descendit in proelium, [95] stultum se quodammodo fingens in mundo sicut David coram rege Achis; [96] pannis involvi voluit, quoniam venit *in similitudinem carnis peccati,* [97] homo enim post peccatum vestimenta quaesi-

**natus est in humilitate et paupertate;**

91) Col 2, 9. 92) Ps 109 (hebr. 110), 3. 93) Lc 2, 12. 94) Ibid. vr. 11.
95) Cf. 3 Rg 22, 30. 96) Cf. 1 Rg 21, 10 sqq. 97) Rom 8, 3.

vit,[98] sic Iacob indutus fuit vestibus Esau pellibusque haedinis, ut fratri suo Esau similis omnino appareret caecutienti Isaaco,[99] sic tabernaculum Domini pellibus mortuorum animalium fuit opertum:[100] *Pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio :*[101] *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper.*[102]

sic autem nasci voluit, quia venerat ad reparandum Adae peccatum.

Sed cur, quaeso, tanta in paupertate ac humilitate Christus in mundum venire voluit? Cur non venit in primo adventu, sicut veniet in secundo, in maiestate et gloria? Cur tali loco et tempore nasci voluit? Non enim necessitate Christus, sed voluntate natus est, quando et ubi voluit ac quomodo voluit. Nasci voluit Christus tanta cum humilitate et paupertate, quoniam venit in mundum ad curandum Adae peccatum. Sed « contraria contrariis curantur, calida frigidis, frigida calidis. »[103] Ille homo cum esset, superbia elatus ex diabolica suggestione voluit esse Deo similis et aequalis; Christus Deus cum esset Deoque aequalis, ex humilitate voluit esse homo ceterisque hominibus similis: *Habitu inventus ut homo.*[104] Adam peccavit in loco honoris et deliciarum, Christus patitur pro illo peccato in loco humilitatis et poenarum; Adam ascendere voluit supra novem Angelorum ordines, ad Deum usque,[105] Christus descendit infra novem ordines Angelorum, usque ad hominem, hic enim est sol per decem lineas retrocedens,[106] nam factus est paulominus minor Angelis, ut Regius Vates ait[107] ac post eum Paulus ;[108] Adam temporalia appetendo peccavit ac peccando totum humanum genus damnavit, Christus temporalia contemnendo [pro] peccato satisfecit totumque mundum sua virtute salvavit. Respondet miro modo praesepium stabulumque paradiso, Christus Adamo, Maria Evae, Angelus nuncians salutem serpenti qui causa fuit perditionis, superbiae Adami Christi humilitas, divitiis Adami Christi paupertas, damnationi Adami Christi servitus: *Formam servi accipiens,*[109] magnitudini Adami Christi infantilis parvitas, gloriosae nuditati Adami Christi humiles fasciae.

98) Cf. Gn 3, 7. 99) Cf. ibid. 27, 15-16. 100) Cf. Ex 26, 14; 36, 19. 101) Lc 2, 7. 102) Zach 9, 9. Vulg.: *Veniet.* 103) Aphorismus Hippocratis, de quo cf. Galenus *De Sanitate Tuenda*, lib. 1, cp. 7, f. 65a; lib. 5, cp. 1, f. 93a; cp. 12, f. 94b; S. Gregorius M. *In Evang.*, hom. 32, (P. L. 76, 1232). 104) Phil 2, 7. 105) Cf. Gn 3, 4-6. 106) Cf. 4 Rg 20, 9-11; Is 38, 8. 107) Cf. Ps 8, 6. 108) Cf. Hebr 2, 7-9. 109) Phil 2, 7.

VIII. Sed cur, quaeso, Christus tali loco, tali tempore, tali modo talique forma nasci voluit? Voluit Christus concipi in Galilaea, sed nasci in Iudaea, concipi in Nazareth, sed nasci in Bethlehem, concipi in domo Ioseph, sed nasci in stabulo, concipi in utero Virginis, nasci atque reponi in praesepio. Galilaea, ubi Christus secure conversabatur [110] et ubi cum honore susceptus fuit, [111] designat coelum, qui locus est gloriae Christi, et Galilaea circulatio interpretatur; Iudaea vero, ubi persecutionem patiebatur Christus et interfici quaerebatur, [111*] imo ubi passus et mortuus fuit, mundum istum designat qui totus plenus erat inimicis Dei; siquidem per peccatum Adae inimici Dei constituti sumus. Noluit ergo Christus nasci in coelo sed in terra, non in paradiso sed in mundo, non in loco gloriae sed in loco humilitatis, non inter Angelos sed inter homines, non inter amicos sed inter inimicos, a quibus crucifigendus et occidendus erat, quia ad hoc veniebat in mundum, ut suis poenis et morte largiretur nobis vitam et gloriam sempiternam.

**Concipi voluit in Galilaea, nasci in Iudaea,**

Nasci voluit non in Nazareth, ubi fuit conceptus, sed in Bethlehem, civitate David, non illa quidem gloriosa, in Ierusalem, in qua gloriose regnavit, [112] sed in Bethlehem, in qua humiliter natus humillimi pastoris vitam egit, quia veniebat non ut rex noster in mundo hoc esset sicut David et Salomon, gloriose enim regnaturus erat in coelo, sed ut esset hic humilis pastor, imo panis noster; hinc nascitur in Bethlehem, quae domus panis interpretatur: *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* [113]

**in Bethlehem,**

Nasci voluit [114] non in domo propria, sed in alieno loco, quia non veniebat ad habitandum, sed ad peregrinandum in mundo habitaturus in aeternum in paradiso; sic enim Deus in deserto tentorium habuit mobile, quod peregrinorum erat, sed in Ierusalem templum ac domum stabilem, quia ibi tanquam civis ac dominus habitabat Deus: Cuius *ignis . . . in Sion et caminus . . . in Ierusalem,* [115] idest habitator et civis. Nasci voluit in stabulo, in loco animalium, ut ostenderet quod mundus iste ob peccatum nonnisi stabulum quoddam erat: *Homo,*

**non in domo propria, sed in alieno loco et in stabulo,**

110) Cf. Io 7, 1. 111) Cf. ibid. 4, 45. 111*) Cf. ibid. 11, 53 sqq. 112) Cf. 3 Rg 2, 11. 113) Io 6, 51-52. 114) Ms.: *Voluit* bis ponitur. 115) Is 31, 9.

*cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis,* [116] et ad ostendendum quod etiam Iudaea, in qua notus erat Deus et magnum nomen eius in Israel, [117] ipsa quoque stabulum facta erat: *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui, Israel autem me non cognovit... populus meus non intellexit.* [118]

**et collocari in praesepio, ubi foenum ponitur in cibum animalium.**

Collocatur in praesepio, ubi palea foenumque ponitur in cibum animalium, quia nascebatur ut hominum cibus esset vitam eis perpetuam conferens, cibus bovi animali mundo, qui digne Deo in sacrificium offerri poterat, et cibus etiam asino immundo animali, [119] super quem tamen sessurus Dominus erat in Ierusalem gloriose ingrediens; [120] cibus iudaici populi et cibus gentilis. Sic enim praedictum erat ab I s a i a, qui cum vaticinatus fuisset de Christi nativitate: *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet et requiescet super eum Spiritus Domini,* etc., [121] subintulit: *Habitabit lupus cum agno... et leo quasi bos comedet paleas;* [122] alibi quoque: *Lupus et agnus pascentur simul* et *leo et bos comedent paleas,* [123] designans concordiam in unitatem fidei duorum populorum. Hebraice autem palea dicitur תֶּבֶן, [124] quarum prima quidem est finalis et ultima littera alphabeti hebraici, littera illa qua signatos in frontibus legimus omnes electos Dei, E z e c h i e l e 9 [125] et A p o c a l y p s i 7; [126] quare crucem mortemque Christi designat, sanguine enim agni signatae fuerunt domus Hebraeorum in Aegypto, ut non percuterentur ab Angelo sicut Aegyptii; [127] reliquae vero duae litterae significant filium, nam בֵּן [128] Hebraeis f i l i u s dicitur: *Filius datus est nobis.* Filius ergo iste Dei natus mortalis atque passibilis palea est, horum animalium cibus, hinc hodie in praesepio ponitur: *Et reclinavit eum in praesepio.*

**Omnia autem haec ineffabilia mysteria continent.**

Bone Deus, quidnam est hoc quod hodie videmus? Christus Filius Dei collocatur in praesepio: hic ne locus, hic lectus, haec cuna summi regis filio debetur? In mundo hoc alia est habitatio pauperis et alia divitis, alia nobilis patritii et alia principis ac regis, unicuique

116) Ps 48, 13. 21. 117) Cf. Ps 75, 2. 118) Is 1, 3. 119) Cf. Lv 11, 2-4. 120) Cf. Mt 21, 1-11; Mc 11, 1-10; Lc 19, 29-38; Io 12, 12-18. 121) 11, 1-2. 122) Ibid. vrr. 6-7. 123) Ibid. 65, 25. 124) Ms.: חבן, *leben.* 125) Cf. vrr. 4. 9. 126) Cf. vr. 3. 127) Cf. Ex 12, 21-31. 128) Ms.: בן, *ben.*

enim pro sua dignitate tribuitur locus. Vilis petra manet in pulvere ac luto terrae, sed lapis pretiosus ligatur in auro, ferrum vetus ac aeruginatum tenetur in angulo domus vilissimo, sed aurum reconditur in thesauro. Sic Deus hominem posuit in paradiso,[129] solem et lunam in firmamento[130] et nobiliorem solem nobiliori ac altiori loco, Angelos posuit in empyreo ac supercoelesti paradiso: et Christus collocatur in praesepio?

IX. Bone Deus, bone Deus, tam vili pendendus est Christus? tam parvi faciendus? Sed profecto sicut sol ubicunque sit, sive in oriente sive in occidente, sive versus aquilonem sive versus meridiem, sive super terram uti in die, sive sub terra uti in nocte, semper aequali luce ac gloria est circumdatus, et Deus, qui coelum et terram adimplet, non minus gloriosus est in terra quam in coelo, non minus beatus in inferno quam in paradiso, non minoris gloriae extra mundum vel ante mundum quam in mundo, sic Christi non minor est gloria in praesepio quam in paradiso, dum sedet ad dexteram Patris. Nulla enim externa gloria eget sicut nec sol externa luce; sed quia est gloria dives, dictus est שַׁדַּי,[131] quod est sufficiens, et sicut sol ubicunque ponatur magna lucis suae gloria locum illustrat, sic Christus, positus enim hodie in praesepio infinita illud gloria illustravit, vere enim paradisum effecit. Nam paradisus est ubi facie ad faciem videtur Deus; Christus autem in praesepio faciali Dei visione fruebatur.

Christi non minor est gloria in praesepio quam in coelo.

Imo maior fuit hodie gloria huius praesepis quam gloria totius paradisi; sicut enim solius solis lux maior est luminibus omnium astrorum, quare[131a] dies nocte clarior est, sic solius Christi gloria maior est omni Angelorum omnium gloria. Paradisus plenus erat gloria Angelorum, sed praesepe gloria Christi, hinc omnes Angeli hodie relinquunt paradisum et ad praesepe descendunt desiderantes faciem Christi videre: *In quem desiderant Angeli prospicere,*[132] eumque in sacrosancto hoc praesepio adorare: *Adorent eum omnes Angeli Dei.*[133] Praesepe enim istud multo maiori gloria fulgebat hodie coelesti pa-

Imo maior fuit gloria praesepis quam totius coeli.

129) Cf. Gn 2, 8. 130) Cf ibid. 1, 16-18. 131) Ms.: שדי. 131a) Ms.: *Quo.*
132) 1 Petr 1, 12. 133) Ps 96, 7; Hebr 1, 6.

Christus enim in praesepio ipsemet verus Deus est qui glorificatur ab Angelis.

radiso, quam sit coelum terra nobilius, sol astrum luna splendidius, aurum argento pretiosius; fuit enim totius divinitatis plenitudine glorificatum ac inaccessibili deitatis luce illustratum; hinc *facta est cum Angelo multitudo coelestis exercitus laudantium Deum et dicentium : Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* [134] Laudantes Christum laudare Deum dicuntur, quoniam infans iste in praesepio verus Deus est, Dominus Angelorum. Sanctificavit sua praesentia Deus locum [in] quo Moysi apparuit, unde ait: *Locus ... in quo stas, terra sancta est; solve calceamenta de pedibus tuis;* [135] similiter *princeps exercitus Domini* apparens Iosue dixit: *Solve ... calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, sanctus est;* [136] et locus in quo reposita fuit arca foederis Domini, sanctus sanctorum dictus est. [137] Sed Christus est vera arca, Christus verus princeps exercitus Domini, Christus verus Deus qui Moysi visus fuit; unde si quis mente libera et a carnalibus cogitationibus soluta divina haec mysteria cernere posset, profecto cum Iacob exclamaret dicens: *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam ... Quam terribilis est ... locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.* [138] Vidit ibi Iacob Deum in humana forma innixum coelesti scalae; [139] sed modo ille idem Deus videtur non in coelo, sed in terra, in vili stabulo, in angusto praesepio, et tamen Dominus *vere ... est in loco isto*, non figuraliter, sed *vere* ac certe, *Dominus* יְהֹוָה, [140] verus Deus *in loco isto*, in sacrosancto isto praesepio, *et ego nesciebam*. Quis unquam id cogitasset? *Quam terribilis est ... locus iste*, ubi exercitus Angelorum summa cum claritate cernitur et Dominus Angelorum carne indutus factus homo! *Non est hic aliud nisi domus Dei*, sanctum Dei templum, in quo habitat et colitur Deus.

et in praesepio sacrificium gratissimum Deo offerre coepit.

O quale sacrificium et quale incensum sanctissima Christi anima Deo obtulit hodie in sacro isto praesepio! [In] illo enim nunquam manebat in otio, semper mente Deum contemplabatur atque colebat. Hodie igitur natus Christus, ubi primum coelum videre licuit pluribus sine numero Angelis quam stellis ornatum, qui Deum laudabant eo

134) Lc 2, 13-14. Vulg.: *Gloria in altissimis*, etc. Affert ex Liturgia Ecclesiae.
135) Ex 3, 5. Vulg.: *Solve calceamentum.* Ordine inverso affert has pericopas.
136) Ios 5, 16. Vulg.: *Solve calceamentum*, etc. 137) Cf. Ex 26, 34; 29, 37; Nm 4, 4; 3 Rg 6, 16; 7, 50. 138) Gn 28, 16-17. 139) Cf. ibid. vrr. 12-13. 140) Ms.: *Iehovah.*

quod natus Christus erat, apertis sacris illis luminibus fixisque in coelum, Deo Patri immensas gratias egit seipsumque tanquam immaculatum agnum obtulit ad patiendum pro salute humani generis. Quilibet autem actus virtutis Christi infiniti erat meriti atque valoris ob infinitam gratiam et caritatem Christi. Hic domus Dei est, in quo oblatum est Deo incensum suavissimi odoris et sacrificium acceptissimum Domino, *domus Dei et porta coeli*, porta paradisi: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur;* [141] *porta coeli:* porta domus principium est; praesepium istud primus fuit locus in mundo, in quo homo Deum vidit sicut in paradiso cernitur beatifice: ecce cuius rei, cuius coeli porta praesepium istud est.

Sic praesepe factum est hodie verum coelum gloriae et beatitudinis aeternae.

*Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis:* Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία: [142] *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus, beneplacitum, bona voluntas:* principium gloriae divinae, beatitudinis aeternae, pacis infinitae, bonae voluntatis ac beneplaciti Dei erga homines *in aeternum et ultra.* [143] Haec vera est beatitudo, in coelo fulgere gloria, frui aeterna pace et perpetuo beneplacito, bona voluntate, grato ac amoris et benevolentiae pleno Dei animo, qualis est amantissimi patris erga filios carissimos ac dilectissimos. Sic, sic *terribilis* ac summe admirabilis *est locus iste*, sacrum istud praesepe, factum hodie vera Dei arca, repositis in eo vase mannae, [144] tabulis divinae sapientiae [145] et virga virtutis divinae, [146] circa quod innumeri cernuntur hodie Angeli, imo exercitus Angelorum: *Facta est cum Angelo multitudo coelestis exercitus laudantium Deum.* Vere dignum fuit ut Angeli hodie Deum laudarent Deoque gratias agerent pro tali tantoque beneficio hodie mundo collato! *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [147]

X. Nec sine mysterio Christus tali tempore nasci voluit, profunda hieme et profunda nocte, tempore frigoris ac nuditatis omnium bo-

141) Io 10, 9. 142) Ms.: *Doxa en ipsistis theo che epi ghis irini en antropis eudochia.*
143) Ex 15, 18; Mich 4, 5. 144) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 145) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 146) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4.
147) Io 3, 16. Vulg.: *Qui credit in eum.*

Tempus etiam quo Christus nascitur mysterium innuit.

norum. Terra enim profunda hieme nuda est omnibus bonis, sterilis et sine fructu, urente frigore consumpta. Talis enim erat mundus in spiritu qualem Christus nativitatis hora reperit in carne, tenebris ignorantiae obvolutus: *Israel... me non cognovit... populus meus non intellexit,*[148] cum tamen vel a solo illo populo agnosceretur et coleretur Deus. Nec minus erat frigus privationis caritatis et abundantiae iniquitatis quam tenebrae ac defectus claritatis, nam ubi nulla cognitio Dei, ibi nulla caritas, ibi summa iniquitas. Nasci vero voluit tempore quo dies incipiunt crescere et clariores ac calidiores esse, quoniam Christus haec bona attulit mundo tanquam *sol iustitiae,*[149] claritatem divinae cognitionis et calorem divinae caritatis. Hinc Angelus pastoribus apparens, circumdatus divina claritate et gloria apparuit: *Et claritas Dei circumfulsit eos : claritas Dei,* inquit, idest maxima ac plane divinissima luceque solis multo splendidior.

Nasci voluit parvus, aetate infantili et occultus,

Nec tandem sine causa nasci voluit Christus tali forma talique modo: non magnus uti Adam in aetate virili atque perfecta, sed parvus, in aetate infantili: *Parvulus... natus est nobis;*[150] non in gloria divinitatis uti apparuit in transfiguratione,[151] sed in humilitate humanitatis: *Formam servi accipiens... et habitu inventus ut homo;*[152] non dives uti Salomon in palatio regali,[153] sed pauper et humilis ut David in parva domo pastorali;[154] non omnibus notus et manifestus ut sol, sed omnibus occultus absconditusque in nocturnis tenebris: *Posuit tenebras latibulum suum,*[155] sicut Moyses natus fuit absconditus et occulte servatus fuit.[156] Hoc autem totum propter nos factum est, ut fides maius haberet meritum et caritas maius haberet exemplum. Si enim Christus apparuisset mundo in gloria sicut apparuit in transfiguratione et ut apparebit omnibus in secundo adventu,[157] quis non credidisset ei? aut quale meritum habuisset fides nostra? Quis est qui non credat iis quae oculis videt et manibus tangit? Deus autem fidem requirit a nobis, hinc occultam voluit esse Christi nativitatem et quibusdam tantum pastoribus manifestam; sic etiam occulta fuit Christi resurrectio et ascensio in coelum; Christi etiam transfiguratio tribus tantum Apostolis nota

ut fides maius haberet meritum in credendo

148) Is 1, 3. 149) Mal 4, 2. 150) Is 9, 6. 151) Cf. Mt 17, 1-3; Mc 9, 1-2; Lc 9, 28-29. 152) Phil 2, 7. 153) Cf. 3 Rg 10, 23-25; 2 Par 9, 22-28. 154) Cf. 1 Rg 16, 11. 155) Ps 17, 12. 156) Cf. Ex 2, 1-3. 157) Cf. Mt 24, 30.

fuit. Hinc mysteria fidei in Divinis etiam Scripturis abdita sunt valdeque occulta, sic enim Moyses faciem suam velavit [158] et arca Domini intra velum loco secretissimo et invisibili posita fuit. [159]

Deinde vero, ut caritas maius haberet ad imitandum exemplum, nam etsi pro salute omnium natus est Christus, ut sicut in Adam omnes perierunt ita in Christo omnes salvarentur, [160] cum Deus velit omnes homines salvos fieri, [161] non tamen de facto omnes salvantur, sed tantum credentes in Christum et diligentes, fide et caritate praediti. Caritas autem et cupiditas, virtus et vitium, gratia et peccatum non possunt manere simul, sicut nec lux et tenebrae, calor et frigus, ignis et aqua; sic inquit: *Nemo potest duobus dominis servire... non potestis Deo servire et mammonae.* [162]

**et caritas maius exemplum ad imitandum.**

Omnia autem vitia malaque omnia oriuntur in nobis ab amore proprio, qui contrarius est amori divino. Haec est mala illa arbor quae facit fructus malos et non potest fructus bonos facere, sicut amor divinus arbor illa est bona quae facit fructus bonos et non potest fructus malos facere. [163] *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax*, etc.; [164] *sed manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia*, etc. [165] Sicut autem cum gratia Spiritus Sancti sunt semper tres virtutes: fides, spes, caritas, quae ab ipsa gratia veluti a radice ortum habent, sic a spiritu satanico, amore isto proprio, oriuntur tria vitia capitalia, ex quibus omnia alia, veluti a Noe tres filii, ex quibus omne hominum genus. [166] Sunt autem: *concupiscentia carnis*, nimius voluptatum sensualium et carnalium deliciarum amor; *concupiscentia oculorum*, nimius amor divitiarum, sacra illa auri fames, [167] *et superbia vitae*, [168] nimius amor honoris, gloriae temporalis ambitio, ignis consumens omnia et comburens speciosa deserti: [169] hinc omne malorum genus.

**Ex triplici concupiscentia oriuntur omnia vitia;**

Quoniam ergo nisi malae hae arbores radicitus evellantur atque extirpentur, plantari non possunt in animo arbores virtutum, nisi corruat vitiorum moles, non potest construi turris David respiciens contra Damascum et turris eburnea in monte Libani, [170] hinc Christus

**sed Christus hodie nascitur ut suo nos moveret exemplo**

158) Cf. Ex 34, 2 sqq. 159) Cf. Ibid. 26, 33; 40, 19. 160) Cf. 1 Cor 15, 21-22. 161) Cf. 1 Tim 2, 4; 2 Petr 3, 9. 162) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 163) Cf. Mt 7, 17-18. 164) Gal 5, 22. 165) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Manifesta sunt autem*, etc. 166) Cf. Gn 9, 1; 10, 1. 167) Ex Virg. *Aeneid.*, lib. 3, vr. 57. 168) 1 Io 2, 16. 169) Cf. Ioel 1, 19. 170) Cf. Ct 7, 4.

ad hanc malam arborem extirpandam.

ut suo nos exemplo efficaciter potenterque moveret ad temporalia haec vitiorum fomenta alto ex animo contemnenda et ex corde spernenda, nasci voluit et vivere in mundo pauperrimus sine ullis divitiis, humillimus sine ulla dignitate, et mille malis afflictissimus, longe ab omnibus carnis voluptatibus atque deliciis, ut factis potius quam verbis suoque exemplo nos doceat quid agendum. Quare sic natus hodie Christus consulit mundo ut vana haec parvi ac nihili pendat: *Parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis et factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis.*

Nascitur humilis, ut humilitatem nos doceat,

Attende, attende, quaeso: *Admirabilis consiliarius:* spreverat mundus consilia legis, spreverat consilia Prophetarum, spreverat exempla sanctorum tanquam humilia haec indignaque essent; hinc advenit iste *admirabilis consiliarius*, ut nisi homo Dei etiam sapientiam Deumque ipsum tanquam stulta et indigna agentem spernere vellet, divinis consiliis manu linguaque, non lingua tantum, ut operibus verbisque datis motus, mundana haec sperneret. Consulit tibi Christus hodie, o homo, ut mundanas vanitates pompasque omnemque fastum ac omnem vitae superbiam fugias; non enim in magno aliquo ac superbo palatio regiaque domo nasci voluit, sed in stabulo alieno; non in lecto mollissimo aut cuna regalibus ornamentis, auro gemmisque decorata, sed in vili praesepio collocari; non regalibus fasciis, sed vilibus pannis involvi. O humilitas Filii Dei infinita!

pauper, ut paupertatem commendet,

Consuluit tibi paupertatem extremam, cum natus sit nudus, non habens locum in diversorio,[171] collocatus in alieno praesepio, pauperibus pannis involutus, super modicum foeni aut paleae positus. Consuluit voluntariam patientiam ac velle pati; passus est enim hodie maximum frigus, natus profunda hieme, cum frigore omnia algent, natus profunda nocte, cum frigus est intensissimum, natus aperto loco, ubi omni ex parte boreae urentis ventisque ac flatibus frigidissimis patebat aditus, natus ubi nec caminus nec ignis erat ut vel calefactis pannis tenerrimum illud ac delicatissimum Filii Dei corpusculum foveretur. Et tamen iste est Filius Dei: *Deus, fortis, princeps pacis, pater aeternitatis*, qui tamen sic nasci voluit ut *admira-*

patiens, ut patientiam sectemur.

171) Cf. Lc 2, 7.

*bilis* esset *consiliarius;* et nos adhuc admirabilia haec divinaque consilia spernemus?

A Christo in praesepio discitur vanitas temporalium bonorum et pretiositas coelestium.

XI. Rebecca videns Isaac pedem ambulantem, descendit de camelo ut sponso obviam pergeret,[172] et nos videntes Christum in tanta humilitate ac paupertate, non descendemus de camelo mundanae superbiae et gloriae? Dum Christum hodie in praesepio collocatum contemplor, videre mihi videor Iacob ponentem virgas varias in canalibus, ut oves illas videntes parerent agnos varios ac diversicolores similes virgis; et sic utique accidit.[173] Christus autem virga est divinae virtutis: *Orietur stella ex Iacob et exurget virga ex Israel;*[174] *Egredietur virga de radice Iesse;*[175] *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum;*[176] *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt;*[177] virga Moysi et Aaron. Sed virga ista facta est diversorum colorum, albi et nigri: albedo habitus ac positio est sicut lux, nigredo vero privatio sicut tenebrae. In Christo nato summae divitiae bonorum spiritualium, coelestium ac divinorum, summa item paupertas bonorum corporalium, terrenorum, temporalium ac humanorum. Sic Angelus declarat virgae huius varietatem: *Annuncio vobis gaudium magnum quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David:* ecce divitiae coelestes; sed ecce paupertas: *Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.*[178] O summa varietas! Christus magnus et parvus, imo maximus et minimus, aeternus et temporalis, creator et creatura, Deus et homo, comprehensor et viator, beatus et miser, Dominus et servus, regnat in coelo et iacet in praesepio.[178a] Sed Summus Patriarcha, Deus, virgam hanc tali tantaque varietate circumamictam posuit hodie in praesepio, ut nos tanquam oves gregis ipsius, videntes hanc virgam similes conciperemus agnos ac pareremus, similes, inquam, cogitationes similesque actiones, ut cum Christo velimus esse divites et pauperes, magni et parvi, imo maximi et minimi, divites gratia, virtutibus coelestibusque bonis et pauperes

172) Cf. Gn 24, 64. 173) Cf. ibid. 30, 37 sqq. 174) Nm 24, 17. Vulg.: *Et consurget virga de Israel.* 175) Is 11, 1. 176) Ps 109, 2. 177) Ps 22, 4.
178) Lc 2, 10-12. Vulg.: *Evangelizo vobis,* etc. 178a) Cf. Breviarium Rom., *Dominica infra Octavam Nativitatis,* respons. 8 ad Mat.

terrenis ac temporalibus bonis, parvi in terra, magni in coelo, minimi in oculis nostris, maximi in oculis Dei.

Felices qui hoc exemplum imitati fuerint.

O nos felices hodie si sic divinam hanc virgam intueamur, si sic cum Cherubim oculos in divinum hoc propitiatorium figamus! Sed nos sumus non sicut cherubim quos fecit Moyses ex purissimo auro, qui divinum intuebantur propitiatorium,[179] sumus sicut cherubim quos fecit Salomon, qui foris quidem erant ex auro, intus autem ex ligno, nec intus divinum propitiatorium aspiciebant, sed foris habentes facies versas ad exteriorem domum.[180] Qui etsi activos homines designant, sicut illi Moysi contemplativos, designant etiam fideles qui externis tantum rebus operam dant non internis, mundanis non divinis. Sed *inspice, inspice,* homo, *et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est;*[181] accipe consilia quae tibi dat hodie Christus, nam ipse est optimus Achitophel,[182] cuius consilia sunt vere optima vereque divina.

Erubescat mollities nostra Christum cernens pauperem et humilem in praesepio.

XII. Rex David rubore suffusus fuit quod ipse, qui vilis fuerat pastor, habitabat in domo cedrina et arca Domini maneret sub pellibus in vili tentorio;[183] et Urias missus a David in domum suam ut fessus a labore itineris et belli incommodis requiesceret ac dormiret cum uxore sua, respondit: *Arca Dei ... Israel et Iuda habitant in papilionibus et dominus meus Ioab et servi domini mei super faciem terrae manent, et ego ingrediar domum meam ut comedam et bibam et dormiam cum uxore mea?*[184] et nos videntes Christum tam pauperem humilemque, in stabulo natum ac in praesepio collocatum non rubore suffundimur, non confundimur viventes in deliciis?

hoc enim extitit Dei consilium, dum veniet ipse personaliter in mundum, ut suo nos moveret exemplo.

Cum populus Dei transiturus esset Iordanem ut in terram promissionis ingrederetur, fecit magnus Iosue ut per castra transirent praecones clamantes ut omnes arcam foederis Domini sequerentur praecedentem populumque anteeuntem[185] per spatium duorum millium cubitorum.[186] Christus est arca Dei viventis, hanc nos sequi oportet si ingredi volumus terram promissionis. Cum Rebecca vidit Isaac pedes in campo ambulantem, descendit a camelo, et nos exemplum

179) Cf. Ex 37, 7-9. 180) Cf. 2 Par 3, 10-13. 181) Ex 25, 40. 182) Cf. 2 Rg 16, 23. 183) Cf. ibid. 7, 2. 184) Ibid. 11, 11. 185) Ms.: *Anteintem.* 186) Cf. Ios 2, 4.

humilitatis Christi nihil movebit? Cum David rex in persecutione Absalom egressus fuisset a Ierusalem, ibat non solum pedes, sed nudis pedibus et operto capite, omnis populus, omnis exercitus, omnes duces sic eum sequebantur;[187] indignum enim est ut si rex pedes incedat, comites equitent phaleratos equos. Cur igitur, fratres, non movet nos hodie summi regis exemplum? Gedeon, magnus dux populi Dei, pugnaturus contra Madianitas dixit electis militibus, cum quibus perrecturus erat ad pugnam: *Quod me facere videritis, hoc facite... et quod fecero sectamini;* [188] sic etiam Abimelech filius ipsius pugnaturus contra Sichimitas dixit militibus suis: *Quod me vidistis facere, cito facite.* [189] Movet enim magnopere principis exemplum, hinc ait ille:

«Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus». [190]

Hoc igitur extitit Dei consilium: venit ipse personaliter in hunc mundum ut nos suo moveret exemplo.

XIII. *Ecce... evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus,* etc. [191] Merito angelica lingua, nec qualiscunque Angelus, sed princeps Angelorum nunciat Christi nativitatem, quia omnis humana lingua impar est ad tale tantumque mysterium explicandum. Utinam et nos angelica mente et lingua praediti essemus!

**Angelus gaudium hodie evangelizat;**

Nunc autem Angeli verba nobis explicanda sunt: *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Isaias declarat hoc gaudium: *Primo tempore alleviata est,* levis et vilis reputata est *terra Zabulon et terra Nephthali... via maris trans Iordanem Galilaeae Gentium, et novissimo aggravata est,* [192] glorificata est; כָּבוֹד [193] enim hebraice gravitatem et gloriam significat; honor autem causa laetitiae est, hinc Ezechias laetatus fuit ob honorem sibi exhibitum a rege Baby-

**et quidem gaudendum est ob tantum honorem homini factum,**

187) Cf. 2 Rg 15, 30. 188) Idc 7, 17. 189) Ibid. 9, 48. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Quod me videtis facere.* 190) Claudianus *De Quarto Consulatu Honorii Augusti,* vrr. 299-302. 191) Lc 2, 10-11. 192) 9, 11. Invertit ordinem verborum huius vr. 193) Ms.: *Cabod.*

lonis.[194] Maximus autem est honor quod homo factus est Deus et Dominus omnium Angelorum; hinc Angelus ait: *Qui est Christus Dominus.*

ob liberationem generis humani a dura servitute,

Alia causa laetitiae est: *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis;*[195] ortus est nobis *Sol iustitiae* et *sanitas in pennis eius;*[196] *Visitavit nos oriens ex alto; illuminare iis qui in tenebris et... umbra mortis sedent;*[197] *Iudaeis... nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium,*[198] cum liberati fuerunt a mortali persecutione impii Aman.[199] Laetatur quis et gaudet dum liberatur a magna tribulatione et transire videtur a tenebris in lucem: *Laetabuntur coram te sicut qui laetantur in messe et sicut exultant victores... quando dividunt spolia. Iugum enim oneris eius et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian.*[200] Gaudendum, inquit, est et exultandum maxima exultatione, laetitia et iubilo, sicut laetatur qui post multos labores copiosissimam messem habuit largissimaque usura centuplum a terra recepit nullumque amplius periculum timet, et sicut laetatur populus ob partam victoriam de inimicis, quando ob talem victoriam liberantur a servitute dura, ditantur bonis inimicorum et eos minimo negotio profundunt. Talis enim fuit victoria Gedeonis contra Madianitas, minimo enim negotio et absque ullo incommodo suorum fudit exercitum copiosissimum et potentissimum;[201] talis autem victoria maximam victoribus afferre solet laetitiam.

et ob partam victoriam contra diabolum.

Vere magnum gaudium mundo attulit nativitas Christi.

Signa autem laetitiae ob habitam victoriam explicat Isaias dicens: *Quia omnis violenta praedatio cum tumultu et vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem et cibus ignis,*[202] hebraice: *Quia omnis sonitus cum tumultu,* sive *commotione;* sic fiunt signa laetitiae cum multo sonitu tubarum, campanarum et bombardarum aliorumque tormentorum bellicorum milleque accenduntur ubique ignes. Sed cur tanta laetitia? Quia *parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur,* etc.[203] Hic est *lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis... Israel;*[204] hic frumentum est purum et panis qui dat vitam aeternam.[205]

194) Cf. 4 Rg 20, 12-13; Is 39, 1-2. 195) Is 9, 2. 196) Mal 4, 2. 197) Lc 1, 78-79. Vulg.: *Illuminare his,* etc. 198) Est 8, 16. 199) Cf. ibid. 7, 1-8, 1-8. 200) Is 9, 3-4. 201) Cf. Idc 7, 1 sqq. 202) 9, 5. 203) Ibid. vr. 6. 204) Lc 2, 32. 205) Cf. Io 6, 48-52.

Hanc messem seminaverunt Patriarchae et Prophetae coluerunt, sed nos messuimus. Hic est [206] tanquam alter Gedeon, panis subcinericius, hordeaceus, subvertens castra et tabernacula Madian: *Voca nomen eius: accelera, spolia detrahe, festina praedari.* [207] Venit arca Dei in castra et exterriti sunt Philisthaei. [208] Laetandum vehementer est, quoniam parvulus iste, qui natus est, Filius est unigenitus Dei, princeps regum, miraculum supra omne miraculum, virtus et sapientia Dei, [209] auctor naturae, fons gratiae et pater gloriae, princeps et sol paradisi, largitor vitae et gloriae sempiternae in coelesti regno.

**Tria specialia argumenta laetitiae Angelus affert: *Quia natus est***

XIV. Angelus tamen tria videtur afferre argumenta laetitiae: *Quia natus est vobis... Salvator. Quia natus est.* In nativitate principum quis ignorat qualia quantaque festa et gaudia fiunt? *Natus est*, non nascetur, servata sunt divina promissa: *Ecce virgo concipiet*, etc.; [210] *Egredictur virga*, etc.; [211] *Deus ipse veniet*, etc.; [212] *Dominus dabit benignitatem et terra nostra dabit fructum suum.* [213] Nunc autem non amplius loquitur in futuro, sed in praeterito: *Natus est: Cantate Domino canticum novum; quia mirabilia fecit... Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam. Recordatus est misericordiae suae et veritatis suae domui Israel. Viderunt omnes fines terrae salutare Dei nostri.* Ideo *iubilate Deo omnis terra, cantate et exultate et psallite,* [214] *quia natus est* qui tanquam alter Noe *consolabitur nos ab operibus* nostris *et labore manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus;* [215] *natus est*, ortus est *Sol iustitiae.*

***vobis***

*Natus est* autem *vobis* hominibus non Angelis, *vobis* non aliis creaturis, *vobis* non sibi: *Exulta valde, filia Sion, iubila, filia Ierusalem, ecce rex tuus venit tibi:* [216] non sibi venit, sed *tibi*, ad utilitatem tuam, tui causa, propter te, amore tui ductus. Sol oritur non sibi, sed nobis. Sic *natus est vobis.*

***Salvator.***

Tandem *Salvator.* Non inquit: iudex, Dominus, rex, imperator, pontifex, sed *Salvator*, alter Ioseph, alter Moyses, alter Iosue, alter Gedeon, alter Samson, alter David. *Natus est vobis... Salvator, qui est*

206) Ms.: *Qui adicitur.* 207) Is 8, 3. Vulg.: *Detrahere.* 208) Cf. 1 Rg 5, 11. 209) Cf. 1 Cor 1, 24. 210) Is 7, 14. 211) Ibid. 11, 1. 212) Ibid. 35, 4. 213) Ps 84, 13. 214) Ps 97, 1-4. Vulg.: *In conspectu... omnes termini terrae.* 215) Gn 5, 29. Vulg.: *Et laboribus*, etc. 216) Zach 9, 9. Vulg.: *Exulta satis... veniet tibi.*

*Christus*, summus rex, sacerdos et propheta, *Dominus*, quia omnia potest. *Salvator: Sic... Deus dilexit mundum*, etc.; *Non enim misit Deus Filium suum... ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*[217] *Salvator* simpliciter et absolute. O *Salvator!* Vidisse oporteret paradisum universum et infernum ad intelligendum quid significet vox ista: *Salvator.*

Specialiter a quinque malis Christus salvat.

Specialiter autem a quinque malis salvat, quae I s a i a s adducit pro causis laetitiae. Liberat ab ignominia: vilis fuit terra, sed glorificata; liberat a morte culpae: sedentibus in umbra mortis *lux orta est*, umbra autem mortis dicitur umbra qua morientium oculi solent occupari; dat lumen vitae supernaturalis et divinae; liberat a penuria et indigentia victus, ne homo fame pereat, hinc dicitur *messis;* liberat ab hostibus nos trucidare cupientibus: haec est parta victoria cum milites *dividunt spolia;* liberat tandem a durissima captivitate: *Iugum enim oneris eius et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius contrivisti*, hoc est iugum Pharaonis regis Aegypti[218] et captivitas Babylonis.[219]

Christi humilitas vera gloria et exaltatio est,

Sed dicetis: Quaenam gloria et exaltatio est in infante nato in stabulo et posito in praesepio? Adoratur ab Angelis tanquam Dominus et rex a servis. Quae lux, si natus est in tenebris noctis? *Claritas Dei circumfulsit* pastores, sol lucidissimus ortus est eis in media nocte. Quomodo messis est, si nunc natum est granum frumenti et granum sinapis? Quoniam Christus granum est mannae, manna autem granum erat et panis factus:[220] *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi;*[221] panis Christus unus est qui sufficit mille hominibus et quo magis quis comedit ex eo, eo magis crescit, sicut panis ille quo Christus turbam famelicam saturavit.[222] Ubi est victoria, si Christus nondum cum hoste congressus est? Sed Christus ante certamen triumphavit in die palmarum, quoniam certissimus de victoria erat, sicut quod sol oriens noctis tenebras sit fugaturus; Christus autem sol est et daemones tenebrae; sic certissime confracturus erat iugum Pharaonis et regis Babylonis. Quod autem de proximo faciendum

quia futuros triumphos praesens debilitas certissime portendit.

217) Io 3, 16-17. 218) Cf. Ex 1, 8-14. 219) Cf. 2 Par 36, 17-21.
220) Cf. Ex 16, 31; Nm 11, 7-8. 221) Io 6, 41. 222) Cf. Mt 14, 17-21; 15, 34-38; Mc 6, 41-44; 8, 6-9; Lc 9, 16-17; Io 6, 11-13.

est, habendum est pro facto, hinc oriente aurora dicimus factum diem; Christus autem aurora est quam angelus tenebrarum timet.

Hodiernum gaudium cecinit Regius Vates

XV. Annuncio *vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus,* etc. Regius Vates, quasi praesens cum sacris hisce pastoribus angelicam hanc vocem audierit, *Psalmo 117* de ea sic testatur: *Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum.*[223] *Vox exultationis:* Annuncio *gaudium magnum, et salutis: Quia natus est vobis ... Salvator.* Hinc postea ait: *Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea,* Christumque natum cum pastoribus adorans ait: *O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini; Deus Dominus et illuxit nobis.*[224] Sed, quaeso, Vates sancte, quid est quod Angelus ait: *Hoc vobis signum* quod natus sit Salvator Christus Dominus: *Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio?* Quodnam hoc signum est? Praesepium, viles panni et infantilis aetas signa sunt divinae maiestatis et goriae? Humilitas et paupertas non sunt signa regiae maiestatis et potentiae, sed vilis servitutis. Sed ne vos, inquit, moveat infantis huius infirmitas et humilitas – nam quod Deus sit, hoc signum est quod Angelus paradisi natalem eius nunciat et cum eo multitudo coelestis exercitus gloriam canit; quod autem natus sit homo, *invenietis infantem;* sed quod *Salvator* sit, invenietis eum *pannis involutum et positum in praesepio,* in maxima humilitate et paupertate, nam hisce armis pugnaturus est contra diabolum et salvaturus populum Dei de manu Pharaonis educturusque illum est de Aegypto in terram promissionis, – non moveat vos humilitas et paupertas, quoniam haec sunt arma dexterae Domini: *Dextera Domini fecit virtutem,* sive *dextera Domini faciens virtutem, dextera Domini exaltans. Dextera Domini faciens virtutem,* ita quod *non moriar, sed vivam et narrabo opera Domini;* haec est salus: vita aeterna. Quod si in hac vita *castigando castigabit me,* sive *erudiendo erudiet me* disciplina temporalium pressurarum, morti tamen non tradet me; neque enim salutem gloriae tantum affert haec dextera Domini, sed etiam gratiae et virtutis: *Aperite mihi portas*

fatidice designans Christum paupertate et humilitate mundum salvaturum.

223) Vr. 15. 224) Ibid. vrr. 24-27.

*iustitiae* et *ingressus in eas confitebor Domino; haec porta Domini, iusti intrabunt in eam;*[225] *Ego sum ostium: per me si quis introierit salvabitur, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.*[226]

Paupertas et humilitas Christi ipsum Deum esse ostendunt.

Natus est Salvator iste in carne infirma ad ostendendum quod ad salvandum mundum non eget potentia creata, quoniam *dextera Domini faciens virtutem*, faciens praeclara et mirabilia; natus est in humilitate ad ostendendum quod non eget gloria mundana, nam *dextera Domini exaltat, gratiam et gloriam dabit Dominus,*[227] sicut sol lucem; natus est pauper ut ostendat quod non eget terrenis thesauris: *Dextera Domini* iterum *faciens virtutem*, parans divitias. Praeterea natus est in infirmitate, humilitate et paupertate, quia haec sunt arma potentia contra diabolum et antidota contra venenum antiqui serpentis, quod est peccatum. Tertio, quia natus est *in ruinam et in resurrectionem multorum,*[228] hinc ait: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris:*[229] hoc signum est divinae potentiae, divinae sapientiae, divinae bonitatis, divinae iustitiae, divinae misericordiae et divinae caritatis. Potentiae quidem divinae, quoniam sol divinae iustitiae, qui *lucem habitat inaccessibilem,*[230] nube humanitatis opertus est. Quis posset parva nubecula solem tegere, ita ut nullum lucis suae splendorem emitteret? Sol facile potest lunam sibi similem efficere, sed non potest ipse similis lunae eclipsatae fieri; rex facile facit servos suos sibi similes principes constituendo, at quis posset facere ut rex fieret humillimo servo similis, abiectus, pauper, despectus? Quis posset pugillo coelum includere universum? Deus tamen, in corpusculo huius infantis inclusit omnem plenitudinem divinitatis quam nec coelum, nec coeli coelorum capere possunt.[231] Infinitae potentiae opus est, quia homo factus est Deo aequalis et Deus homini similis, homo Deo aequalis in potentia, sapientia, bonitate, gloria et maiestate, et Deus homini similis in infirmitate, humilitate, paupertate et mortalitate.

XVI. *Hoc vobis signum*, signum etiam sapientiae: *O altitudo divi-*

225) Ibid. (hebr. 118), 16-19. 226) Io 10, 9. 227) Ps 83, 12. 228) Lc 2, 34.
229) Ps 117, 22-23. 230) 1 Tim 6, 16. Vulg.: *Lucem inhabitat inaccessibilem.*
231) Cf. 3 Rg 8, 27.

*tiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* [232] Est Christus *admirabilis consiliarius:* ostendit facto Christus quod nihili facienda sunt temporalia bona, divitiae, honores, voluptates mundi huius. Praeterea elucet hic Christi sapientia, quoniam elegit arma convenientissima contra diabolum et remedia efficacissima contra peccatum; quia etiam elegit mortalitatem carnis pro vita aeterna omnium animarum, passibilitatem corporis pro felicitate aeterna tum animarum tum corporum, humilitatem temporalem in terra pro gloria sempiterna in coelo; et hac arte sapientissima Christus et militari stratagemate diabolum principem huius mundi fefellit ac vicit. *Hoc... signum* bonitatis, quia *parvulus... natus est nobis,* sed *filius datus est nobis,* thesaurus omnium bonorum naturae, gratiae et gloriae; iustitiae, quia statim pro peccatis mundi pati incipit in poenam peccati hominis; misericordiae, quia patitur ad salvandum nos, ad dandam nobis gratiam et gloriam, ad sublevandum nos a miseria infinita peccati et mortis aeternae; tandem signum caritatis, quia *sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [233]

**In nativitate Christi elucet Dei sapientia,**

**bonitas, iustitia, misericordia et caritas.**

Sic *natus est vobis hodie Salvator, Salvator* simpliciter et absolute, quia salvare potest et vult, non ab hoc tantum aut illo malo, sed ab omni malo, omne collaturus bonum, ut restituat humanam naturam in statum multo feliciorem eo unde per peccatum Adae decidit; nam hominem Christus reducit non ad terrestrem, sed ad coelestem paradisum, cuius gloria tanto est maior terrestri quanto coelum maius est terra et sol luna splendidior.

**Sic vere natus est Salvator.**

Annuncio *vobis gaudium magnum,* etc. De Christi nativitate legimus in *Psalmo: Nunquid Sion dicet: homo,* etc., hebraice legitur: *Sioni dicetur: homo, et homo natus est in ea, et ipse qui fundavit eam Altissimus? Dominus narrabit in describendo populos: iste natus est ibi; principes sicut choracules,* sive *chorum facientes, omnes fontes mei in te.* [234] Hoc est: quis nunciare poterit Sioni, Ecclesiae, quod in ea natus est Deus factus homo? *Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* [235] Hinc ait: *Dominus*

**In Christo fontes sunt omnium bonorum.**

232) Rom 11, 33. 233) Io 3, 16. 234) Ps 86 (hebr. 87), 5 sqq. 235) Is 53, 1.

*narrabit:* propterea Angelus de coelo hodie annunciat Christi nativitatem, *in describendo populos:* Cum *describeretur universus orbis.*[236] Hoc est autem quod narrat: *Iste natus est ibi: Natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus.* Sed quid est: *Principes sicut chorum facientes?* Hoc est: *Facta est cum Angelo multitudo coelestis exercitus laudantium Deum et dicentium: Gloria in altissimis Deo,* etc.:[237] ecce principes coeli faciunt chorum. Sed unde tanti causa gaudii? Quia *omnes fontes mei in te:* in hoc puero nato, quoniam *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,*[238] sunt fontes omnium bonorum naturalium et supernaturalium, naturae, gratiae et gloriae; Christus enim non solum thesaurus, sed fons est omnium bonorum.

**Virgo Mater Christum natum reclinavit in praesepio cognoscens talem esse illius voluntatem.**

XVII. *Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* Cur, quaeso, Virgo Sanctissima Salvatorem Christum Dominum reclinavit in praesepio? Cur non in suo sanctissimo sinu eum tenuit vel in brachiis? Quis locus poterat esse convenientior et aptior tenerrimo corpusculo mox nati infantuli quam sinus, brachia, pectus Sanctissimae Virginis? Sed forte cognovit Virgo Sanctissima eam esse nati filii voluntatem. Infantes enim gestu ipso corporis ostendunt se locum aliquem appetere; sic forte Virgo, Spiritu Sancto dictante, cognovit esse voluntatem Christi ut in praesepio collocaretur. Nihil enim absque magno mysterio gestum est et procul dubio Christus in praesepio positus fuit quoniam ipse sic voluit.

**Multis de causis Christus reclinari in praesepio voluit.**

Voluit autem in praesepio reclinari primo quidem, quoniam praesepium sepulturae similitudinem habet; ob id Christus nasci voluit passibilis et mortalis: ostendit quod veniebat ad moriendum pro salute mundi, et forte in praesepio lignum erat quod Christo crucem repraesentabat. Natus est Christus maximo cum desiderio patiendi et moriendi pro salute mundi, ideo ponitur in praesepio quia *Salvator*, praesepium enim ostendit modum quo mundum salvaturus erat. Praeterea humillimo et pauperrimo loco voluit collocari. Quattuor sunt quae homines solent in mundo hoc desiderare: vitam, voluptates, divitias et honores. Christus autem non ita, sed his opposita; ideo praesepium elegit, quod habet sepulturae similitudinem,

236) Lc 2, 1. 237) Ibid. vrr. 13-14. Vulg.: *Multitudo militiae coelestis*, etc.
238) Col 2, 9.

elegit ibi duritiem et asperitatem palearum quae tenerum corpusculum pungebant, elegit humilitatem et paupertatem. Praeterea in praesepio voluit collocari, ubi ponitur pabulum iumentorum, ut ostenderet quod ipse cibus et panis factus est hominum, qui ob peccatum facti sunt similes iumentis,[239] ut Nabuchodonosor.[240]

**Tria dicunt pastores, in quibus elucent Dei humiliatio, hominis exaltatio et virtutum Christi imitatio.**

XVIII. *Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus et ostendit nobis. Et venerunt*, etc.[241] Tria dicunt pastores ab Angelo admoniti de Christi nativitate: *Videamus... verbum quod factum est, quod fecit Dominus et ostendit nobis*. In eo autem quod dicunt: *Verbum factum*, elucet Dei humiliatio, nam: *Verbum caro factum est*,[242] Verbum per quod facta sunt omnia:[243] *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum;*[244] Verbum Deo coaeternum, coaequale et consubstantiale. In eo autem quod dicunt: *Quod fecit Dominus*, elucet hominis exaltatio. Humiliatus est Deus et exaltatus est homo; Deus factus est homo et homo factus est Deus. Quod autem dicunt: *Et ostendit nobis*, elucet imitandum exemplum, nam Christus est sicut virga diversicolor quam Iacob ante oves ponebat ut agnos parerent diversicolores.[245] Tria igitur nobis hic sunt consideranda: Dei perfecta abiectio: *Verbum quod factum est*, hominis perfecta exaltatio: *Quod fecit Dominus*, et tandem virtutum Christi perfecta imitatio: *Et ostendit nobis*.

**Verbum Dei aeternum, increatum et invisibile**

*Videamus hoc Verbum quod factum est*. Sed dicite, o pastores, quomodo factum est Verbum Domini? *Verbo Domini coeli firmati sunt, facti sunt;*[246] *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est*.[247] Quomodo ipsum quoque factum est? Quod est aeternum, non est factum, nam fit quod non est; quod factum est, aliquando non fuit; Verbum autem aeternum est: *In principio erat Verbum; Verbum autem Domini... manet in aeternum*.[248] Quomodo ergo factum est? Deinde, quod factum est, creatum est; increatum ergo non potest esse factum; Verbum autem increatum est, quia *Deus erat Verbum*. Quomodo ergo factum est? Et quomodo videre vultis? Quod simpliciter invisibile est, quod corpus non habet,

239) Cf. Ps 48, 13. 21. 240) Cf. Dn 4, 30. 241) Lc 2, 15-16. Vulg.: *Quod fecit Dominus et ostendit* lect. cod. 242) Io 1, 14. 243) Cf. ibid. vr. 3. 244) Ibid. vr. 1. 245) Cf. Gn 30, 37 sqq. 246) Ps 32, 6. 247) Io 1, 3. 248) Is 40, 8.

factum est homo visibilis et pauper,

videri non potest; spiritus autem corpus non habet; et Deus spiritus est, hinc *Deum nemo vidit unquam,*[249] *sed nec videre potest;*[250] *Faciem meam videre non poteris.*[251] Sed inquiunt: *Videamus... verbum quod factum est, Verbum* quod *caro factum est.* Fit quod non est, fit album quod non est album, fit calidum quod [non] est calidum, fit dulce quod non est dulce. Non erat Deus homo, factus est homo; non erat Verbum caro, factum est caro. In Deo erat omne bonum et nullum malum: *Ego ostendam tibi omne bonum.*[252] In Deo non erat paupertas, quoniam ditissimus est: *Domini est terra et plenitudo eius;*[253] *Tui sunt coeli et tua est terra, orbem terrarum et plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem et mare tu creasti;*[254] in Deo nulla poena, quoniam

abiectus, passibilis et mortalis.

beatissimus est et fons beatitudinis sicut sol luminis: *Beatus et solus potens* Deus;[255] in Deo nulla humilitas et abiectio, nam: *Soli Deo honor et gloria;*[256] in Deo nulla causa nullumque mortis periculum: *Regi saeculorum immortali;*[257] *Qui solus habet immortalitatem.*[258] Verbum autem istud Deus erat; factum est ergo et factum est quod non erat. Quid factum est? *Verbum caro factum est.* Caro autem suapte natura passibilis et mortalis est, subiecta mille passionibus, fami, siti, calori, frigori et aliis mille ac tandem morti. Factum est quod non erat; non erat Deus pauper: factus est pauper et *non erat eis locus in diversorio;*[259] non erat humilis et abiectus: factus est abiectissimus in stabulo et praesepio; non erat alicui subiectus: factus est subiectus homini, subiectus romano imperatori, sicut alii homines ipse quoque cum aliis describitur quasi unus ex ipsis:[260] *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo, qui in forma Dei* erat, nec *rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo;*[261] nullius rei indigebat: *Bonorum meorum non indiges:*[262] cum esset dives, pro nobis egenus factus est,[263] hinc pannis est involutus, eget cibo, potu, indumentis et om-

249) Io 1, 18; 1 Io 4, 12. 250) 1 Tim 6, 16. 251) Ex 33, 20. Vulg.: *Non poteris videre faciem meam.* 252) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Ostendam omne bonum tibi.* 253) Ps 23, 1. 254) Ps 88, 12-13. Vulg.: *Orbem terrae.* 255) 1 Tim 6, 15. 256) Ibid. 1, 17. 257) Ibid. 258) Ibid. 6, 16. 259) Lc 2, 7. 260) Cf. ibid. vrr. 1-5. 261) Phil 2, 6-7. Ordine inverso affert hos vrr. 262) Ps 15, 2. Vulg.: *Non eges.* 263) Cf. 2 Cor 8, 9. In margine haec adiecta fuerunt: «Indigentiae hieroglyphicum apud antiquos erat infans apertis brachiis coram matre et movens labia ob desiderium lactandi; sic factus est Deus ipsamet indigentia. Hinc apud Isaiam capite 53, ubi legimus de Christi nativitate: *Ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti,* Hebraica Ve-

nibus quibus quivis alius eget homo. Sic factum est quod non erat: *Verbum caro factum est . . . et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis . . . et de plenitudine eius nos omnes accepimus . . . gratiam pro gratia.*[264]

Nunc exaltatur homo; hoc autem est: *Quod fecit Dominus : quod fecit,* non quod faciebat, *quod fecit,* praeterito perfecto, non imperfecto, faciebat. Pictor quamvis excellentissimus, aut sculptor, completo opere quod omnibus numeris secundum artem absolutum sit, subscribens tamen nomen suum dicit: « Apelles faciebat », « Phidias faciebat », ad designandum quod non completum est opus, non est perfectum, imperfectum est, quia ars non potest adaequare naturam, semper vincitur et superatur. Deus in mundi huius creatione pictor fuit et sculptor; depinxit coelum: *Videbo coelos tuos opera digitorum tuorum ;*[265] sculpsit terram et in ea tot plantas et animalia hominesque; omnia tamen haec opera imperfecta sunt. Potuisset Deus multo perfectiora facere quaecunque in mundo fecit. Hinc in *Sapientia* legimus: *Quando praeparabat coelos, aderam ; quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando aethera firmabat sursum et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum et legem ponebat aquis ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.*[266] Quasi ludens fecit Deus opera coeli et terrae, veluti si pictor aut sculptor opus aliquod faciat pro sua delectatione, non magnum adhibet studium, non multa utitur diligentia, hinc opus illud non potest esse valde perfectum. Sic inquit: *Delectabar per singulos dies* creationis *ludens coram eo omni tempore ;* hinc ait: *Quando praeparabat . . . quando appendebat,* quando faciebat. Hic autem dicitur: *Quod fecit Dominus,* opus omnibus numeris absolutum, opus summa perfectione donatum, opus quod non ioco, sed serio factum est, ad quod perficiendum Deus omnem adhibuit potentiam, sapientiam et bonitatem suam: *Quod fecit Dominus,* opus omni ex parte perfectum.

**In creatione mundi Deus perfectiora creare potuisset.**

**sed nunquam aliud opus nativitate humana Christi perfectius.**

ritate interpretari potest: *Ascendet sicut tacens ante faciem eius:* ecce hieroglyphicum indigentiae. Nam qua re non indiget infans esuriens? *Invenietis infantem; Invenerunt infantem positum in praesepio.* Sic propter nos egenus factus est ». 264) Io 1, 14-16.
265) Ps 8, 4. 266) Prv 8, 27-31.

Hoc est quod I o a n n e s ait: *Vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Tria dicit: gloriam, gratiam et veritatem; honorem, sanctitatem et scientiam; factum autem dicit plenum his. Quis reperiat cor humanum tribus hisce rebus plenum, adeo ut nil amplius capere possit? Desiderium honoris est infinitum, hinc homo,[267] sicut et Angelus,[268] Dei gloriam desideravit, quae infinita est, omnis enim [gloria] creata, sive sit in terra sive in coelo, finita est, potest esse maior, sive temporalis sit regum et imperatorum, sive spiritualis Pontificum et sacerdotum. At Deus hodie homini omnem gloriam suam dedit, fecit hominem Deo gloria, dignitate et maiestate aequalem, hinc ab Angelis dicitur *Dominus.* O opus *quod fecit Dominus !*

In Christo, qui hodie nascitur, invenitur gloria infinita,

Potest homo desiderare gratiam et sanctitatem; sed omnis creata sanctitas Patriarcharum, Prophetarum, Pontificum, Sacerdotum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, Angelorum, Cherubim, Seraphim creata est, finita est, potest esse maior, Dei solius infinita est sanctitas. Similiter scientia omnium hominum, philosophorum, theologorum, Prophetarum, Angelorum, Archangelorum, Cherubim, Seraphim finita est, potest esse multo maior; solius Dei scientia et sapientia infinita est. Christo autem data est omnis gloria Dei, omnis honor, omnis potestas, sicut apud D a n i e l e m legimus,[269] omnis sanctitas, unde apud I s a i a m a Seraphim ter Sanctus[270] dicitur et P a u l u s ait habitare in ipso omnem plenitudinem divinitatis;[271] omnis scientia et sapientia: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus;*[272] fons sapientiae datus est ei: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei[273] reconditi. Sic plenum est vas humani cordis, plena capacitas infinita, plus capere non potest. Opus *quod fecit Dominus* infinita perfectione donatum, adeo ut Deus perfectius opus facere minime possit, quamvis infinitae sit potentiae, sapientiae, bonitatis et liberalitatis; opus hoc adaequat infinitam potentiam, sapientiam et bonitatem Dei.

omnis sanctitas creata et increata,

omnis scientia et sapientia Dei.

XIX. David rex ut templum Domino aedificaret, omnem quam potuit praeparavit impensam auri, argenti, aeris, ferri, marmorum,

267) Cf. Gn 3, 5-6. 268) Cf. Is 14, 13-14. 269) Cf. 7, 14. 270) Cf. 6, 2-3.
271) Cf. Col 2, 9. 272) Is 11, 2. 273) Col 2, 3.

lapidum pretiosorum, lignorum et aliorum quae aedificio opus futura erant;[274] exemplar autem formam et descriptionem templi a Deo accepit,[275] Deus ipse voluit esse architectus templi sicut et tabernaculi Moysi.[276] *Domus autem*, dixit sanctus rex, *quam aedificari volo . . . talis esse debet ut in cunctis nationibus nominetur.*[277] Ad celeberrimum autem templum vel palatium, quod inter septem mundi miracula possit computari et excedere magnificentiam templi Dianae Ephesiae et palatii Cyri regis Persarum,[278] requiritur primo, bonum marsupium, bonum scrinium, magnus thesaurus, regium aerarium; secundo, optimus architector, optimus modulus et archetypus construendae fabricae, ut sit palatium optima ratione dispositum, optime intellectum et architectatum; tertio, multa materia praeparata, nec qualicunque materia, sed nobilissima, et valde pretiosa marmorum et aliorum nobilium lapidum omnia genera; quarto, multi artifices et ministri, lapicidae, fabricatores, operatores, portatores, fabri lignarii et ferrarii et alii id genus; quinto, requiritur optimus locus et situs pulcherrimus, loco alto et eminenti ponatur ut multa prospiciat ad pascendos ac delectandos oculos, ubi habere possit et plateam et hortos et pomaria nemoraque pro deliciis; sexto, requiritur tempus multum, talia enim aedificia non possunt uno die aut mense fieri: templum Salomonis septem annis completum fuit;[279] septimo, requiritur pulcritudo et ornatus exterior et interior: exterior quidem, ut universa facies palatii ornata sit optimis sculpturis, quae simul ornamentum sint et historia rerum gestarum, interior vero, ut omnia auro resplendeant optimisque et finissimis rubeis, sericis, argenteis aureisque cortinis totum sit ornatum palatium; et tandem, ut singulari aliquo privilegio ac immunitate sit donatum, ut fiat locus inviolabilis et sacrum asylum, quo confugientes salvi et tuti permaneant et absque summo piaculo avelli inde non possint a satellitibus et ministris iustitiae.

**Ad magnificentissimum aedificium construendum septem praecipue requiruntur;**

Haec autem omnia perfectissime reperiuntur in aedificio divini huius templi palatiique divinitatis. Aedificator est Deus, cuius divitiae sunt infinitae; omnes autem thesauros divitiarum suarum ex-

**sic Deus in praeparanda sacratissima Christi humanitate**

274) Cf. 1 Par 29, 1-9. 275) Cf. ibid. 28, 19. 276) Cf. Ex 26, 1 sqq.
277) 1 Par 22, 5. Vulg.: *In cunctis regionibus nominetur.* 278) Cf. Iulius Hyginus *Fabulae*, fab. 223, pag. 46. 279) Cf. 3 Rg 6, 38.

septem praecipue egit.

pendit Deus in hoc templo. Salomon non omnes thesauros expendit in templo, nam multo maiores expensas fecit in palatio suo,[280] nec tamen totum evacuavit aerarium ut amplius non posset expendere. Deus autem totum expendit thesaurum suum: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!*[281] Palatium igitur istud valet millies mille infinitis thesauris. Architectus autem palatii huius ipsemet Deus esse voluit in aeterna praedestinatione, et universum Vetus Testamentum nil aliud fuit quam modulus et archetypus huius aedificii: mundi istius creatio, paradisus, Adam innocens, omnes Patriarchae, omnes Prophetae, omnes sancti pontifices, Iudaei reges, arca Noe, tabernaculum Moysi, templum Salomonis, sacrificia legalia et omnia quae gesta narrantur in Veteri Testamento archetypi sunt et moduli huius aedificii. Pro materia autem huius templi Deus mundum creavit, universam naturam, Ecclesia et paradisum; quicquid boni est in mundo, in Ecclesia, in paradiso, in hoc aedificio positum est: *Compendio redigere omnia in Christo*, sive *quae in coelis*, sive *quae in terris.*[282] Omnes autem Patriarchae, omnes Prophetae, omnes sacerdotes Antiquae Legis ministri fuerunt praeparantes materiam eamque portantes pro divini huius templi aedificio, dum de Christi mysteriis vaticinati sunt. Quoniam vero templum istud pro asylo constructum est, natus est Salvator; hinc totus mundus desiderabat videre templum hoc completum: *Veniet desideratus cunctis gentibus,*[283] hoc Verbum est *quod fecit Dominus*, fecit, perfecit, perfecte fecit. *Quod fecit Dominus*, fecit quod non erat: homo non erat Deus, non erat omnipotens, omniscius, optimus, maximus, non infinitus, non aeternus, non Deo aequalis, non consubstantialis, non mundi dominus, non rex Angelorum, non imperator coeli et terrae; sed *fecit Dominus* ut esset quod non erat, ut esset Deus coaeternus, coaequalis et consubstantialis Deo, auctor naturae, fons gratiae, pater gloriae, rex infinitae maiestatis: *Fecit Dominus: Exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium,*[284] hinc adoratur hodie ab universo coeli exercitu.

280) Cf. ibid. 7, 1-12. 281) Rom 11, 33. 282) Eph 1, 10. Vulg.: *Instaurare... quae in terra.* Affert ex graeco: ἀνακεφαλαιώσασθαι. 283) Agg 2, 8. 284) Phil 2, 9-10. Vulg.: *Et donavit illi nomen*, etc.

XX. Verum non tantum fecit, sed etiam *ostendit nobis: Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in* praesepio *monstratum est;* [285] *Exemplum... dedi vobis, ut quemadmodum ego feci... ita et vos faciatis.* [286] Inspice, contemplare exemplum infinitae humilitatis, homo, et fuge mundi superbiam; exemplum infinitae paupertatis et depone divitiarum insatiabilem famem; intuere passiones et poenas tenerrimi corpusculi Salvatoris et ne secteris amplius carnis delicias, nam propter salutem tuam humilitatem hanc, paupertatem et passiones suscepit Filius Dei. Hinc ab Angelo hodie dicitur *Salvator: Ipse... salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* [287] Peccatum est venenum mortiferum: venit Christus ad salvandum nos ab hoc veneno afferens antidotum saluberrimum. Venenum hoc sumpsit homo cum lignum vetitum gustavit, diabolo suadente; nostrum malum omne hinc ortum habuit, [288] quia homo potius comedere voluit de ligno scientiae boni et mali quam de ligno vitae, voluit diligere potius mundanam gloriam quam divinam.

**Exemplum Christi contemplari et imitari debemus.**

Suadere autem nunquam destitit Deus hominem ut averteret animum ab inordinata affectione mundi huius; homo autem divinis vocibus surdus suum sequebatur iter veluti intra se dicens: Deus sua fruitur voluptate, bono fruitur tempore! Hinc tandem disposuit venire in propria persona, ut nos suo moveret exemplo. O infinitam Dei caritatem! Nostrum medicum agere voluit et ut suo exemplo moveret infirmos ad sumendam medelam quam propinabat, ipse prior sumere incoepit. Sed, o infinitam hominum perversitatem quae tali ac tanto exemplo nihil movetur! Non possum, fratres, non vehementer mirari quod infirmitas humani generis talis ac tanta fuerit, ut ad eam curandam tali tantoque medicamento opus fuerit, quod Deus voluerit tale tantumque adhibere remedium divinae humilitatis, paupertatis et poenitentiae et tandem quod tale tantumque medicamen infirmitati nostrae nihil iuverit, sic enim mundus nunc deditus est superbiae, avaritiae et luxuriae ac si Christus non venisset in mundum. Tale ergo et tantum ipsiusmet Dei exemplum nihil nobis proderit? [289]

**Ipse enim in mundum venit ut suo nos moveret exemplo ad contemptum mundi.**

285) Ex 25, 40. 286) Io 13, 15. 287) Mt 1, 21. 288) Cf. Gn 3, 1 sqq.
289) In codice immediate sequuntur sermones in diebus S. Stephani, S. Ioannis Apostoli et SS. Innocentium, quos in *Sanctorale* inseremus. Cf. quae diximus in *Praefatione*.

## DIES CIRCUMCISIONIS DOMINI

*Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est,* etc. [1]

Agitur hodie de circumcisione Christi et de impositione nominis Iesu.

I. Sicut sanctus Isaac, summi patriarchae Abrahami dilectissimus filius et unicus heres, octavo nativitatis die circumcisus fuit a patre et vocatus Isaac, [2] iuxta divinum oraculum quo Abrahae dictum fuit a Deo: *Sara uxor tua pariet tibi filium et vocabis nomen eius Isaac, et constituam pactum meum illi in foedus sempiternum,* [3] ita hodie Christus, mysticus Isaac, primogenitus et unigenitus Filius Dei, octavo nativitatis die simul circumciditur et vocatur proprio nomine *Iesus.* Quoniam enim eodem die Deus Abrahae apparens nomen mutavit dicens: *Non ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium te constitui,* [4] simulque praeceptum circumcisionis dedit dicens: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos; infans octo dierum circumcidetur in vobis,* [5] statimque ipsa die seipsum circumcidit Abraham, [6] hinc uno eodemque die fiebat et circumcisio et nominis impositio; hinc Dominus hodie simul et circumcisus fuit et proprio nomine *Iesus* vocatus. Quare de his duobus agendum nobis est hodie: de circumcisione Domini et de nomine Iesu.

II. *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer.* Sicut cur praeceperit primo homini Deus ne comederet de ligno scien-

1) Pericope huius diei Lc 2, 21. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 21, 1-4.
3) Ibid. 17, 19. Vulg.: *Vocabisque,* etc. 4) Ibid. vr. 5. Vulg.: *Nec ultra... constitui te.*
5) Ibid. vrr. 10-11. 6) Cf. ibid. vrr. 22 sqq.

tiae boni et mali [7] nulla ratio nobis assignari potest nisi divina voluntas, ita cur Abrahamo dederit circumcisionis mandatum; sunt enim *incomprehensibilia... iudicia eius et investigabiles viae eius; quis enim novit sensum Domini?* [8] Divina Scriptura hanc tantum circumcisionis rationem affert: *Ut sit in signum foederis inter me et* inter *vos;* et Paulus ait quod Abraham *signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiae fidei,* [9] signum foederis. Tria promisit Dominus Abrahamo: primo, innumerabilem ac pene infinitam filiorum multitudinem perpetuamque posteritatem, unde dixit illi: *Suspice coelum et numera stellas, si potes... sic erit semen tuum;* [10] secundo, hereditatem terrae Chananaeorum illiusque perpetuam et felicissimam habitationem; [11] tertio, Christum illi promisit Salvatorem mundi: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae.* [12] Quare circumcisionem illi dedit *in signum,* veluti in scriptis faciens illi promissionem, uti in sponsalibus fieri solet, cum promittitur sponso aut sponsae dos, et sicut debitor creditori in signum obligationis scriptum facit et tradit. Sic enim Deus promittens Noe se non missurum amplius diluvium ad dissipandam terram, in signum promissionis huius, ad perpetuam rei memoriam, arcum iridis posuit in nubibus coeli. [13] Hoc modo circumcisio signum est foederis Domini, signum divini pacti, divinae promissionis, divinae amicitiae et gratiae, *signaculum iustitiae fidei,* ut esset signum rei sacrae, sacramentum veteris legis, quo originale deleretur peccatum. Hinc ait: *Masculus, cuius caro praeputii circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit,* [14] hoc est tanquam infidelis reputabitur et iudicabitur, perferet infidelitatis iudicium, non erit particeps gratiae, amicitiae et promissionum Dei, non heres terrae promissae electis sanctisque patribus, sicut apud nos qui baptizatus renatusque ex aqua et Spiritu Sancto minime fuerit, [15] suscepta gratia Baptismi.

**Deus circumcisionem Abrahae dedit, ut esset in signum promissionis, amicitiae et fidei**

**et veluti sacramentum Veteris Legis,**

Instituit ergo Deus circumcisionem ut esset sacramentum gratiae et spiritualis regenerationis ac renovationis, ablata vetustate peccati; hinc enim Hebraei circumcisi dicti sunt *gens sancta* [16] et *filii*

**quo peccatum originale deleretur**

7) Cf. ibid. 2, 16-17. 8) Rom 11, 33-34. Vulg.: *Quis enim cognovit,* etc.
9) Ibid. 4, 11. 10) Gn 15, 5. 11) Cf. ibid. vrr. 13-16. 12) Ibid. 22, 18 Vulg.: *Benedicentur in semine,* etc. 13) Cf. ibid. 9, 12-13. 14) Ibid. 17, 14. Vulg.: *Cuius praeputii caro,* etc. 15) Cf. Io 3, 5. 16) Cf. Ex 19, 6; 22, 31; Lv 11, 44-45; 19, 2; 20, 26; 21, 6-8; Dt 7, 6; 14, 2.

*Dei*,[17] nam per sacramentum hoc delebatur peccatum et conferebatur gratia,[18] quae hominem sanctificat filiumque Dei constituit, sicut Baptismus. Quamvis circumcisio collata Baptismo sit sicut luna collata soli nocturnumque lumen collatum diurno; hic enim non tantum sanctificat filiumque Dei hominem facit, sed etiam in statum filiorum constituit, veluti declarans hominem esse filium Dei, sicut cum Christus baptizatus fuit, aperti sunt coeli, descendit Spiritus Sanctus et vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus.*[19] Differt enim ut quis sit filius principis et ut declaratus sit filius principis; nam antequam declaretur, quamvis filius sit, ut servus tamen reputatur et in statu servorum est, sicut Paulus ait: *Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo,* quamvis non sit servus, sed filius; *quod si filius et heres per Deum;*[20] sic per circumcisionem deleto peccato, per quod homo eiectus de paradiso fuit inimicusque Dei constitutus et diaboli servus,[20a] fiebat Dei amicus, filius, heres, particeps gratiae omniumque promissionum Dei.

*et homo amicus Dei constitueretur, particeps gratiae et promissionum ipsius.*

III. Christus autem peccatum originale minime contraxit, quoniam Spiritus Sancti virtute supplente viri vicem, loco virilis seminis, conceptus fuit. Non ergo circumcisione egebat, sicut nec Abraham cum circumcisus fuit, nam iustus erat, nam antequam a Deo circumcisionis mandatum accepisset, *credidit Deo et reputatum est illi ad iustitiam.*[21] Sed sicut ex obedientia Dei Abraham circumcidere voluit seipsum, ita Christus, *qui cum in forma Dei esset* Deoque aequalis in iustitia et sanctitate, potestate et gloria divinitatis, sicut formam servi accepit, ita peccati similitudinem: *In similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum... usque ad mortem, mortem autem crucis;*[22] sic factus Deo obediens circumcidi voluit hodie in arrham futurae passionis et mortis in cruce. Et quidem circumcisio signum fuit quod sanguine innocentis Christi delendum erat Adae peccatum, Christus enim semper ad instar pueri octo dierum innocentissimus ac purissimus ab omni labe vel levissima cuiusvis culpae et peccati fuit. Hoc est enim quod sanguine agni imma-

*Christus circumcisione non egebat, quia absque originali peccato conceptus,*

17) Cf Ex 4, 22-23; Ps 28, 1; 81, 6. 18) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3, q. 38, a. 3; q. 62, a. 6; q. 70, a. 4. 19) Mt 3, 16 sq.; Lc 3, 22. 20) Gal 4, 1-7. 20a) Cf. Gn 3, 6 sqq. 21) Ibid. 15, 6; Rom 4, 3; Gal 3, 6; Iac 2, 23. 22) Phil 2, 6-8.

culati salvati sunt Hebraei in Aegypto ab Angelo percutiente;[23] Christus autem agnus immaculatus est: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;*[24] *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis... sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi... praecogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem,* etc. [25]

Neque potuit esse circumcisio in Christo signum fidei aut spei, sicut in ceteris Abrahae filiis qui circumcidebantur in signum et protestationem verae fidei ac spei in Deum, qui enim circumcidebantur profecto testabantur se in Deum Abrahae credere illiusque promissa sperare et expectare; sed in Christo neque fides neque spes fuit, Deum enim semper clarissima visione facie ad faciem vidit, sicut Beati in coelo omnesque Angeli in paradiso, a primo suae conceptionis instanti summumque bonum semper uti beatus possedit. Sed circumcidi voluit in signum caritatis erga Deum et homines, in signum humilitatis, in signum obedientiae, in signum verae humilitatis, veraeque carnis et tandem in signum quod vere filius esset Abrahae semenque illud in quo benedicendae erant omnes gentes terrae. **nec ut signum fidei aut spei, quia in Christo nec fides nec spes fuit;**

Primo, inquam, in signum caritatis erga Deum et homines. Signum enim maximae caritatis in Deum est pro illius amore sanguinem velle effundere et martyrium pati; sic Christus propter Deum hodie passus fuit circumcisionis martyrium. Maximum item caritatis et amoris argumentum pro amico se mortis periculo exponere: *Maiorem* enim *caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis;*[26] Christus autem hodie pro salute nostra sanguinem fudit. **sed circumcidi voluit in signum caritatis,**

Fuit signum profundissimae humilitatis velle tanquam peccator circumcidi ille qui sanctior Angelis Deoque in sanctitate est aequalis: *Humiliavit semetipsum... usque ad mortem;* hinc vere dicere potuit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* [27] **humilitatis,**

Signum obedientiae voluntariae, nam cum legi minime esset subiectus, fieri tamen voluit sub lege, sicut fieri voluit homo: *Factus* **obedientiae,**

23) Cf. Ex 12, 5-23. 24) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 25) 1 Petr 1, 18-20. Vulg.: *Vel argento,* etc. 26) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem nemo,* etc.. Affert ex Breviario Rom. Com. Apost., 2 antiph. in 1 Vesp. 27) Mt 11, 29.

*ex muliere, factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret et adoptionem filiorum reciperemus.* [28] Hodie enim Christus fieri voluit debitor universae legis, nam, ut Paulus docet, omnis qui circumciditur, debitor fit universae legis: *Testificor,* inquit, *omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae.* [29] Sic sumpsit hodie Christus super humeros suos onus legis gravissimum, ut nobis daret iugum suum suave et onus leve: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve.* [30] Sic loco sanguinolentae circumcisionis ad delendum originale peccatum dedit nobis dulce atque vitale Baptismi sacramentum et Baptismum in sanguine proprio mutavit in Baptismum aquae alienae, aquae illius quae ex ipsius latere exivit una cum sanguine, [31] ut in hoc mari Rubro baptizati, tanquam veri Hebraei salvaremur egressi ex Aegypto servitutis peccati. [32] Hodie igitur Christus *humiliavit semetipsum factus obediens* sub lege *usque ad mortem, mortem autem crucis,* in qua pro nobis factus fuit maledictus ut nos a maledicto legis redimeret. [33]

In signum quoque verae carnis assumptae et tanquam verus filius Abrahae,

Circumcidi etiam voluit Dominus in signum verae humanitatis veraeque carnis assumptae, tanquam verus homo, sicut quivis alius hebraeus et sicut Abraham ipse; ac tandem circumcidi voluit tanquam verus Abrahae filius, ex Abrahae enim semine Christus Messias verus nasciturus erat. Quod si Christus circumcisus minime fuisset, in incircumcisum synagoga credere minime voluisset, non enim poterat mulier hebraea secundum legem hominem incircumcisum habere in sponsum atque maritum; [34] quare ut sponsalitium illud in *Canticis Canticorum* decantatissimum celebraretur inter Christum et synagogam Dei, Christus hodie circumcidi voluit, ad instar alterius Sichem principis civitatis et terrae Sichem, qui nimio amore flagrans amansque ardentissime Dinam filiam Iacob, audito quod illam in uxorem minime accipere poterat nisi circumcideretur, libentissime voluit circumcidi, ut perpetuo tali frueretur dilectissima sponsa. [35] Sic

ut synagogam sibi per fidem desponsaret.

28) Gal 4, 4-5. Vulg.: *Factum ex muliere, factum sub lege... ut adoptionem,* etc.
29) Ibid. 5, 3. 30) Mt 11, 28 sqq. 31) Cf. Io 19, 34. 32) Cf. Ex 14, 22 sqq.; 1 Cor 10, 2. 33) Cf. Gal 3, 13. 34) Cf. Nm 36, 7-8; Dt 7, 3. 35) Cf. Gn 34, 1 sqq.

Christus hodie ob id circumcidi voluit, ut per fidem sibi synagogam Dei desponsaret, sicut scriptum est: *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et in misericordia et... miserationibus, et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus.*[36]

Quod si magnus fuit amor Sichem erga Dinam, Christi amor erga Ecclesiam tanto est maior illo aut quovis alio amore viri in mulierem quo Deus maior est homine. Si scivisset Sichem quod circumcisio illa futura sibi erat causa mortis tertio circumcisionis die, profecto circumcidi minime voluisset et ardor ille tam magnus amoris vel omnino refriguisset vel magna ex parte tepuisset. Christus vero sciens circumcisionem futuram sibi causam acerbissimae mortis, Iudaeis dicentibus: *Nos legem habemus et secundum legem* nostram *debet mori quia Filium Dei se fecit,*[37] libens tamen circumcidi voluit, synagogam amans sicut Samson Dalilam, quam proditricem ac traditricem noverat, eo quod dormientem pluries in manus immanium inimicorum tradiderat, ab eius tamen amore desistere minime libuit.[38] Christi enim amor ille est de quo dicitur: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non poterunt extinguere caritatem nec flumina obruent illam.*[39] O Sichem vere amantissimum! Sichem princeps Salem, Christus princeps pacis: *Factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis,* cuius *pacis non erit finis.*[40]

**In circumcisione ostenditur maxima caritas Christi erga synagogam, a qua interficiendus erat.**

IV. Quoniam vero circumcisionis praeceptum erat futurorum exemplar, sicut et alia omnia Antiquae Legis sacramenta, dum Dominus voluit iussitque Isaac et universum semen Abrahae circumcidi, praesignavit utique quod in Christo, qui verum semen est Abrahae, nullum futurum erat peccatum, siquidem per praeputium peccatum designatur. Non est autem peccatum nisi amor nimius terrenorum mundanorumque bonorum, quae ad salutem minime necessaria sunt, ipsum operiens atque vestiens cor, ut non sit nudum, hoc est purum atque mundum iuxta voluntatem Dei: *Beati mundo corde, quoniam*

**Praesignavit etiam circumcisionis praeceptum nullam in Christo fore concupiscentiam.**

36) Os 2, 19-20. 37) Io 19, 7. 38) Cf. Idc 16, 1 sqq. 39) Ct 8, 6-7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cfr. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Non potuerunt.* 40) Is 9, 6-7.

*ipsi Deum videbunt.*[41] Nam si omne peccatum est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae,[42] profecto carnis concupiscentia non est nisi nimius amor sensualium voluptatum, concupiscentia oculorum nimius amor divitiarum, et superbia vitae nimius amor honorum, pomparum ac vanitatum mundi. Praesignavit ergo circumcisio ac praecisio illa pellis operientis supremam partem genitalis membri in Christo nullam fore carnis concupiscentiam, nullam concupiscentiam oculorum, nullam superbiam vitae. Hinc Christus in mundo voluit esse pauperrimus, absque omni divitiarum appetitu, pauper spiritu et carne, affectu et effectu; voluit esse humillimus et corde et opere, et intrinsecus et extrinsecus, absque omni gradu honoris et dignitate gloriae mundanae in terra; voluit afflictissimam vitam ducere, ab omnibus deliciis et voluptatibus semotissimam et poenas potius afflictionesque et dolores in hoc mundo quaesivit quam gaudia, voluptates et delicias.

quae etiam in sanctis ipsis viguit;

Viguit in omnibus hominibus carnalis concupiscentia, etiam in iustis sanctisque viris, ut Paulus ait *Romanis: Condelector... legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me sub lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur... mente servio legi Dei, carne autem legi peccati;*[43] nam ut paulo ante ait: *Velle adiacet mihi, perficere autem... non invenio; non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod odi malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*[44] Quam potens autem fuerit semper carnalis concupiscentia in mundo testantur Divinae Scripturae in diebus Noe,[45] in diebus Loth in Sodomis[46] et alibi; in sanctis etiam ipsis videre est, in David[47] et Salomone.[48] Solus Christus ab hac fuit immunis et omnino liber, quare id circumcisio designabat, summam, inquam, in Christo innocentiam ac puritatem ab omni labe peccati cordisque coelestem ac vere divinam munditiem.

a qua Christus solus fuit omnino immunis.

41) Mt 5, 8. 42) Cf. 1 Io 2, 16. 43) 7, 22 sqq. Vulg.: *In lege peccati.* 44) Ibid. vrr. 18-20. Vulg.: *Quod nolo malum*, etc. 45) Cf. Gn 6, 5-13. 46) Cf. ibid. 13, 13; 18, 20-21; 19, 1-13. 47) Cf. 2 Rg 11, 2-5. 48) Cf. 3 Rg 11, 1-4.

V. Adhuc, quoniam Christus universam Ecclesiam sanctorum electorumque Dei in seipso continet, cum ipse sit caput Ecclesiae et universa Ecclesia corpus illius,[49] hinc circumcisio ista octavo die facta universalem circumcisionem significat omnium electorum, quae fiet post resurrectionem mortuorum octava mundi aetate.[49a] Tunc enim omnes electi Dei circumcidentur, omnibus vitiis et imperfectionibus totaliter resecatis; tunc enim verissime adimpletum erit quod Paulus *Ephesiis* [ait]: *Christus dilexit Ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans* eam *lavacro in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.*[50] Faciet tunc Dominus sicut ex divina impositione fecit Iosue, transito Iordane cum universo populo Dei: lapideis enim cultris omnes circumcidit Hebraeos, quoniam dixit illi Dominus: *Fac tibi cultros lapideos*, sive acutos, *et circumcide secundo filios Israel. Fecitque quod iusserat Dominus et circumcidit filios Israel in colle praeputiorum;*[51] cum autem circumcisi fuissent, ait Dominus: *Hodie abstuli opprobrium Aegypti a vobis.*[52] Sic, inquam, verus Iosue, Christus Iesus, cum universa Ecclesia transierit Iordanis fluvium vitae huius fluxibilis ac temporalis ingressaque terram promissionis per universalem mortuorum resurrectionem fuerit, tunc omnes electos suos circumcidet omnibus superfluis in carne et spiritu amputatis omnibusque tum animae tum corporis imperfectionibus ac defectibus praecisis ac resecatis; sic auferet omne opprobrium, contemptum et ignominiam mundi ab electis suis Deus, quicquid in sanctis suis vile reperiet, propter quod mundo ostentui et opprobrio fuerunt: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati! vitam illorum aestimabamus insaniam et finem illorum sine honore: ecce quomodo,* etc.[53]

Circumcisio ista octavo die facta mystice designat ablationem omnium imperfectionum animae et corporis post resurrectionem.

. . .

49) Cf. Eph 1, 20 sqq.; 4, 15-16; Col 1, 16-20. 49a) S. Auctor, iuxta communem SS. Patrum opinionem, septem statuit mundi aetates: primam ab Adam usque ad Noe, secundam usque ad Abraham, tertiam usque ad Moysen, quartam usque ad David, quintam usque ad captivitatem babylonicam, sextam usque ad Messiam, septimam usque ad finem mundi. Octava ergo aetas mundi erit post resurrectionem, idest aeternitas. Cf. supra, pag. 158-159.

50) 5, 25-27. Vulg.: *Seipsum tradidit.* 51) Ios 5, 2-3. 52) Ibid. vr. 9.

53) Sap 5, 3-5. Vulg.: *Quos habuimus aliquando*, etc.

Quadruplex circumcisio legitur: carnis, cordis, labiorum et aurium.

VI. Legimus in Divinis Scripturis quadruplicem circumcisionem. Prima est carnalis, quam Dominus iussit Abrahamo et Iosue. Secunda est circumcisio cordis, de qua Moyses ait *Deuteronomio* 30: *Circumcidet Dominus... cor tuum et cor filii tui, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, ut possis vivere;* [54] et iterum *Deuteronomio* 10: *Circumcidite... praeputium cordis vestri et cervicem vestram ne induretis amplius;* [55] hanc Paulus vocat circumcisionem non manu factam dicens: In Christo *circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, [sed] in circumcisione Christi.* [56] Tertia est circumcisio labiorum, de qua Moyses ait: *Ecce filii Israel non audiunt me, et quomodo audiet Pharao, praesertim cum incircumcisus sim labiis?* [57] et iterum: *En incircumcisus labiis* ego *sum.* [58] Quarta est circumcisio aurium, de qua Ieremias ait: *Cui loquar et quem contestabor ut audiat? Ecce incircumcisae aures eorum et audire non possunt;* [59] de hac etiam Stephanus in sua concione ad concilium ait: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* [60]

Multi sunt hodie incircumcisi auribus et labiis,

Sed, ehu! hodie quot incircumcisi abominabiles Domino! Incircumcisus auribus est qui audire non potest verbum Dei, uti illi de quibus Dominus ait: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud;* [61] sed *ecce incircumcisae aures eorum et audire non possunt.* Causa autem quare non possunt assignatur: *Ecce,* inquit, *verbum Domini factum est eis in opprobrium et non suscipient illud.* [62] Sic innumeri sunt qui tanquam surdi non audiunt, imo nec posse videntur audire verbum Domini; sic multi sunt incircumcisi labiis, qui Dei verba, Dei laudes, verba salutis loqui non possunt, qui bene loqui nesciunt, sed semper male. Haec autem mala a cordis incircumcisione procedunt, quoniam, ut Ieremias ait: *Omnis... domus Iuda incircumcisi sunt corde;* [63] cor enim radix est omnium malorum cum vitiis incircumcisum est: *Malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert malum;* [64] *De corde... exeunt malae cogitationes, adulteria, homicidia,* etc. [65] Hinc cum Dominus reprobationem Iudaeorum Isaiae demonstravit, posuit primo

quia incircumcisi sunt corde.

54) Vr. 6. Vulg.: *Et cor seminis tui... in toto corde tuo et in tota,* etc. 55) Vr. 16. 56) Col 2, 11. 57) Ex 6, 12. 58) Ibid. vr. 30. 59) 6, 10. 60) Act 7, 51. 61) Lc 11, 28. 62) Ier 6, 10. 63) 9, 26. Vulg.: *Domus Iuda,* etc. 64) Mt 12, 35; Lc 6, 45. 65) Mt 15, 19. Vulg.: *Cogitationes malae, homicidia, adulteria.*

loco in causam cordis caecitatem: *Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude, ne forte videat oculis ... et auribus audiat et corde ... intelligat, et convertatur et sanem eum.* [66] Sic, inquam, ex cordis incircumcisione oritur incircumcisio aurium et labiorum, unde quisque merito cum Isaia potest dicere: *Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum!* [67]

Sed cogitandum nobis est quod qui corde circumcisus non fuerit circumcisione non manu facta, *peribit anima eius de populo* Dei; [68] qui circumcisus non fuerit, terram promissionis in hereditatem accipere ac hereditatis iure possidere minime poterit tanquam verus Abrahae filius. Angelus Domini voluit occidere Moysen occurrens illi in via, quoniam filium suum non circumciderat, et occidisset utique nisi Sephora uxor ipsius, quam citissime accepta acutissima petra, circumcidisset illum. [69] Sic mortis aeternae est reus quicunque animum suum a vitiis non circumcidit, sumpta in manu acutissima petra, qui Christus est, cuius sermo *vivus ... et efficax est et penetrabilior omni gladio ancipiti ... pertingens usque ad divisionem animae et spiritus.* [70]

**Sed qui circumcisus non fuerit corde, terram promissionis non hereditabit.**

## II. ALIA HOMILIA

*Postquam impleti sunt dies octo ut circumcideretur puer.* [1]

I. Agnus primogenitus, qui secundum legem, sicut omnia primitiva, Domino debebatur, [1a] septem diebus erat cum matre, octavo autem die offerebatur Domino sanus, integer et immaculatus; [2] ita Christus, *Agnus Dei qui tollit peccata mundi,* [3] *primogenitus omnis creaturae,* [4] hodie, octavo nativitatis die, obtulit seipsum Domino ad passionem et mortem pro salute totius generis humani. Quare effundens sanguinem hodie Salvator Patrem mente alloquens dicere hoc modo voluit: Pater mi, ego secundum voluntatem tuam missus in mundum veni, iam natus sum pro salute mundi; scio voluntatem tuam esse ut per

**Octavo die a nativitate Christus circumcisione sua Patri in sacrificium seipsum obtulit.**

66) Is 6, 10. 67) Ibid. vr. 5. 68) Ex 12, 15; 31, 14; Lv 19, 8. 69) Cf. Ex 4, 24-26. 70) Hebr 4, 12. Vulg.: *Vivus est sermo ... et efficax, ... animae ac spiritus.*

1) Lc 2, 21. 1a) Cf. Ex 23, 19; 25, 2; Lv 23, 10-21; Nm 15, 17-20. 2) Cf. Ex 22, 30. 3) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 4) Col 1, 15.

effusionem sanguinis mei salvetur populus tuus a peccatis, nam *sine sanguinis effusione secundum legem non fit remissio et omnia pene in sanguine sanctificantur.* [5] Ego quidem libenter secundum voluntatem tuam pro salute et vita mundi mortem et mortem crucis subibo. Sed quoniam placuit maiestati tuae ut parvulus nascerer, non, sicut Adam, vir perfectae aetatis, corpusculum istud meum non potest modo flagella et crucem ferre, manus pedesque mei clavos, caput spineam coronam, latus lanceam, os fel et acetum. Non est, secundum legem, coquendus agnus *in lacte matris suae.* [6] Offero tibi hodie pro salute mundi has sanguinis guttas, offero sanguinis et vitae meae primitias, do tibi hodie arrham usquequo universum pretium solvam pro redemptione generis humani. O oblatio! o sacrificium! o holocaustum divinum!

**Circumcisus fuit Christus non in templo, sed in loco ubi natus est,**

II. Non fuit Christus in templum hodie adductus ut circumcideretur, nam ante quadragesimum diem non poterant infantes in templum inferri, sed quadragesimo die in templum illati Domino sistebantur et offerebantur primogeniti;[7] sed eodem in quo natus fuit loco, in eadem spelunca circumcisus fuit, ut testatur Epiphanius in *Panario*, libro 1, in fine.[8] Non dicit Sacer Evangelista a quonam Christus fuerit circumcisus, nec locum explicat ubi fuerit circumcisus, quia secundum legem circumcisionis neque particularis locus neque particularis persona ad circumcidendum deputabatur, sed tantum tempus, octavus scilicet dies, hebdomada a nativitate revoluta, ut eodem die circumcideretur infans quo natus erat.

**calendis Ianuarii, quod mysterium innuit.**

Circumcisus est autem Christus calendis Ianuarii, ut anni sanctificaret initium, et quoniam hic dies prae ceteris erat Gentilium superstitionibus foedatus,[9] hunc praecipue voluit sanguinis sui lavacro ab omni foeditate lavare. Cum autem hoc tempore innovari incipiat annus per accessum solis ad nos polumque nostrum, circumcidi voluit Dominus et suo sanguine initium novi anni consecrare, ut sciremus quod sanguis Christi delens vetustatem peccati hominem trans-

5) Hebr 9, 22. Vulg.: *In sanguine secundum legem mundantur.* Ordine inverso affert hunc vr.
6) Ex 23, 19; 34, 26; Dt 14, 21. 7) Cf. Lv 12, 1 sqq. 8) Idest *Adversus Haereses*, haeres. 20, (P. G. 41, 274). 9) Cf. S. Ambrosius serm. 7, (P. L. 17, 617-618); S. Petrus Chrysologus serm. 155, ibid. 52, 609-610; S. Maximus hom. 16, ibid. 57, 256-258; S. Isidorus Hisp. *De Ecclesiasticis Officiis*, lib. 1, cp. 41, ibid. 83, 774-775.

fert in novam creaturam. Cum circumciditur et mortificatur caro, tunc vivificatur et renovatur spiritus. Cum Iosue, transito Iordane ingressusque cum universo populo terram promissionis Hebraeos omnes acutissimo gladio circumcidisset,[10] tunc ait Dominus: *Hodie abstuli opprobrium Aegypti a vobis.*[11] Opprobrium Aegypti est praeputium carnis, significat vitia et concupiscentias carnis; qui vivit in hoc praeputio carnis, non est secundum spiritum hebraeus electus, sed aegyptius reprobatus, non Iacob dilectus, sed Esau odio habitus,[12] non Abel, sed Cain.[13]

III. *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer,* etc. *Puer* dicitur Christus ob infinitam puritatem, quae Angelorum etiam superat infinitis gradibus puritatem, in quo nulla penitus fuit impuritas, agnus immaculatus, *Sol iustitiae.*[14] Quomodo ergo circumciditur, cum instituta esset circumcisio ad tollendam impuritatem peccati originalis? Et cum Virgo Sanctissima et Divus Ioseph scirent Christum esse Filium Dei, conceptum miraculo de Spiritu Sancto, non humana generatione per quam contrahitur originale peccatum,[15] quomodo eum circumcidi permiserunt? — Circumcidi voluit Christus, quamvis purissimus,

Sed Christus circumcidi voluit sicut et baptizari,[16] nam circumcisio non solum ordinata fuit ad delendum peccatum, sed etiam ut esset signum foederis Domini ac protestatio quod homo dedicabatur perpetuo cultui et servituti Dei. Sic enim legimus *Genesi* 17: *Statuam pactum meum inter me et te ... ut sim Deus tuus et seminis tui post te;*[17] et postea: *Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit ... signum foederis inter me et* inter *vos.*[18] Christus igitur hodie circumcisus se ipsum totum dedicavit Deo vovitque atque obligavit se ad legem servandam. Sic *misit Deus Filium suum* in carne *factum ex muliere, factum sub lege,* etc.[19] — ut se praescripto Legis subiiceret,

Voluit etiam circumcidi ad vitandum scandalum, quoniam partus manifestus erat, sed miraculum conceptionis occultum, nec agnoscebatur tunc Christus nisi ut filius Mariae et Ioseph. Circumcidi voluit Dominus ad ostendendam veritatem humanae carnis, contra — ut scandalum vitaret,

10) Cf. Ios 5, 2-8. 11) Ibid. vr. 9. 12) Cf. Mal 1, 2; Rom 9, 13. 13) Cf. Gn 4, 5-8. 14) Mal 4, 2. 15) Cf. Mt 1, 18-21; Lc 1, 26-38. 16) Cf. Mt 3, 13 sqq.; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22. 17) Vr. 7. 18) Ibid. vr. 11. 19) Gal 4, 4.

ut ostenderet veritatem carnis assumptae,

Manichaeum dicentem fuisse corpus Christi phantasticum,[20] contra Apollinarem dicentem corpus Christi fuisse divinitati consubstantiale[21] et contra Valentinum qui asserit Christum attulisse corpus de coelo;[22] ut ostenderet se vere filium esse et semen Abrahae, ne Iudaei excusationem haberent et dicerent se nolle incircumcisum suscipere.

ut perficeret sacramentum, ad significandam spiritualem circumcisionem et in meritum salutis nostrae.

Circumcidi voluit ut circumcisionis sacramentum a Deo institutum honoraret atque perficeret, quoniam virtute huius circumcisionis delebat olim peccatum circumcisio,[23] sicut nunc Baptismus virtute Baptismi Christi. Ob reverentiam ergo Antiquae Legis voluit circumcidi, et quia etiam circumcisio illa spiritualem circumcisionem designabat. Circumcidi voluit in exemplum obedientiae, humilitatis, patientiae et caritatis erga nos, quod sicut non abhorruit *similitudinem carnis peccati,*[24] ita nec circumcisionem. Tandem in meritum salutis nostrae, dedit enim hodie Deo Patri arrham pretii et redemptionis nostrae: *Empti enim estis pretio magno,*[25] non auro et argento, sed pretioso sanguine Christi Iesu agni immaculati.[26] Solent autem mercatores magnum aliquid empturi, priusquam totum pretium solvant, arrham dare in signum futurae emptionis; sic Christus hodie.

Vocatur Iesus, nomen quod de coelo venit,

IV. *Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo prius quam in utero conciperetur.*[27] Ait Angelus Gabriel Beatae Virgini: *Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob,* etc.[28] Divus Ioannes in *Apocalypsi* refert vidisse se Christum indutum veste aspersa sanguine, sed habentem nomen, quod nemo novit, nisi ipse: *Vidi coelum apertum, et ecce equus albus et qui sedebat super eum vocabatur Fidelis et Verax, et cum iustitia iudicat et pugnat. Oculi ... eius sicut flamma ignis et in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum quod nemo novit, nisi ipse; et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen eius Verbum Dei.*[29] Sed profecto Verbum Dei

20) Cf. S. Io. Damascenus *De Haeresibus,* (P. G. 94, 718); S. Augustinus *De Haeresibus,* haeres. 46, (P. L. 42, 37-38). 21) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses,* haeres. 77, (P. G. 42, 646); S. Augustinus *De Haeresibus,* haeres. 55, (P. L. 42, 40). 22) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses,* haeres. 31, (P. G. 41, 486-487); S. Io. Damascenus *De Haeresibus,* ibid. 94, 698; S. Augustinus *De Haeresibus,* haeres. 11, (P. L. 42, 28). 23) Cf. not. 18 praec. hom., pag. 402. 24) Rom 8, 3. 25) 1 Cor 6, 20. 26) Cf. 1 Petr 1, 19. 27) Lc 2, 21. 28) Ibid. 1, 31-32. 29) 19, 11-13.

Christus est: *In principio erat Verbum*, etc.;[30] hic sedet super equum album: Christi caro immaculata; vocatur *Fidelis et Verax*, quoniam Deus ille est de quo dicitur: *Deus fidelis et absque ulla iniquitate ;*[31] portat in capite diademata multa, quoniam est *Rex regum et Dominus dominantium*, hinc ait quod habebat *in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium*,[32] et quod omnes *exercitus qui sunt in coelo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo.*[33] *Oculi . . . eius sicut flamma ignis*, qui suapte natura est lucidus, non aliunde lumen mutuatur sicut luna a sole, sic Christus Deus est suapte natura sapiens; tandem habet vestimentum aspersum sanguine, uti videmus hodie in sacra circumcisione, et nomen *quod nemo novit, nisi ipse : Vocatum est nomen eius Iesus ; Dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur.*[34] *Nomen quod nemo novit, nisi ipse.*

**est enim nomen Verbi hominis facti,**

Moysi apparens Dominus ait: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente et nomen meum Adonai,* יְהוָה, *non indicavi eis ;*[35] sed Moysi ex speciali privilegio revelavit dicens: *Ego sum qui sum . . . sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos . . . hoc nomen mihi est in aeternum et hoc memoriale meum in generationem et generationem.*[36] Sed Christus est qui Moysi apparuit, nam: *Apparuit*, inquit, *ei Angelus* Domini *in igne flammae rubi.*[37] Christus est Angelus Domini, verus tamen Dominus: *Statim veniet ad templum* sanctum *suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis,*[38] hinc ait: *Ero qui ero*, quoniam Filius Dei futurus erat homo. Unde hoc loco revelatum Moysi fuit quod Messias vere futurus erat Deus et homo; hinc nomen quod hodie Christo imponitur, Deum hominemque significat et ob id nomen est *quod nemo novit, nisi ipse ; Deum* enim *nemo vidit unquam ;*[39] et quis potest intelligere hominem factum Deo aequalem?

**nomen quod Deum hominemque significat.**

V. Sicut in coelo multa ac pene innumerabilia sunt astra, unum tamen est omnium excellentissimum, sol, sic multa sunt Christi no-

**Nomen hoc excellentissimum est,**

30) Io 1, 1. 31) Dt 32, 4. 32) Apc 19, 16. 33) Ibid vr. 14. 34) Phil 2, 9-10. Vulg.: *Donavit illi nomen*, etc. 35) Ex 6, 2. Ms.: יהוה. 36) Ex 3, 14-15. 37) Act 7, 30. Vulg.: *Apparuit illi*, etc. 38) Mal 3, 1. 39) Io 1, 18; 1 Io 4, 12.

quia continet omnia nomina quae Christo competunt quatenus homo est

mina in Divinis Scripturis: *Vocabitur nomen eius Emmanuel;* [40] *Voca nomen eius: Accelera, spolia detrahe, festina praedari;* [41] *Et vocabitur nomen eius... consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis;* [42] *Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster;* [43] *Ecce vir, Oriens nomen eius,* [44] et innumera alia. Nam cum Deus verus sit Christus, omnia nomina Dei in Scripturis Sanctis Christi sunt, sive sint propria, uti cum dicitur · אדוני · יהוה שדי · יהוה צבאות · אלה · אל · אלהים, etc., [45] sive translata, uti cum vocatur *ignis,* [46] *lux,* [47] *sol,* [48] *fons,* [49] *petra,* [50] *rex,* [51] *pastor,* [52] *pater,* [53] et alia huiuscemodi. Cum item Christus homo sit, competunt ei omnia nomina quae quovis modo humanae naturae conveniunt; et quoniam non tantum homo, sed sanctus sanctorum, beatus beatorum, rex gloriae paradisi, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* [54] hinc, cum in Christo reperiatur omnis virtus et perfectio naturae, gratiae, gloriae et divinitatis – unde Christus mundus est vere ter maximus, – sicut quamvis mundus iste unus tantum est, quia tamen innumerae in eo reperiuntur in coelo et in terra creaturae, innumera requiruntur nomina ad exprimenda entia quae in eo reperiuntur, sic cum Christus unus sit, sed mundus ter maximus, in quo infinitae sunt virtutes et perfectiones, innumera requiruntur nomina ad ea exprimenda. Sic in coelo isto sunt innumerae stellae, sol autem virtute in se continet omnes; ita in Christo innumera nomina, sed in hoc uno continentur omnia: *Vocatum est nomen eius Iesus; Salvator, qui est Christus Dominus;* [55] *Ipse... salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* [56]

et quatenus Deus Salvator,

Non potest Deus per causam cognosci, quoniam superiores causas et principia a quibus dependeat non habet, est enim ens primum et independens; sed tantum per effectus, sicut arbor a fructibus, ignis a calore, sol a luce: Hoc est quod Moysi Dominus ait: *Posteriora*

40) Is 7, 14. 41) Ibid. 8, 3. Vulg.: *Detrahere.* 42) Ibid. 9, 6. 43) Ier 23, 6; 33, 16. 44) Zach 6, 12. 45) Ms.: *Iehovah, Adonai, Elohim, El, Eloha, Iehovah Zebaoth, Sadai.* 46) Cf. Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 47) Cf. Sap 7, 25-26; 1 Tim 6, 16; 1 Io 1, 5-7; Apc 21, 23; 22, 5. 48) Cf. Ps 83 (hebr. 84), 12; Eccli 42, 16; Is 60, 19-20; Mal 4, 2; Apc 1, 16. 49) Cf. Ps 41, 2-3; Is 12, 3; Ier 2, 13; 17, 13. 50) Cf. Ps 117, 22; Is 28, 16; 1 Petr 2, 6. 51) Cf. Ps 5, 3; 23, 10; 28, 10; 43, 5; 46, 3-8; 73, 12. 52) Cf. Gn 49, 24; Is 40, 11; Ier 17, 16; 31, 10. 53) Cf. Eccli 23, 1-4; 51, 14; Is 63, 16; 64, 8; Mt 5, 48; 6, 1 sqq.; 10, 20. 29; 23, 9. 54) Col 2, 9. 55) Lc 2, 11. 56) Mt 1, 21.

*mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* [57] Nomen autem istud divinam Christi naturam ab effectu declarat quod Christus sit mundi salvator, hominum, inquam, sanctificator, vivificator, glorificator ac beatificator in aeternum, imo deificator, faciens homines *divinae consortes naturae.* [58]

*nomen vere ineffabile et incomprehensibile.*

Sed haec quis capiat? Date mihi hominem qui vim noverit mortis, peccati, diaboli et inferni simulque virtutem gratiae Spiritus Sancti, gloriam paradisi et ipsammet totius divinitatis plenitudinem, et hic virtutem capiet divini huius nominis.

*Vocatur Iesus, quia Dominus et Salvator hominum et Angelorum.*

VI. *Vocatum est nomen eius Iesus; Nomen quod est super omne nomen,* [59] sol super omnia astra; nomen *quod vocatum est ab Angelo prius quam in utero conciperetur.* Christus et ante conceptionem et post nativitatem nomine isto vocatus est: prius ab Angelis et deinde ab hominibus, quoniam non tantum hominum, sed etiam Angelorum quoque salvator est. Hinc non ait Angelus: *Evangelizo vobis gaudium magnum... Quia natus est vobis hodie Salvator* vester, sive Dominus vester, sed *Salvator, qui est Christus Dominus;* [60] *Salvator* simpliciter sicut *Dominus,* quoniam sicut universalis est Dominus, ita universalis Salvator. Omnes Angeli paradisi fuissent sicut daemones inferni, nisi Christi virtute salvati essent. Hinc non tantum terreni homines hoc nomen adorant, sed etiam Angeli coelestes: *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum;* [60*] ita omnes hisce oculis in die universalis iudicii conspecturi sumus.

*conferens gratiam et gloriam.*

*Vocatum est nomen eius Iesus,* quoniam Deus factus est Salvator, sicut in *Exodo* legimus*: Fortitudo mea et laus mea Dominus et factus est mihi in salutem, factus est mihi pro Iesu; iste Deus meus et glorificabo eum, Deus patris mei et exaltabo eum. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* [61] De hoc etiam nomine legimus apud I s a i a m: *Ecce Deus salvator meus, Iesus meus, fiducialiter agam et non timebo... fortitudo mea et laus mea Dominus* Deus *et factus est mihi in salutem, in Iesum; haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, de fontibus*

57) Ex 33, 23. Vulg.: *Videbis posteriora mea, etc.* 58) 2 Petr 1, 4. 59) Phil 2, 9.
60) Lc 2, 10-11. 60*) Phil 2, 10. 61) Ex 15, 2-3. *Factus est mihi pro Iesu* ex hebraico: לִישׁוּעָה.

*Iesu.*[62] De hoc Habacuc in suo *Cantico: Ego autem in Domino gaudebo et exultabo in Deo Iesu meo. Deus Dominus fortitudo mea et ponet pedes meos quasi cervorum et super excelsa mea deducet me.*[63] Est Salvator conferens gratiam et gloriam: *Dominus fortitudo mea* per gratiam; quod si daemones quaerent vitam gratiae mihi auferre tanquam venatores et canes me persequendo, *ponet pedes meos tanquam cervorum*, ut fugiam ab inimicis et salver recurrens ad Dominum, ut *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, ita desideret anima mea Deum et sitiat anima mea Deum fortem,[64] quasi fontem vivum; tandem *super excelsa mea deducet me* ad gloriam paradisi. De hoc etiam legimus *Exodo* 23: *Ecce ego mitto Angelum meum* ante faciem tuam ut *custodiat* te *in via et introducat in locum quem paravi. Observa... et audi vocem eius* quia *est nomen meum in illo*,[65] hoc est quia est divinitas mea in eo, Salvator enim simpliciter nonnisi Deus esse potest.

**Vocatur *Iesus* non *Emmanuel*, quia hoc nomen in illo continetur.**

VII. Sed cur non vocatus est Christus *Emmanuel* iuxta vaticinium Isaiae: *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel?* Angelus alludens ad hoc vaticinium dixit Sanctissimae Virgini: *Concipies et paries filium et vocabis nomen eius Iesum.*[66] *Vocabis*, inquit, nam in vaticinio sic est iuxta Hebraicam Veritatem: *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabit nomen eius Emmanuel.* Angelus ergo per omnia ad vaticinium alludit, sed in nomine discordare videtur. Sic etiam cum Angelus ad Ioseph dixit: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo*, etc.[67] Sed, sancte Angele Domini, si vaticinium est ut vocetur *Emmanuel*, cur iubes ut vocetur *Iesus* et non *Emmanuel?* Quia illud est nomen naturae, hoc autem personae et nomen illud in isto continetur. Nam si puer iste

62) 12, 2-3. *Iesus meus* ex hebraico: יְשׁוּעָתִי; *In Iesum* ex hebraico: לִישׁוּעָה; *Iesu* ex hebraico: הַיְשׁוּעָה. 63) 3, 18 sq. 64) Ps 41, 2-3. 65) Vrr. 20-21. Vulg.: *Mittam. Mitto* lect. cod. 66) 7, 14. 67) Mt 1, 20-23.

Salvator est, qui populum Dei a peccatis salvabit, ergo Deus est, Deus et homo: ecce *Emmanuel, nobiscum Deus.* [68]

Sic ad divinum istud nomen omnia Christi nomina reducuntur; nam si Christus *lux* mundi dicitur ratione doctrinae, [69] utique quia Salvator; si *via* ducens ad vitam, utique quia Salvator; si *veritas* quia in promissis fidelissimus est, utique quia Salvator; si *vita*, idest auctor vitae aeternae, [70] quia Salvator; si *lapis angularis*, [71] Ecclesiae fundamentum, [72] quia Salvator; si *pastor ovium* Dei, [73] quia Salvator. Sic tandem omnia Christi nomina in isto continentur. Ut enim sit Christus verus et perfectus Salvator, necesse est ut sit verus auctor naturae, verus fons gratiae, verus thesaurus gloriae, vivus et verus Deus et homo factus Deo aequalis.

**Christus enim verus et perfectus est Salvator, quia Deus homo.**

VIII. Isaias cum dixisset quod *parvulus natus est nobis*, multis nominibus declaravit personam parvuli huius dicens: *Et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis super solium David* [74] *et super regnum eius, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia amodo et usque in sempiternum.* [75] Quam multa dicit ad declarandam personam parvuli huius! Quod sit Filius Dei: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* [76] quod sit rex mundi, *portans .... omnia verbo virtutis suae*, etc. [77] Sed haec omnia in nomine Iesu continentur, *quod est* nomen *super omne nomen.* Sicut enim coelum quod est super omnes alios coelos, continet intra se omnes alios coelos, ita nomen istud, cum sit *super omne nomen*, continet omne aliud nomen Christi et Dei.

**Isaias multa dicit ad declarandam personam huius parvuli, sed omnia in nomine *Iesu* continentur,**

Isaias ad declarandam personam huius parvuli iterum alibi dixit: *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus*, etc. [78] Sed Lucas ad declarandam personam Christi pueri huius: *Ut circumcideretur puer*, hoc tantum dicit: *Vocatum est nomen eius Iesus*, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis, in quo sunt om-*

**est enim hoc nomen veluti compendium omnium nominum Dei et Christi.**

68) Ibid. vr. 23. 69) Io 3, 19; 8, 12; 9, 5; 12, 46. 70) Ibid. 14, 6. 71) 1 Petr 2, 6-8. 72) Cf. 1 Cor 3, 11-12. 73) Io 10, 11-16. 74) Ms.: *Eius* loco: *David*. 75) 9, 6-7. Sic legitur ex hebraico. 76) Io 3, 16. 77) Hebr 1, 3. 78) 11, 1-2.

*nes thesauri sapientiae et scientiae* Dei.[79] Sicut Deus postquam creavit magnum hunc mundum, fecit hominem *ad imaginem et similitudinem suam,*[80] qui totius universi compendium et epilogus est, sic divinum hoc Christi nomen veluti summa est omnium Dei et Christi nominum, quae in universa Scriptura Sacra continentur. Est nomen istud inter divina nomina sicut sol inter astra, sicut homo inter animalia, sicut Deus inter Angelos: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur,* ideo multis nominibus insignitus est Christus in Divinis Litteris ut virtus nominis huius declararetur.

**Ideo vere adorandum.**

Divinum hoc nomen secum rationem affert cur sit tantopere adorandum et venerabile. Nabuchodonosor videns quod Deus liberaverat tres iuvenes fideles et sanctos de fornace ignis ardentis, edidit decretum ut si quis Deum Hebraeorum blasphemaret, periret cum universa domo sua;[81] et Darius rex, viso quod Danielem Deus de lacu leonum salvaverat, promulgavit per universum regnum et imperium suum edictum ut omnes timerent et adorarent Deum Danielis tanquam vivum et verum Deum in saecula aeternum.[82]

## III. ALIA HOMILIA

*Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod, etc.*[1]

**Quattuor mysteria de Christo continet hodiernum Evangelium.**

I. Quattuor mysteria video in sacrosancto hodierno Evangelio, vere mirabilia, vere supra modum stupenda. Salomon quattuor mysteria Christi dixit miranda sibi esse: *Tria mihi difficilia sunt,* mirabilia supra me, quae capacitatem meam excedunt, imo quattuor non cognovi ea: *viam aquilae in coelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari et viam viri in virgine.*[2] Sunt autem haec quattuor Christi mysteria ordine retrogrado: mysterium nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis Christi, qui sacrum animal est apud

79) Col 2, 3. 80) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 81) Cf. Dn 3, 91-96. 82) Cf. ibid. 6, 19-26.

1) Lc 2, 21. 2) Prv 30, 18-19. Vulg.: *Tria sunt difficilia mihi... viam viri in adolescentia. Viam viri in virgine* ex hebraico.

Ezechielem habens quattuor facies: hominis, vituli, leonis et aquilae[3] ob quattuor naturae humanae status in ipso: statum innocentiae, poenae, gratiae et gloriae, quae Rex David admiratus est: *Quid est homo quod memor es eius ?* etc.: hic status innocentiae mysteriumque nativitatis; *Minuisti eum paulo minus ab Angelis* propter passionem carnis: mysterium passionis et status poenae; *Gloria et honore coronasti eum:* mysterium resurrectionis et status perfectae gratiae, et tandem: *Omnia subiecisti sub pedibus eius:* [4] mysterium ascensionis et status perfectae gloriae Christi sedentis ad dextram Dei.

**quibus respondent quattuor humanae naturae status.**

Nos quoque haec eadem mysteria contemplari possumus hodie in sacro Evangelio: statum innocentiae ob quam Christus dicitur *puer* propter infinitam ac Deo aequalem puritatem et innocentiam; statum passionis et poenae, quia circumciditur et effundit sanguinem; statum gratiae et gloriae, quia praeterea *Salvator* dicitur: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* [5]

Sed non haec contemplari libet. Loquitur procul dubio sacrum Evangelium de Christo, qui vivus et verus est Deus. De Deo autem quattuor praecipue praedicant Sacrae Litterae Divinaeque Scripturae: primum est, quod est aeternus, nunquam habuit principium, semper fuit infinitis saeculis antequam mundus crearetur; secundum est, quod est infinitae magnitudinis, quem coeli et coeli coelorum capere non possunt,[6] mundus totus, mille mundi ac millies mille mundi; tertium est, quod sit omnino immortalis et impassibilis: *Qui solus habet immortalitatem,*[7] qui solus beatus et gloriosus est: *Beatus et solus potens* Deus;[8] *Soli Deo honor et gloria;*[9] quartum tandem est, quod Deus est intellectu incomprehensibilis et lingua ineffabilis; hinc cum nomina cognitis rebus imponantur ad exprimendas proprietates declarandasque rerum naturas, Deus, cum sit incomprehensibilis et ineffabilis, nominari a nobis non potest pro dignitate.

**Quattuor de Deo docent Sacrae Litterae: aeternitatem, immensitatem, immortalitatem, ineffabilitatem:**

Et tamen sacrosanctum hodiernum Evangelium ostendit Deum aetatis octo dierum: *Postquam consummati sunt dies octo;* ostendit eum puerum, infantem, parvulum; ostendit eum circumcisum, vulneratum, cruentatum, passum: *Ut circumcideretur puer;* tandem ostendit eum nominatum: *Vocatum est nomen eius Iesus.* Bone Deus, quid

**et tamen hodie ostenditur natus in tempore, parvulus, vulneratus et nominatus;**

3) Cf. 10, 14. 4) Ps 8, 5-8. 5) Ps 83, 12. 6) Cf. 3 Rg 8, 27. 7) 1 Tim 6, 16. 8) Ibid. vr. 15. 9) Ibid. 1, 17.

aeternitati cum tempore et aetate octo dierum? Quid infinitae magnitudini Dei cum parvitate infantuli et pusillitate parvuli pueruli? Quid impassibili gloriae Dei cum humilitate et passione circumcisionis? Quid incomprehensibili et ineffabili Deitati cum nomine Iesu?

**Christus enim Verbum Dei aeternum est;**

*Vocatum est nomen eius Iesus.* Filius Dei, cum sit verus Deus, aeternus est, ante omnem creaturam. Sic Ioannes ostendit dicens: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* [10] Sic Salomon loquens de sapientia Dei, quae Christus est, virtus et sapientia Dei: [11] *Dominus possedit me in initio viarum suarum, ante quam quicquam faceret a principio; ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret,* etc. [12]

**sed quia Deus factus est homo, Deus aeternus factus est temporalis, parvulus, passibilis,**

Sed quia *Verbum caro factum est,* Deus factus est homo, aeternus factus est temporalis; qui supra coelum erat, ubi non est tempus, factus est sub coelo, ubi omnia tempore mensurantur, ut homo qui supra terram temporalis erat, fieret in paradiso supra coelum aeternus, cum Deo et Angelis eius vitam ducens aeternam, nunquam finituram. Quare tempus hoc parit aeternitatem et ideo tempus est octo dierum, octavus dies, finita hebdomada redit ad principium, ad primum diem; mundi autem principium aeternitas est, nam ante quam mundus fieret, non erat tempus, non motus, non coelum, sed sola aeternitas, solus aeternus Deus. Factus est aeternus Deus temporalis homo, ut homo temporalis fieret aeternus veluti Deus; factus est Deus homo, ut homo fieret Deus, Deus magnus, maximus, ter maximus; factus est puer parvulus, ut homo parvus fieret magnus Deus; circumcisus est, factus est sub lege, ut Paulus ait: *Factum ex muliere, factum sub lege,* sed *ut eos qui sub lege erant redimeret et adoptionem filiorum reciperemus;* [13] factus est sub lege, ut nos liberaret a gravi iugo legis; factus est ex muliere, filius mulieris, ut nos Dei filios constitueret.

**ut homo fieret Deus aeternus et maximus, veluti filius Dei constitutus.**

II. Non sine causa autem in circumcisione et sanguinis effusione Christus nomen accipit Salvatoris, sed ad ostendendum quod sanguine suo mundum salvaturus a peccatis erat. Circumcisio hodierna typus

10) 1, 1-3. 11) Cf. 1 Cor 1, 24. 12) Prv 8, 22-23. 13) Gal 4, 4-5. Vulg.: *Ut adoptionem,* etc.

fuit passionis Christi. Opus erat sanguine et sanguine humano et sanguine purissimo ac innocentissimo ad delenda peccata. Sanguine quidem, hinc Deus animalia sacrificari sibi iussit;[14] sanguine autem humano et innocenti, hinc voluit infantes octo dierum circumcidi.[15] Sed omnis sanguis impurus coram Deo, solus sanguis pueri huius purus est: *Ut circumcideretur puer:* viso sanguine hoc, placatur ira Dei et homo salvatur. Hoc est quod in *Exodo* legimus: occurrit Deus Moysi pergenti in Aegyptum et voluit occidere eum; quod videns Sephora Moysi uxor, statim circumcidit filium suum sanguinemque fudit innocentem; viso autem sanguine illo innocente, Deus placatus abiit.[16] Hebraei in Aegypto sanguine innocentis agni salvati fuerunt a plaga mortis primogenitorum.[17]

**Circumcisio hodierna typus fuit passionis Christi.**

Quia igitur ad salvandum populum Dei a peccatis requirebatur sanguis innocens et purissimus, ideo Christus puerulus octo dierum circumcisus et sanguine proprio cruentatus, nomen adeptus est Salvatoris. Cum autem in cruce totum sanguinem pro mundi salute effudit, nil minus innocens et purus, absque ulla penitus macula vel minimi peccati erat Christus quam fuerit in circumcisione; ideo a Ioanne cum triginta annorum esset, *agnus* est appellatus: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*[18] Agnus innocens Christus vir factus sicut puer octo dierum. Non placabatur Deus in sacrificiis quae pro peccatis offerebantur, nisi sanguine innocenti mundorum animalium; oportebat autem simul munda et immaculata esse animalia, quae ex praescripto divinae legis Deo pro peccatis offerenda erant ad placandam iram mitigandamque Deitatem iratam.[18*]

**Opus erat sanguine humano et innocenti ad delenda peccata, ideo Christus hodie circumciditur.**

III. *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer.* Pro peccatis nostris circumciditur purissimus iste puer, ad acquirendam nobis possessionem salutis aeternae, quam per peccatum Adae amisimus. Sicut enim Esau vilissimo pretio vendidit hereditatem primogeniturae Iacobo,[19] ita Adam pro uno pomo arboris scientiae boni et mali vendidit antiquo serpenti perpetuam hereditatem paradisi.[20] Est autem divinae legis statutum ut si quis, paupertate urgente, coac-

**Circumciditur Christus ut nobis acquirat possessionem salutis aeternae.**

14) Cf. Lc 4, 1-8, 1 sqq. 15) Cf. Gn 17, 12. 16) Cf. 4, 24-26. 17) Cf. ibid. 12, 3-23. 18) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 18*) Cf. Lv 1, 1 sqq. 19) Cf. Gn 25, 29-33. 20) Cf. ibid. 3, 1 sqq.

tus necessitate, vendiderit possessionem suam, possit, cum venerit ad pinguiorem fortunam, eam redimere, vel propinquus et consanguineus ipsius.[21] Sic Christus venit in hunc mundum factus hominis propinquus, ut venditam ab homine possessionem paradisi redimeret pretio sanguinis sui. Sic ait Petrus: *Non enim corruptibilibus auro et argento redempti estis ... sed pretioso sanguine ... Agni immaculati et incontaminati Christi;*[22] sic et Paulus ait: *Empti enim estis pretio magno.*[23] Pretium utique magnum est et inaestimabile patri sanguis et vita unici filii supra modum dilectissimi, quem nec pro toto auro venderet aut daret; Christus autem soluturus universum hoc pretium in cruce, hodie dat Patri arrham in signum futurae redemptionis.

**Duo mysteria proponuntur hodie: circumcisionis et nominis impositionis.**

IV. *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est,* etc. Duo habemus ineffabilia Christi mysteria in hoc sacrosancto Evangelio: mysterium circumcisionis et mysterium impositionis nominis, *quod est super omne nomen,*[24] compendium omnium nominum divinitatis, sicut homo compendium est totius universi et imago Dei. Est nomen veluti imago repraesentans id quod nomine et voce significatur; sic nomen hoc imago quaedam Christi est totum Christum repraesentans quasi in magno speculo.

**Multa legimus Dei nomina, nomen autem *Iesus* omnia continet;**

Multa Dei nomina legimus in Sacris Litteris: aliquando appellatur אֵל, aliquando אֱלֹהַּ, nunc אֱלֹהִים, nunc אֶהְיֶה, nunc יְהוָֹה, nunc אֲדֹנָי, modo שַׁדַּי, aliquando עֶלְיוֹן, vocatur יָהּ, nonnunquam יְהוָֹה צְבָאוֹת;[25] sed omnia in hoc nomine continentur. יָהּ significat ens, אֶהְיֶה ens primum, יְהוָֹה subsistens, אֵל potens, אֱלֹהַּ numen divinum, אֱלֹהִים divina numina, שַׁדַּי sufficiens, אֲדֹנָי Dominum, sive Dominos, אֶלְיוֹן altissimum, יְהוָֹה צְבָאוֹת Dominum exercituum, idest omnipotentem. Hoc autem nomen virtute omnia conti-

21) Cf. ibid. 25, 47-49. 22) 1 Petr 1, 18-19. Vulg.: *Vel argento... immaculati Christi et incontaminati.* 23) 1 Cor 6, 20. 24) Phil 2, 9. 25) *Ms.: El, Eloah, Elohim, Ehieh, Iehovah, Adonai, Sadai, Elion, Iah, Iehovah Zebaoth,* sic et infra.

net, si intelligatur quidnam sit salvare a peccato, a potestate diaboli, a morte aeterna et conferre homini immortalitatem, vitam perpetuam omnemque felicitatem. Declarat Angelus divini huius nominis significationem: *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum*, etc.[26] Evangelista vero hodie nominis huius excellentiam ac dignitatem manifestat: *Quod*, inquit, *vocatum est ab Angelo prius quam in utero conciperetur.*[27] Non inquit: impositum est ab Angelo, sed *vocatum*, manifestatum: *Vocabis nomen eius Iesum;* a Deo impositum est, sed per Archangelum revelatum ac manifestatum Virgini Sanctissimae et Beato Ioseph. Hoc nomen proprium Christi est, non est metaphoricum, sicut cum dicitur *lux, via, pastor, ostium, petra, sol*, etc.,[28] sed proprium et peculiare Christo; non commune aut appellativum, sed personale. Si dicitur *Christus*, nomen est dignitatis; sed cum dicitur *Iesus*, est nomen personae.

**Christus enim nomen est dignitatis, *Iesus* autem personae,**

Hoc nomine in Sacris Litteris appellatos legimus homines et Deum, nam ubicunque legimus *Deum salvatorem* aut *Dei salutare*, semper hebraicum est nomen *Iesu: Converte nos, Deus salutaris noster, Deus Iesus noster;*[28a] *Ecce Deus salvator meus, Deus Iesus meus;*[29] *Exultabo in Deo Iesu meo;*[30] quoniam nomen hoc personam significat quae simul est Deus et homo. Sic virtute continet omnia Messiae nomen[31] in Sacris Litteris: *Vocabitur nomen eius Emmanuel;*[32] *Voca nomen eius: Accelera, spolia detrahe, festina praedari:*[33] *Vocabitur... admirabilis... Deus*, etc.[34]

**quod significat Salvatorem, Deum et hominem.**

Est nomen hoc divina impositum auctoritate et angelico ministerio. Ubicunque autem legimus impositum alicui nomen a Deo, signum est singularis gratiae et benevolentiae divinae, signum magnae et mirabilis dignitatis, sicut in Abraham et Sara,[35] sicut in Iacob[36] et Gedeone,[37] in Ioanne Baptista[38] et Petro.[39] Christo autem non est impositum nomen hoc in aetate adulta, sed a nativitate, sicut Iasac[40] et Ioanni Baptistae, quoniam Isaac suo ortu laetificavit patrem certamque spem dedit venturi Messiae et Ioannes ex utero

**Est nomen hoc divina auctoritate impositum, quia ab ortu suo coepit Christus salutem mundi operari;**

26) Mt 1, 21. 27) Lc 2, 21. 28) Cf. not. 47-48. 50. 52 hom. praec., pag. 414.
28a) Ps 84 (hebr. 85), 5. יִשְׁעֵנוּ. 29) Is 12, 2. יְשׁוּעָתִי. 30) Hab 3, 18. יִשְׁעִי.
31) Ms.: *Nomine.* 32) Is 7, 14. 33) Ibid. 8, 3. Vulg.: *Detrahere.* 34) Ibid. 9, 6.
35) Cf. Gn 17, 5-15. 36) Cf. ibid. 32, 28. 37) Cf. Idc 6, 2. 38) Cf. Lc 1, 13.
39) Cf. Mc 3, 16; Lc 6, 14; Io 1, 42. 40) Cf. Gn 21, 3.

matris repletus fuit gratia Spiritus Sancti;[41] sic Christus a suo ortu coepit mundi salutem operari divina virtute. Hinc appellatur *Salvator*, nomen dignitatis et honoris, non solum quia divinam indicat naturam et maiestatem, sed etiam virtutem qua victoriam atque triumphum reportaturus erat, victis hostibus, mundo, diabolo, peccato, inferno et morte.

Ideo nomen est infinitae consolationis hominibus.

Tandem nomen est hominibus infinitae consolationis, declarat enim quod Christus est nobis infinitus thesaurus ac perennis fons et origo omnibus hominibus omnium bonorum. Isaias manifestat divinam hanc consolationem: *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi ; conversus est furor tuus et consolatus es me. Ecce Deus salvator meus, Iesus meus, fiducialiter agam et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem, in Iesum. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, Iesu... quoniam excelsum est nomen eius.*[42]

## IV. ALIA HOMILIA

*Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus.*[1]

In omnibus Christi mysteriis elucet gloria divinitatis cum humilitate humanitatis,

I. Sicut Deus in mundi initio simul creavit altissimum coelum et terram infimam rebusque omnibus subiectam, illud nobilissimum, hanc autem vilissimam, illud clarissimum hanc obscurissimam,[2] ita cum in persona Christi, quando *Verbum caro factum est*,[3] coniunxerit Deus altitudinem divinitatis suae cum humilitate humanitatis nostrae, ad comprobandam utriusque naturae veritatem in omnibus fere Christi mysteriis elucet gloria divinitatis cum humilitate humanitatis. Si enim in nativitate Christi magna fuit humilitas, quod pannis involutus infans positus fuit in praesepio,[4] magna fuit divinitatis gloria quod pastoribus ab Angelo nunciata nativitas fuit: *Ecce .... evangelizo vobis gaudium magnum ... quia natus est vobis ... Salvator, qui est Christus Dominus.*[5] Similiter in morte Christi, si magna

sic in nativitate et in passione.

41) Cf. Lc 1, 15. 42) 12, 1-4. cf. not. 62 praec. hom., pag. 416.

1) Lc 2, 21. 2) Cf. Gn 1, 1-2. 3) Io 1, 14. 4) Cf. Lc 2, 7.
5) Ibid. vrr. 10-11.

fuit humanitatis humilitas in cruce mori inter infames latrones tanquam scelerosum,[6] gloria fuit divinitatis quod *tenebrae factae sunt super universam terram*, quod *petrae scissae sunt . . . monumenta aperta sunt et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt.*[7]

II. In hodierno etiam Evangelio magna elucet tum humilitas tum gloria Christi: humilitas dum circumciditur, et gloria dum *Salvator* appellatur. Haec duo P a u l u s exaggeravit dicens: *Hoc . . . sentite in vobis quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur.*[8]

Hodie etiam magna elucet tum Christi humilitas, tum gloria.

Magna humilitas quoniam venit *in similitudinem carnis peccati.*[9] Sicut enim qui hominum iniuria amputatas habet aures latro reputatur, quoniam hac poena puniri solent latrones qui non merentur affici ultimo supplicio,[10] et sicut quisquis medelam sumit, indicat se aliquam infirmitatem aut indispositionem et malam valetudinem pati, ita Christus hodie eousque humiliavit seipsum, ut sicut ceteri Adae filii peccator reputari voluerit, circumcisio enim remedium erat contra originale peccatum. Sic *exinanivit semetipsum formam servi accipiens.*

Elucet humilitas, quia tanquam peccator circumciditur,

Sed quid est quod ait *servi* simpliciter? Servus alicuius domini servus [est]; cuinam domino se subiecit Christus? cuius domini factus est servus? *Formam servi accipiens*, formam servi Dei: *Ecce intelliget servus meus.*[11] Si venisset Christus in gloria maiestatis, sicut venturus est ad iudicandum mundum,[12] vel sicut ascendit in coelum,[13] aut sicut in gloriosa transfiguratione apparuit,[14] accepisset formam Filii, sicut I o a n n e s ait: *Vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre;*[15] sed venit in humilitate et paupertate, quasi merus homo; ideo formam servi accepit.

venit enim ut servus

6) Cf. Mt 27, 38; Mc 15, 17-28; Lc 22, 32-33; Io 19, 18. Ms.: *Scelerosus.* 7) Mt 27, 45. 51-52. 8) Phil 2, 5-10. Vulg.: *Donavit illi nomen*, etc. 9) Rom 8, 3. 10) Cf. Beyerlinck *Theatrum Vitae Humanae*, sub voce: *Auris.* 11) Is 52, 13. 12) Cf. Mt 25, 31. 13) Cf. Act 1, 9-11. 14) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 1-6; Lc 9, 28-31. 15) 1, 14.

non tantum Dei, sed etiam naturae,

Nec tantum accepit formam servi Dei, cum esset Filius Dei, sed etiam formam servi naturae. Nam Angeli et Beati in gloria sunt quidem servi Dei, sed non servi naturae; homo autem passibilis et mortalis naturae servus est, nam Paulus *ad Romanos* ait quod *vanitati... subiecta creatura est*, et quod *liberabitur* aliquando *a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* [16] Christus autem fieri voluit etiam servus naturae, subici legibus naturae; voluit esse subiectus fami, siti, frigori, nuditati et naturalibus necessitatibus, sicut quilibet alius homo.

servus legis et mortis;

Et amplius fieri voluit servus legis. Sic Paulus ait quod *misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege;* [17] sic hodie iuxta divinae legis praescriptum circumciditur. [18] Et insuper fieri voluit servus mortis, subiectus morti, voluit esse homo mortalis, sub mortis imperio, hinc hodie sanguinem spargit, cuius effusione deficit et moritur homo.

non suscepit servitutem peccati, sed speciem induit peccatoris, ut fieret mundi Salvator.

Adhuc autem legimus servitutem peccati et diaboli: *Qui facit peccatum, servus est peccati,* [19] et: *Venit... princeps mundi huius.* [20] Hanc autem servitutem quam subiit homo divinum transgrediendo mandatum, [21] Christus suscipere nullatenus voluit, sed speciem huius servitutis veniens *in similitudinem carnis peccati;* hinc tentari voluit a satana. [22] Finxit se quodammodo Christus servum peccati et diaboli, sicut Chusai arachites finxit se servum Absalom ut Davidi morem gereret et Absalomi impiam seditionem dissolveret. [23] Omnis homo erat per peccatum servus diaboli; venit Christus in similitudinem homo factus, quasi ipse quoque servus esset satanae, ut dissolveret opera diaboli[24] et sic fieret Salvator mundi et ipso opere nomen sortiretur Iesu, idest Salvatoris.

Tanta fuit humilitas Christi!

Magna Christi humilitas: voluit propter Deum et ex humanae salutis desiderio subicere seipsum notae et infamiae peccati, sicut sanctus Ioseph propter Deum subire voluit iniuriam infamiamque delicti; [25] viro nobili et honorato nihil intolerabilius quam infamia qua laeditur honor.

16) Rom 8, 20-21. Vulg.: *Vanitati... creatura subiecta est,* etc. 17) Gal 4, 4. 18) Cf. Gn 17, 10-14; Lv 7, 2-3. 19) Io 8, 34. 20) Ibid. 14, 30. 21) Cf. Gn 3, 1 sqq. 22) Cf. Mt 4, 3-11; Mc 1, 13; Lc 4, 3-13. 23) Cf. 2 Rg 15, 32 sqq.; 16, 15-19; 17, 5-16. 24) Cf. 1 Io 3, 4-8. 25) Cf. Gn 39, 7-20.

Circumcisio figura extitit passionis Christi.

Circumcisio autem figura extitit passionis et mortis Christi, designans quod innocentissimo sanguine delendum erat originale peccatum. Christus autem nil minus innocens erat cum mortuus fuit quam cum circumcisus, hinc a Ioanne Baptista indicatus digito, cum iam virilis esset aetatis, appellatus fuit *Agnus Dei: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*[26] Christus autem tanquam scelerosus mortuus est inter latrones, gravissimis poenis et cruciatibus affectus, ac si esset scelestissimus homo et ipsamet sceleritas et ipsummet peccatum.

Christus circumcidi voluit non tantum carne, sed etiam spiritu.

III. Elucet autem in hodierno mysterio argumentum infinitae caritatis Christi erga nos, cum tam cito sese pro nobis exposuerit acerbissimo dolori mortisque periculo in cruenta circumcisione. Videmus autem Christum non tantum carne, sed etiam corde et opere propter nos circumcisum. Potuisset Christus procul dubio et desiderare et quaerere et possidere in mundo hoc temporalia bona, divitias, dignitates, delicias et voluptates sicut Adam in paradiso, sicut Salomon in Ierusalem;[27] sed propter nos renuit haec Christus et pati voluit paupertatem, ignominiam et poenas multas. Sic videmus Christum omni ex parte circumcisum.

Nos quoque circumcidi oportet, cum simus eius corpus mysticum.

Scimus autem quod Christus non habet tantum corpus naturale et proprium quatenus singularis persona et particulare individuum naturae humanae, habet etiam corpus mysticum, quod est sancta Ecclesia: *Vos... estis corpus Christi et membra de membro.*[28] Cum igitur nos quoque simus corpus Christi, nos etiam circumcisos esse oportet, nam per circumcisionem discernebatur populus Dei ab infidelibus gentilibus, idololatris. Circumcisos nos esse oportet, amputata et resecata omni superfluitate carnis: *Qui* enim *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*[29] Iosue ingressus terram promissionis, iussus fuit secundo circumcidere populum, quoniam in deserto circumcisus non fuerat.[30] Iosue Christi figuram gerit, desertum synagogae sub lege Moysi, terra promissionis Ecclesiae sub Evangelio Christi, sicut Iordanis symbolum est Baptismi. Non fuit

26) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata.* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae.
27) Cf. 3 Rg 10, 23 sqq.; 2 Par 9, 22-28. 28) 1 Cor 12, 27. 29) Gal 5, 24.
30) Cf. Ios 5, 2-7.

circumcisus populus in deserto secunda circumcisione: non praecipiebat lex Moysi carnis mortificationem et contemptum mundi, non consulebat statum perfectionis, voluntariam paupertatem, caelibatum et coelestem in terris conversationem; hanc secundam circumcisionem Iosue dux populi effecit, hoc speciale Christi opus est. Circumcidamus ergo nos ipsos gladio spiritus, *quod est verbum Dei;* [31] *Vivus est enim sermo Dei et efficax*, etc.; [32] circumcidamus opera superflua, verba superflua, cogitationes et desideria cordis superflua, quia ex hac circumcisione spirituali veri agnoscemur christiani, sine qua Deo et Christo minime placere poterimus.

**Sumus omnes arbores silvestres; circumcisione opus est ut inseramur in bonam olivam.**

Nos omnes ob naturam peccato corruptam sumus veluti arbores silvestres, sicut caprificus, sicut oleaster, ut Apostolus ait;[33] si in bonam olivam, in bonas arbores inseri volumus ut bonos fructus faciamus, circumcisione opus est, praecisione inutilium ramorum, nam alioquin silvestres arbores infrugiferae non sunt natae nisi ad ignem: *Omnis... arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* [34] Nos sumus sicut vitis, quae ut bene fructificet, putatione opus habet et amputatione inutilium palmitum.

**Imprimis necesse est ut principes et patres familias seipsos circumcidant ab omni vitio.**

IV. Duabus personis factum legimus speciale mandatum circumcisionis: Abrahae ut circumcideret seipsum et omnes masculos familiae suae, et Iosue principi ut circumcideret universum populum, cuius princeps iam constitutus erat. Non iussit huic Deus ut circumcideret seipsum, quoniam iam in Aegypto Iosue fuerat circumcisus. O utinam patresfamiliarum et principes divina haec mandata intelligerent! Si paterfamilias es, mandat Deus ut teipsum circumcidas ab omni vitio, ne familiae tuae des scandala et malis exemplis tuis eam pertrahas in gehennam; deinde ut universam familiam tuam circumcidas ab omnibus vitiis et peccatis. Principem autem necesse est circumcisum esse ab omni vitio, quoniam Dei personam gerit, Dei locum tenet in terris, viva Dei imago est, viva iustitia et lex animata. Huius opus est populum circumcidere ab omnibus publicis malis et ab omni publica vitiorum pernicie, sicut Moyses destruxit aureum vitulum,[35] sicut Ezechias[36] et Iosias[37] sanctissimi reges abstulerunt

31) Eph 6, 17. 32) Hebr 4, 12. 33) Cf. Rom 11, 24. 34) Mt 3, 10. 35) Cf. Ex 32, 19-20. 36) Cf. 4 Rg 18, 4; 2 Par 29, 1 sqq. 37) Cf. 4 Rg 23, 1-25; 2 Par 34, 1 sqq.

et destruxerunt omnia idola, sicut Iosue ad nihilum fere Chananaeos omnes redegit. [38]

O mundum ter quaterque beatum, si patresfamiliarum et principes tum saeculares tum spirituales divina haec exequerentur mandata! Nam hoc est quod Deus Aaroni iussit, ut per singulos dies concinnaret emungeretque lucernas aurei candelabri. [39] Lucernae autem, dum emunguntur, veluti circumciduntur. Aureum autem illud candelabrum Ecclesiae hieroglyphicum erat et septem lucernae multitudinem fidelis populi designabant. Emungendae erant sacerdoti lucernae: circumcidendi sunt Episcopis, sacerdotibus et praelatis populi fideles, amputandae sunt omnes causae et occasiones malorum quae scandalo possunt esse.

**deinde ut circumcidant sibi subiectos, auferendo causas et occasiones peccatorum.**

*Postquam impleti sunt dies octo ut circumcideretur puer,* etc. Multis de causis voluit Dominus Iudaeorum more circumcidi, sed praecipua causa quae ad hoc eum impulit fuit amor, sicut Sichem princeps Sichimorum circumcidi voluit ex amore, ut sic posset Dinam pulcherrimam filiam Iacob accipere uxorem. [40]

**Christus circumcidi voluit praecipue ex caritate.**

## V. ALIA HOMILIA

*Deus exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur,* etc. [1]

I. Sicut coelum quod est super omne coelum, est omnium maximum et omnium nobilissimum, quoniam in mundi huius mirabili constitutione superiora corpora continent intra se inferiora et quo superiora sunt et loco eminentiora eo sunt etiam nobiliora, sicut coelum maius et nobilius terra est, sol maior et nobilior luna, ita inquit Apostolus quod divinissimum hoc nomen Iesu *est super omne nomen,* idest maximum et nobilissimum omnium nominum et quod virtute omnia continet, sicut coelum supremum omnes alios coelos et elementa cum omnibus quae in eis sunt: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen.*

**Nomen Iesu nobilissimum est omnium nominum.**

38) Cf. Ios 12, 1 sqq. 39) Cf. Ex 27, 21; Lv 24, 2-4. 40) Cf. Gn 34, 1-24.

1) Phil 2, 9-10. Vulg.: *Donavit illi,* etc.

Multipliciter Deus nominatur;

Divinorum nominum quaedam significant divinam essentiam et naturam, ut יְהוָה et אֶהְיֶה; quaedam divinam potentiam et maiestatem, ut *Deus exercituum*, idest omnipotens, ut שַׁדַּי,[2] idest sufficiens absolute, qui omnia potest; quaedam bonitatem, misericordiam, caritatem, clementiam et benignitatem Dei, ut cum dicitur *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis*,[3] cum dicitur *sponsus*,[4] *pastor*,[5] *medicus*;[6] alia tandem divinam sapientiam et omniscientiam, qua *omnia ... nuda et aperta sunt oculis eius*.[7] Sacra theologia in quattuor partes divisa est: in prima agitur de divina natura, in secunda de potentia creante, in tertia de sapientia redimente et in quarta de bonitate glorificante.

sed nomen Iesu virtute continet omnia Dei nomina et declarat divinam potentiam, dicitur enim *Salvator*,

Divinissimum autem hoc Christi nomen virtute omnia haec Dei nomina continet, ideo nomen *est super omne nomen*. Continet nomina significantia divinam essentiam et naturam, quoniam absolutus Salvator esse non potest nisi Deus, sicut nec creator; Christus autem absolute dicitur *Salvator: Ipse ... salvum faciet populum suum a peccatis eorum*;[8] sed *quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*[9] Continet nomina divinae potentiae, quoniam cum dicatur simpliciter *Salvator*, solus ipse intelligendus est Salvator; salvare autem a peccatis opus est infinitae potentiae. Nam ad conferendam salutem hanc necesse est salvare hominem a morte, nam per peccatum intravit mors in mundum,[10] salvare a potestate diaboli, ab ira Dei et a poenis inferni. Ad salvandum autem universum genus humanum ab omnibus hisce malis quis nesciat quod virtus et potentia requiritur infinita? Quaenam creata virtus potest superare mortem, suscitare et ad vitam revocare defunctum hominem? Salvator autem hic omnes homines iam ab initio defunctos est suscitaturus: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*;[11] *Ego sum resurrectio et vita*;[12] *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei*.[13] Quis item nesciat quod diabolus gigas est fortissimus et

quia salvat ab omnibus malis, ab ipsa morte et a potestate diaboli,

2) Ms.: *Iehovah, Ehieh, Scadai.* 3) 2 Cor 1, 3. 4) Cf. Ps 18, 6; Is 62, 5; Os 2, 19-20; Apc 21, 9; 22, 17. 5) Cf. Gn 49, 24; Is 40, 11; Ier 17, 16; 31, 10. 6) Cf. Dt 32, 39; Ps 6, 3; 29, 3; 40, 5; 102, 20; 106, 20; Is 30, 26; Ier 30, 17; Mt 9, 13. 7) Hebr 4, 12. 8) Mt 1, 21. 9) Lc 5, 21. 10) Cf. Sap 2, 24; Rom 5, 12. 11) 1 Cor 15, 22. 12) Io 11, 25. 13) Ibid. 5, 28.

potentissimus? *Non est potestas super terram quae comparetur ei;* [14] *Cum fortis armatus custodit atrium suum*, sed si fortior venerit, vincet eum; *In digito Dei eicio daemonia.* [15] Sic ipse est Deus exercituum, Deus potentissimus, qui solus omnes vicit daemonum innumerabiles exercitus, sicut solus Samson mille vicit armatos Philisthaeos inermis; [16] sic Christus solo verbo ab uno homine expulit legionem pessimorum daemonum [17] innumeraque miracula edidit ad ostendendum se vere Salvatorem esse perfectumque liberatorem ab omni malo et quod potestatem haberet dimittendi peccata, [18] quod solius divinae est potestatis. Sic nomen Iesu divinam potentiam manifeste declarat.

**quod solius est divinae potestatis.**

II. Nec tantum divinam potentiam, sed etiam divinam sapientiam. Aliquando Christus ad declarandum quomodo sit mundi Salvator, dixit se medicum esse: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus... Non... veni vocare iustos, sed peccatores;* [19] hinc curabat omnes infirmitates et languores. [20] Necesse est autem ut medicus sapiens sit et valde peritus in arte, ut cognoscat infirmitates et causas morborum ad applicanda convenientia remedia et medicamenta, ut infirmum rite noverit curare praeparando, disponendo, purgando, restaurando et praeservando et pro viribus conservando in bona valetudine optimis vitae regulis et praeceptis. Christus autem medicus est animarum, infirmitates autem animarum vitia sunt et peccata; causae autem et radices vitiorum in corde sunt, in intimis animi partibus et secessibus. Humanum autem cor soli Deo patet: *Scrutans corda et renes Deus,* [21] solus Deus novit omnium hominum corda et mentes, hinc dicitur *Deus vivens* et *videns,* [22] quia omnia videt, omnia novit. Ad salvandum ergo mundum totus requirebatur divinae sapientiae thesaurus, et sic Paulus ait quod in Christo sunt reconditi *omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei. [23] Hinc Christus non tantum ad declarandam divinam potentiam suam innumera miracula edidit, sed etiam ad manifestandam divinam sapientiam evangelicam legem condidit et praedicavit, quae thesaurus est divinae sapien-

**Declarat etiam divinam sapientiam,**

**salvat enim ab infirmitatibus spiritualibus, quod sola divina sapientia potest.**

14) Iob 41, 24. Vulg.: *Non est super terram potestas*, etc. 15) Lc 11, 20-21. Ordine inverso affert hos vrr. 16) Cf. Idc 15, 14-16. 17) Cf. Mc 5, 6-13; Lc 8, 30-33. 18) Cf. Mt 9, 6; Mc 2, 10; Lc 5, 24. 19) Mt 9, 12-13. 20) Cf. ibid. 4, 23-24; 9, 35; Lc 4, 40; 6, 18-19. 21) Ps 7, 10. 22) Cf. Gn 25, 11. 23) Col 2, 3.

tiae; hinc in arca testamenti non solum erat virga miraculorum,[24] sed etiam tabulae legis[25] et tandem vas mannae,[26] quod divinae bonitatis hieroglyphicum est.

Declarat caritatem qua Christus hominem iustificat, deificat et glorificat.

III. Divinum istud nomen ad arcae illius instar non solum divinam continet potentiam et sapientiam, sed etiam bonitatem. Nam quid est salvare nisi omnia peccata dimittere? unicuique hominum dimittere debitum decem millium talentorum?[27] nisi gratiam largiri quae hominem efficit divinae naturae consortem,[28] quae filium Dei, fratrem Christi et coelestis regni legitimum heredem hominem efficit? nisi tandem vitam largiri et gloriam felicitatemque sempiternam in paradiso Angelorum, ut homo per aeterna saecula panem comedat in mensa ipsiusmet Dei,[29] tanquam carissimus et dilectissimus filius Dei et frater Christi? Quid est salvare nisi comunicare hominibus omnes thesauros coelestium bonorum? *Ego ostendam tibi,* imo dabo *omne bonum.*[30]

Omnia haec mystice designantur in visione Ezechielis.

Et quidem in hoc supersanctissimo et superdivinissimo nomine videre mihi videor quattuor illas mirabiles facies coelestis animalis apud Ezechielem: faciem hominis, vituli, leonis et aquilae.[31] Declarat enim divinum hoc nomen infinitam Dei erga nos humanitatem, infinitam patientiam, infinitam potentiam et virtutem ac tandem infinitam altitudinem divinae maiestatis.

declarat enim infinitam Dei erga nos humanitatem.

In prima quidem facie infinitam Dei erga nos humanitatem; nam Deus ad salvandum nos vere factus est homo, ut esset peccatorum non ultor, sicut prius dicebatur *Deus ultionum,*[32] sed Salvator. Erat Deus prius peccatorum ultor, puniebat severissime peccatores, sicut patet in Adam,[33] in Cain,[34] in diluvio,[35] in igne Pentapolis,[36] in plagis Aegypti,[37] in submersione Pharaonis in mari Rubro,[38] in morte Hebraeorum in deserto[39] et in mille aliis demonstrationibus severae iustitiae Dei; nunc autem factus est Salvator peccatorum: *Vocatum est nomen eius Salvator.*[40] Sicut quis a professione, arte et

24) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 25) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 26) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 27) Cf. Mt 18, 24-27. 28) Cf. 2 Petr 1, 4. 29) Cf. Lc 22, 29-30. 30) Ex 33, 19. Vulg.: *Ego ostendam omne bonum tibi.* 31) Cf. 10, 14. 32) Ps 93, 1. 33) Cf. Gn 3, 6 sqq. 34) Cf. ibid. 4, 8-15. 35) Cf. ibid. 6, 13-7, 1 sqq. 36) Cf. ibid 19, 24-25. 37) Cf. Ex 3, 19-20. 38) Cf. ibid. 14, 15 sqq. 39) Cf. Nm 14, 28-35; Dt 1, 34-35. 40) Lc 2, 21. Idest: *Iesus.*

exercitio vocatur vel doctor, vel scriptor, vel sartor, vel pistor, iuxta uniuscuisque exercitium, vel pictor, vel sculptor, sic Deus nunc dictus est Salvator, quia ad hoc venit, ad salvandum; hinc quisquis accedebat ad Christum in apotheca et officina sacrosanctae humanitatis ipsius consequebatur salutis beneficium: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* [41] Omnem autem salutem ex caritate confert, dat omnia gratis ob amorem Dei, et *omnes... vult salvos fieri,* [42] omnes vult salvare.[43] Sicut sol totum mundum illuminat, totus est illuminator, totus lux, ita Deus totus est salus, totus caritas, totus humanitas.

Habet etiam divinum hoc nomen faciem vituli: declarat divinam patientiam, quod Deus pro salute nostra infinita passus est mala et tandem sanguinem fudit mortique seipsum exposuit. Hinc in circumcisione effundens sanguinem dictus est *Salvator,* in signum quod effusione sanguinis sui salvaturus nos erat. **patientiam,**

Declarat infinitam potentiam contra diabolum, mortem et peccatum, et tandem altitudinem divinae maiestatis, nam Salvatoris nomen declarat quod Deus suapte natura sit bonorum omnium origo et opifex, auctor totius naturae, fons gratiae et rex gloriae, qui nullius indiget, sed eo omnia opus habent, sicut totus mundus eget solis luce. **potentiam**

Dicitur etiam simpliciter *Salvator,* sive servator, sicut Deus dicitur absolute *Dominus,* quia omnium rerum est Dominus, terrestrium et coelestium, visibilium et invisibilium; sic Christus omnium rerum servator est, et hominum et Angelorum. Sic habet faciem aquilae, quae regina est avium: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen.* O nomen ineffabile et incomprehensibile! *Vocatum est nomen eius Salvator,* sive servator. **et altitudinem maiestatis.**

IV. Omnia miracula tum Veteris tum Novi Testamenti virtutem divini huius nominis declarant, eo quod omnia et singula miracula facta sunt ad conferendam aliquam salutem pro aliquo salutari beneficio. Salutis nanque nomen universale est et multiplicem continet salutem, sicut multiplex est malum in quod homo incurrit vel potest **Nomen vere ineffabile, continens omnia tum Veteris cum Novi Testamenti miracula,**

41) Mt 11, 5; Lc 7, 22. 42) 1 Tim 2, 4. 43) Cf. 2 Petr 3, 9.

saltem incurrere. Salvatum legimus Noe a diluvio,[44] Loth ab incendio Pentapolis,[45] Isaac ab occisione,[46] Iacob ab Angelo tenebrarum,[47] Moysen a submersione,[48] mundum a fame in diebus Ioseph,[49] populum Dei a tyrannide Pharaonis et plagis Aegypti,[50] a fame,[51] a siti,[52] a serpentibus,[53] ab inimicis et persecutoribus in deserto[54] et in terra Chanaan[55] et innumeras alias legimus salutes ab innumeris periculis. Christus autem simpliciter dicitur *Salvator*, absque ulla particulari limitatione vel temporis, vel loci, vel personae, quia semper ubique et omnium Salvator universalis et perpetuus est.

dignum sane ut coram eo omne genu flectatur.

Nec immerito inquit Apostolus quod dignum est hoc nomen ut ei *omne genu flectatur*. Nam legimus quod Nabuchodonosor, viso miraculo quod Deus liberavit tres iuvenes fideles de fornace ignis ardentis, decretum edidit per universum regnum suum ut nemo auderet blasphemare Deum Iudaeorum;[56] similiter Darius rex Persarum et Medorum, viso quod Deus Danielem salvaverat de lacu leonum, misit edictum per omnes provincias et regna imperii sui ut omnes colerent Deum Danielis.[57] Deus igitur, quia Salvator est, meretur ab omnibus pia religione coli et adorari.

44) Cf. Gn 7, 7 sqq. 45) Cf. ibid. 19, 29. 46) Cf. ibid. 22, 1-12. 47) Cf. ibid. 32, 24-25. 48) Cf. Ex 2, 2-10. 49) Cf. Gn 41, 43 sqq. 50) Cf. Ex 10, 22-23; 11, 4-7; 14, 15 sqq. 51) Cf. ibid. 16, 1-35; Nm 11, 31-32. 52) Cf. Ex 15, 22-27; Nm 20, 2-11. 53) Cf. Nm 21, 4-9. 54) Cf. Ex 17, 8-13; Nm 21, 1 sqq; 31, 1 sqq. 55) Cf. Ios 12, 1 sqq. 56) Cf. Dn 3, 91 sqq. 57) Cf. ibid. 6, 19-27.

## DIES EPIPHANIAE DOMINI

*Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudae in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt,* etc. [1]

I. Sicut duce coelesti numine in columna nubis per diem et ignis per noctem, filii Israel ducebantur ad possidendam terram illam felicissimam patribus suis promissam, [2] ita hodie Magi, coelesti numine in splendidissima stella duce, venerunt ad Christum natum, sanctis omnibus Patriarchis atque Prophetis promissum et a Gentibus expectatum, adorandum, colendum et honorandum pretiosis donis: *Procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.* [3]

**Hodie Magi, stella duce, ad Christum adorandum veniunt,**

... Sicut regina Saba, audita per famam sapientia Salomonis, venit cum magno comitatu magnisque muneribus auri, aromatum et lapidum pretiosissimorum ad eum honorandum, [4] sic hodie Magi, cognito ex coelesti signo quod mysticus Salomon Christus natus esset, venerunt cum muneribus ad adorandum eum: *Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.* Ecce res quidem nova et inaudita: *Quis* enim *audivit unquam tale ? et quis vidit huic simile ?* [5] Ecce magnum miraculum, ut infans natus in spelunca, collocatus in praesepio, hodie a Magis, a viris sapientissimis, adoretur tanquam vivus et verus Deus: *Ecce Magi venerunt ab oriente Ierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudaeorum ? Vidimus enim stellam eius in oriente et venimus adorare eum.* [6] Considerandum nobis est qui-

**et cum muneribus honorandum.**

1) Pericope huius diei Mt 2, 1-13. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 13, 21 sqq. 3) Mt 2, 11. 4) Cf. 3 Rg 10, 1-10; 2 Par 9, 1-9. 5) Is 66, 8. 6) Mt 2, 1-2. Vulg.: *Magi ab oriente venerunt,* etc.

nam sint hi qui veniunt, unde veniunt, quo veniunt et ad quid veniunt.

Non constat an Magi isti reges fuerint.

II. *Ecce Magi.* Est vulgo recepta opinio hos reges fuisse, quod tamen Evangelista non dicit, sicut regem dicit Herodem; quod si vere hi reges fuissent, non sine iniuria id praetermisisset Evangelista, quod ad Christi gloriam maxime faciebat, ut infans adoraretur a regibus, sicut non tacet Scriptura principes quosque suis titulis appellare; et si ad Abrahami gloriam describit Moyses venisse Abimelech regem Geraris cum Phicol principe exercitus ipsius ad ineundam[6*] cum Abrahamo amicitiam,[7] et simile de Isaac refert ob eandem causam venisse ad eum regem Geraris cum duce militiae eius,[8] profecto non siluisset Evangelista quod ad maximam Christi gloriam faciebat, neque nomen regium cum nomine magico commutasset, maxime cum nomen istud apud gentes non bene audiret, sicut quamvis regina Saba sapientissima maga esset, non praetermisit Divina Scriptura nomen regium, ut eam ob sapientiam magam appellaret; sed reginam dixit, non magam, quoniam regium nomen multo illustrius, splendidius et gloriosius est.

sed certe viri honorabiles erant.

Hos tamen honorabiles fuisse viros inde elucet quod ad ipsorum adventum commota est universa civitas Ierusalem; audiens enim Herodes quaerentes et dicentes: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum ?... turbatus est et omnis Ierosolyma cum illo; et congregans omnes principes sacerdotum*, etc.,[9] quod minime tantus rex fecisset, si Magi hi pauperes et contemptibiles homines fuissent. Patet etiam ex muneribus, quia *apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera* valde pretiosa, *aurum, thus et myrrham*, quae regina Saba obtulit Salomoni.

forte etiam principes.

Fuerunt ergo viri illustres valde et honorabiles et forte etiam principes et castrorum oppidorumque non ignobilium domini, unde forte crediti dictique sunt reges, usitato Scripturarum more quo reges appellat quorumvis oppidorum dominos, uti fuerunt quattuor illi reges quos Abraham cum trecentis suis vernaculis superavit, similiter quinque reges Pentapolis,[10] et unum ac triginta illos reges quos Iosue occidit pugnans contra Chananaeos.[11] Vulgo tamen recepta opinio

6*) Ms.: *Inieudam.* 7) Cf. Gn 21, 22 sqq. 8) Cf. ibid. 26, 26-31. 9) Mt 2, 3-4.
10) Cf. Gn 14, 1-16. 11) Cf. Ios 12, 1 sqq.

est hos reges fuisse ex illo *Psalmi : Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent,*[12] quod in solemnitate hac canit Ecclesia;[13] sed ibi Regius Vates de Gentium vocatione vaticinatus fuit, quarum hi Magi primitiae fuerunt, sicut pastores primitiae fuerunt Iudaeorum.

**Haec vox: magi, male audit cum communiter accipiatur pro incantatoribus.**

III. *Ecce Magi.* In Divinis Scripturis magi ubique male audiunt, uti cum legimus de magis Pharaonis, Iannes et Mambres,[14] de Balaam celeberrimo mago,[15] de magis et incantatoribus quos secum habuit impius rex Manasses,[16] uti fuit Simon Magus,[17] Elymas magus[18] et alii innumeri; hinc lege inhibitum erat a magis aliquid sciscitari: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini ;*[19] et: *Anima quae declinaverit ad magos et ariolos ... ponam faciem meam contra eam et interficiam eam de medio populi sui.*[20] Hinc Saul occidit omnes magos et ariolos universi regni Israel, quamvis ipse tandem, infelix, mulierem magam consuluerit,[21] quod proprium est principum legibus mala prohibere et contra omnem legem iustitiae vivere, habentes vocem Iacob et manus Esau.[22]

**apud Chaldaeos tamen significabat viros sapientissimos.**

Apud Chaldaeos tamen magi non male audiebant, sed sapientissimi viri magi dicebantur; sic enim apud Danielem legimus: *Praecepit ... rex ut congregarentur* omnes *arioli ... magi ... et Chaldaei, ut indicarent regi somnia sua,*[23] quos omnes postea *sapientes* vocat: *Praecepit* rex *ut interficerentur omnes sapientes Babylonis et, egressa sententia, sapientes interficiebantur.*[24] Hinc Daniel a Nabuchodonosor appellatus fuit princeps ariolorum et magorum,[25] imo vere constitutus fuit princeps magorum incantatorum, Chaldaeorum et aruspicum, ut regina dixit regi Balthassar, cum tamen Daniel sancto ac divino spiritu omnique sapientia plenus haberetur;[26] et Ioseph in Aegypto magorum et sapientum omnium princeps est habitus, postquam interpretatus fuit somnia Pharaonis.[27] Chaldaeis itaque et Persis dicebantur magi qui Graecis dicebantur philosophi, Hebraeis

12) Ps 71, 10. 13) Cf. Breviarium Rom. ad Mat., secundus ps. 2 noct. 14) Cf. Ex 7, 11-12; 2 Tim 3, 8. 15) Cf. Nm 22, 5. 16) Cf. 4 Rg 21, 6; 2 Par 33, 6. 17) Cf. Act 8, 9-11. 18) Cf. ibid. 13, 6-8. 19) Lv 19, 31. 20) Ibid. 20, 6. Vulg.: *Interficiam illam.* 21) Cf. 1 Rg 28, 3-21. 22) Cf. Gn 27, 22. 23) 2, 2. Vulg.: *Praecepit... ut convocarentur,* etc. 24) Ibid. vrr. 12-13. Vulg.: *Praecepit ut perirent,* etc. 25) Cf. ibid. vr. 48. 26) Cf. ibid. 5, 10-12. 27) Cf. Gn 41, 1-45.

scribae, Indis gymnosophistae, Gallis druidae, Latinis sapientes.[28]

Magia olim appellabatur scientia speculatrix divinorum et naturalium secretorum;

Magia itaque primum appellata est admirabilis sapientia scientiaque speculatrix et contemplatrix divinorum, apex culmenque naturalis philosophiae, nec tantum physicae, sed etiam mathematicae, astronomiae, metaphysicae et theologiae, maxime vero exacta certaque cognitio mirabilium secretorum naturae, quibus rite cognitis, multa operari licet imperitis inexpertisque hominibus miranda. Hac naturali magia et Adam plenus a Deo cumulatissime fuit et postea nil minus Salomon, qui omnia universalis naturae secreta optime calluit.[29]

ex vana autem curiositate hominum sapientes saepe ad mirabilia patranda daemones invocabant.

Quoniam vero humanum genus nimis curiosum ad vanitates mirandasque novitates propensissimum est, hinc ad illicitas superstitiones declinatum fuit, adeo ut quo novis rationibus artibusque nova semperque mirabiliora magi ad homines in sui admirationem pertrahendos operari quoquo pacto possent, daemones ascirent et incantationibus quibusdam invocarent; unde omne praestigiorum ac veneficiorum, imo maleficiorum genus in mundum tanquam ex fonte omnium malorum emanavit, ex qua radice omnis idololatriae impietas orta fuit. Hinc vulgo tandem magiae nomen infame redditum fuit, ut idem essent magicae artes ac malae artes maleficiorum ac praestigiorum effectrices et magi omnes pro maleficis haberentur.

Duplex est magiae species: naturalis et honesta, daemoniaca et mala.

IV. Sapientes vero duplicem magiae speciem statuerunt, secernentes veluti aurum a luto et margaritas a fecibus: naturalem bonam honestamque magiam, ab infami mala atque cacodaemonica. Sic Philo in libro *De Particularibus Legibus* naturalem magiam docet dignam esse quovis homine libero ac principe;[30] Plato in *Alcibiade* ait magiam esse divinorum scientiam;[31] Cicero libro *De Divinatione* 1, in fine, ait quod non poterat quisquam Persarum rex fieri qui prius magorum disciplinam scientiamque non perceperit;[32] Plinius docet magiam continere physicam, metaphysicam et

28) Cf. Picus Mirandulanus *Apologia Quaestionum*, q. 5; Bart. Chassanaeus *Catalogus Gloriae Mundi*, part. 12, f. 249b. 29) Cf. 3 Rg 4, 33. 30) Pag. 497. 31) Pag. 22. 32) Vol. 4. col. 370.

astrologiam, ac in oriente regum regibus imperare;[33] Caelius hanc duplicem statuit magiae speciem.[34]

An vero evangelici hi nostri Magi boni fuerint vel mali, controversum est. Divus Ignatius epistola *ad Ephesios*,[35] Iustinus Martyr *Dialogo cum Tryphone*,[36] Tertullianus libro *De Idololatria*,[37] Origenes libro 1 *Contra Celsum*[38] et homilia 13 *in Numeros*,[39] Basilius oratione *De Humana Christi Generatione*[40] et Hieronymus *in Isaiam* 19[41] et 47,[42] volunt hos malis artibus deditos fuisse tanquam Balaami successores. Sed Clemens Alexandrinus 1 libro *Stromatum*,[43] Chrysostomus *in Matthaeum*, homilia 6,[44] Cyrillus Alexandrinus *Isaiae* 49, oratio 4, libro 4,[45] Theodoretus libro 5 *Historiae*, capite 39,[46] Sanctus Leo Papa sermone 1 *in Epiphania*,[47] volunt hos dictos sic esse propter sapientiam. Evangelista vero hos astronomia et contemplandorum siderum arte praestantes non obscure demonstrat, dum ait venisse Ierosolymam quaerentes et dicentes: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente et venimus adorare eum;* ubi simul et professionem et pietatem eorum ostendit: professionem quidem, quoniam aiunt: *Vidimus stellam eius in oriente;* pietatem vero, quoniam aiunt: *Et venimus adorare eum.*

Aliqui Sancti Patres volunt hos Magos malis artibus addictos fuisse, alii sic dictos propter sapientiam;

Praestat igitur Magos hos credere viros fuisse sapientes, fide et pietate praeditos, qui Divinis Scripturis coelestibusque oraculis fidem adhibuerint ac vere in venturum Christum crediderint, nam aiunt: *Ubi est qui natus est ille rex Iudaeorum?*[48] Non quemvis regem Iudaeorum, sed Messiam quaerunt, hinc Herodes, congregatis principibus sacerdotum et scribis populi, sciscitatur *ubi Christus nasceretur.*[49]

Evangelium vero innuit et sapientes et pios illos fuisse.

*Ecce Magi ab oriente venerunt.* Ex qua autem orientis parte venerint Scriptura non memorat, sicut nec quinam hi fuerint, quonam nomine appellarentur, ex qua gente oriundi aut quotnam fuerint,

Pariter non constat ex quanam orientis parte venerint;

33) *Hist. Nat.*, lib. 30, cp. 1, pag. 340. 34) *Lect. Antiq.*, lib. 9, cp. 23, col. 486-489. 35) P. G. 5, 659. 36) Ibid. 6, 658. 37) Cp. 9, (P. L. 1, 672). 38) Lib. 1, (P. G. 11, 770-771). 39) Ibid. 12, 674-675. 40) Ibid. 31, 1440. 41) Lib. 7, (P. L. 24, 250). 42) Lib. 13, ibid. col. 457. 43) Cp. 145, (P. G. 8, 778). 44) Iuxta Migne hom. 7, ibid. 57, 79. 45) Ibid. 70, 1062. 46) Iuxta Migne cp. 38, ibid. 82, 1271. 47) Cp. 1, (P. L. 54, 235). 48) *Ille* ex graeco, ubi est cum articulo: Ὁ τεχθεὶς βασιλεύς. 49) Mt 2, 4.

sed tantum quod *Magi* fuerint, idest astrologi, et quod *ab oriente venerunt*, ad designandum Gentes quidem in Christi nativitate in oriente esse, Iudaeos vero in occidente; Gentes in oriente fidei, Iudaeos in occidente infidelitatis; hinc hodie Gentes Christum quaerunt ad adorandum iam natum, Iudaei vero natum audientes turbantur et cum Herode occidere quaerunt. Multi existimant hos ex Arabia et Sabaea regione venisse, [50] quae auro, thure, myrrha omnibusque aromatibus dives est valde, iuxta quod Isaias ait: *Omnes de Saba venient aurum et thus deferentes et laudem Domino annunciantes*, [51] et Regius Vates dicit: *Reges Arabum et Saba dona adducent;* alii vero ex Chaldaea et Perside venisse, [52] quoniam haec ad orientalem plagam est Ierusalem, Arabia vero et Sabaea regio ad australem, unde Christus reginam Sabaeam vocat reginam austri, [53] et Chaldaeorum Persarumque sapientes vel maxime magi dicebantur, et si successores Balaami fuerunt, Balaam aramaeus et mesopotamenus fuit, sicut ipsemet ait. *Numeris* 23: *De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus orientis.* [54] Sed sive Arabes et Sabaei, sive Chaldaei aut Persae fuerint, nihil refert; sufficit quod *ab oriente venerunt.*

multi dicunt ex Arabia illos venisse.

V. *Ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam*, metropolim totius regni regiamque ac omnium illustrissimam Iudaeorum civitatem, *venerunt Ierosolymam* quaerentes et *dicentes: Ubi est qui natus est ille rex Iudaeorum?* Alludunt ad Balaami vaticinium: *Orietur stella ex Iacob et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab vastabitque omnes filios Seth, et erit Idumaea possessio eius, hereditas Seir cedet inimicis suis, Israel vero fortiter aget. De Iacob erit qui dominetur et perdat reliquias civitatis.* [54*] Quoniam vero Balaam minime expressit locum ubi Christus nasciturus erat, hinc Ierosolymam perrexerunt, existimantes in regia civitate natum esse divinum illum regem Iudaeorum, ibi ortam stellam illam sole splendidiorem.

Venerunt Ierosolymam, quia metropolis erat regni.

50) Cf. S. Iustinus Martyr *Dialogus cum Tryphone*, (P. G. 6, 658-723); Corn. a Lapide *Comment. in Evang. Matthaei* hoc loco. 51) 60, 6. 52) Cf. Clemens Alex. *Stromata*, lib. 1, cp. 15, (P. G. 8, 778); S. Basilius hom. *De humana Christi Generatione*, ibid. 31, 1470; S. Io. Chrysostomus hom. *De B. Philogonio*, ibid. 48, 753; *In Matthaeum*, hom. 6, ibid. 57, 63-64; S. Cyrillus Alex. *In Isaiam*, lib. 4, orat. 4, ibid. 70, 1062; Theophylactus *Enarr. in Evang. Matthaei*, ibid. 123, 162; Tertullianus *Contra Marcionem*, lib. 3, cp 3, (P. L. 2, 339); Iuvencus *Evangelicae Historiae*, lib. 1, vr. 276, ibid. 19, 97; S. Petrus Chrysologus serm. 156, ibid. 52, 612-614. 53) Cf. Mt 12, 42; Lc 11, 31. 54) Vr. 7. 54*) Ibid. 24, 17-19.

VI. *Vidimus . . . stellam eius in oriente et venimus adorare eum.* Cum natus fuit Christus, nata fuit nova haec stella in coelo omnium insignissima ac splendidissima, quam mox ut viderunt, iter arripuerunt Divino Spiritu afflati, ut certo certius crederent stellam illam signum esse nati Iudaeorum regis: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum ?* Alii reges non nascuntur reges, sed fiunt; non natus fuit rex Saul, non David, non Salomon, non quivis alius rex, sed factus ab hominibus; Christus autem natus est rex, suapte natura, rex Iudaeorum, sicut sol rex astrorum: *Qui natus est rex ille*, de quo dicitur: *Regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda et Israel habitabit confidenter;* [55] rex sapiens, iustus et salvator: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator ;* [56] *rex ille* pacificus: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis .... super solium David et super regnum eius*, cuius *pacis non erit finis ;* [57] *rex ille* potentior Davide, [58] sapientior Salomone, [59] iustior Ezechia, [60] sanctior Iosia, [61] fortior Samsone, [62] pulcrior Absalone; [63] *rex ille*, qui *Rex regum* est *et Dominus dominantium ;* [64] *rex ille*, cuius regnum aeternum: *Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur, et regnum ..... quod non corrumpetur ;* [65] *Regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.* [66]

Nato Christo, orta fuit nova stella omnium splendidissima,

et sic oportebat, Christus enim natus est rex,

*Ubi est qui natus est rex ille Iudaeorum ?* Non de quovis rege quaerunt, sed de Messia, qui rex futurus erat divinus, humanatus Deus et deificatus homo, hinc tanquam verus Deus, mundi totius creator et rector, vere natus est rex infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis, iustitiae, misericordiae, caritatis et gloriae.

ac de eo solo Magi quaerunt.

*Vidimus enim stellam eius in oriente.* Non dicunt se novam quandam vidisse stellam et inde suspicari natum esse novum regem, sed quia in Balaami vaticinio dicebatur: *Orietur stella ex Iacob.* Certa et constans fama fidesque erat quod in natali Christi nova esset in coelo oritura stella ad Christi nativitatem declarandam, hinc aiunt: *Vidimus . . . stellam eius in oriente.* An vero stella ista naturae fuerit coelestis sicut omnia astra firmamenti, quae quarto die creata fuerunt, [67]

Cuius naturae stella haec fuerit exploratum non est,

55) Ier 23, 5-6. 56) Zach 9, 9. Vulg.: *Veniet*, etc. 57) Is 9, 6-7. Vulg.: *Pacis non erit finis; super solium David*, etc. 58) Cf. Eccli 47, 2-8. 59) Cf. ibid. vrr. 14-19. 60) Cf. ibid. 48, 2. 61) Cf. ibid. 49, 1-4. 62) Cf. Idc 14, 1-16, 1 sqq. 63) Cf. 2 Rg 14, 25. 64) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 65) Dn 7, 14. 66) Lc 1, 32-33. 67) Cf. Gn 1, 14-19.

an vero incensio quaedam in suprema aeris parte instar cometes, certum et exploratum non est. Sed ex altera quidem parte videtur aereae fuisse naturae ex situ motuque, movebatur enim ab oriente in occidentem, Magos praecurrens ac viae ducatum praebens, sita potius in aere quam in coelo, ut melius certiusque Magis lux viae esse posset; deinde splendebat in die et non tantum in nocte, sicut cetera astra, et nunc quidem apparebat, nunc vero occultabatur.

sed videtur fuisse aereae naturae et nova creatione formata.

Sed si aerea tantum quaedam incensio stella ista fuit instar cometae, quid, quaeso, novi? Quid admirabilis secum attulit ut tanti regis nati dignum esset certumque et evidens signum? Cometae quidem et aliae huiuscemodi incensiones igneaeque impressiones et meteora saepissime cernuntur in coelo; novam ergo quandam stellam pro Christi gloria et mundi salute, ad declarandam Christi nativitatem, fuisse in coelo creatam, coelestis utique et solaris naturae quae Angeli virtute moveretur sicut columna nubis et ignis,[68] multo Christi gloria dignius est existimare. Neque enim Deus, qui propter hominem innumeras in firmamento stellas perpetuaque lumina condidit, in Filii sui nativitate existimandus est unam ceteris splendidiorem ac illustriorem facere non potuisse; nemo enim illi hanc potestatem ademit; imo hac nostra aetate, anno a partu Virginis millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, nova in coelo stella conspecta fuit in genu Cassiopeae, quae anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto evanuit, quae vel omnibus astronomis Italiae, Galliae, Hispaniae ac utriusque Germaniae summa cum admiratione conspecta fuit lucida, clara, conspicua, ceteris quidem forma simillima, splendore autem, luce et mole ipsum etiam Veneris astrum lucidissimum vincens, de qua multa scribit Christophorus Clavius Bambergensis ex Societate Iesu in suis *Commentariis in Sphaeram*,[69] de qua item multa extant doctissimorum virorum iudicia, de qua etiam Franciscus Valesius scribit in sua *Sacra Philosophia*[70] multique alii.[71] ...

Sic Magis nova stella conspecta summa cum admiratione fuit, ex quo signo Divino Spiritu afflati cognoverunt Christum natum

68) Cf. Ex 13, 21; Nm 9, 15 sqq.; Dt 1, 33. 69) Pag. 191. 70) Pag. 45-46
71) Cf. apud Christophorum Clavium *In Sphaeram*, pag. 194.

esse: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente et venimus adorare eum.* Certo scimus, inquiunt, natum esse regem illum Iudaeorum, sed nativitatis locum ignoramus. Et quidem Deus, qui nativitatem revelavit, potuit etiam locum nativitatis manifestare, sed ad maiorem Christi gloriam voluit Deus ut Magi Ierosolymam intrantes nunciarent ac praedicarent Christi nativitatem et prophetali oraculo locum nativitatis discerent. Sicut enim pastores ab Angelo edocti praedicaverunt Christi nativitatem in Bethlehem,[72] ita Magi in Ierusalem; sed ad praedicationem pastorum, humilium, pauperum simpliciumque virorum, omnes audientes *mirati sunt;*[73] ad praedicationem autem Magorum, sublimium, praepotentum ac sapientissimorum hominum, omnes audientes turbati sunt.

Signo huius stellae Magi cognoverunt natum esse regem Iudaeorum.

VII. *Audiens autem Herodes rex turbatus est et omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* Non gaudet Herodes de Christi nativitate sed turbatur, *et omnis Ierosolyma cum illo,* membra cum capite, cum tamen Angelus dixerit: *Annuncio vobis gaudium magnum . . . quia natus est vobis hodie Salvator,* et gaudium, inquit, *quod erit omni populo;*[74] nunc autem omnis populus turbatur, non gaudet. Sed gaudium attulit Christi nativitas omni populo Dei non Herodi, omnibus electis non reprobis, sicut Angeli non daemones cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo.*[75] Positus erat Christus *in ruinam et in resurrectionem multorum.*[76] Turbatur Herodes, turbatur *omnis Ierosolyma cum illo,* quoniam his positus erat Christus *in ruinam* ob ipsorum malitiam; turbatur timore et ira, propter ambitionem et avaritiam ne a nato isto rege privetur regali corona et sceptro, regalibus thesauris et honoribus. Putat infelix Christum aliis terrae regibus similem fore. Turbatur ob ignorantiam intellectus, ob malitiam voluntatis, ob satanae suggestionem; turbatur quia temporalia ac terrena solum amabat, aeterna vero et coelestia nec credebat quidem, uti insipiens ille qui *dixit . . . in corde suo: Non est Deus.*[77] Sciens autem

Christi nativitas gaudium attulit populo Dei, non reprobis.

Ideo turbatur Herodes et omnis Ierosolyma.

72) Cf. Lc 2, 20. 73) Ibid. vr. 18. 74) Ibid. vr. 11, Vulg.: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit,* etc. Ordine inverso affert pericopas has. 75) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Gloria in altissimis. In excelsis Deo* ex Liturgia Ecclesiae. 76) Ibid. vr. 34. 77) Ps 13, 1; 52, 1.

Deus futuram hanc turbationem, voluit tamen praedicari a Magis nativitatem Christi in Ierusalem, ut magis divinis oraculis et Prophetarum vaticiniis instruerentur, Iudaei vero magis magisque excaecarentur et in die iudicii inexcusabiles essent, surgentibus hisce Magis cum regina austri et Ninivitis contra Iudaeos.[78]

*Christus enim futurus erat his in ruinam, illis autem in salutem.*

*Audiens... Herodes... turbatus est.* Iusti laetantur, iniusti vero turbantur, sicut in mari Rubro Israel salvatus, Aegypti vero exercitus cum Pharaone perditus fuit;[79] in fornace babylonica tres iuvenes hebraei in medio ignis manserunt illaesi, Chaldaei vero combusti fuerunt.[80] Christus in mundo futurus erat sicut nubes illa, quae dux erat populi Dei in via per desertum, Hebraeis lucida, Aegyptiis obscura,[81] sicut manna bonis sapidum, malis erat insipidum,[82] sicut lux sanis oculis bona est, insanis autem mala.

*Turbationem animi occultat Herodes et a sacerdotibus sciscitatur ubi Christus natus esset.*

*Audiens... Herodes... turbatus est;* suppressit autem animi turbationem impietatem operiens larva falsae pietatis, sicut cum Ioab voluit occidere Abner[83] et Amasa[84] principes Israel, et cum Absalom occidere voluit Amnon fratrem suum.[85] Imo sicut diabolus saepe transfigurat se in Angelum lucis[86] ut decipiat et occidat, ita Herodes fingit desiderium sciendi ubi Christus sit natus. Hinc congregat principes sacerdotum, idest summum pontificem et viginti quattuor principes[87] sacerdotalium familiarum et scribas populi, qui erant legisperiti et doctores, sciscitabatur ab eis summa cum diligentia ubi Christus secundum Scripturas nasciturus erat. *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudae, sic enim scriptum est per Prophetam* dicentem: *Et tu, Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet* mihi *dux qui regat populum meum Israel.*[87a] In Michaea sic legimus: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.*[88] Quare sensus potius quam verba adductus fuit a scribis.

Sed si Vates ait: *Parvulus es in millibus Iuda*, quomodo dicunt: *Nequaquam minima es in principibus Iuda?* Forte intellexerunt a

78) Cf. Mt 12, 41-42; Lc 11, 31-32. 79) Cf. Ex 14, 21 sqq. 80) Cf. Dn 3, 47-50. 81) Cf. Ex 14, 19-20. 82) Cf. Nm 21, 5. 83) Cf. 2 Rg 3, 21-27. 84) Cf. ibid. 20, 7-12. 85) Cf. ibid. 13, 23-29. 86) Cf. 2 Cor 11, 14. 87) Ms.: *Principibus*. 87a) Mt 2, 5-6. 88) 5, 2.

Vate per interrogationem dictum esset: Et tu, Bethlehem, num parvula es in millibus Iuda, cum ex te mihi nasciturus sit Messias? Vel quod si molis quidem magnitudine et populi numero parva erat civitas parvumque oppidulum, non tamen parva virtutis magnitudine, cum ex ea magni principes orti sint, David, fratres et cognati eius, [89] et tandem ex te oriturus sit Christus, qui *Rex regum et Dominus dominantium* futurus est, rex coeli et terrae, Deus et homo; *egressus eius ab initio*, ante mundi initium, ante dies saeculi, Messias Filius Dei, ab aeterno genitus natusque a Deo, Filius coaeternus, coaequalis et consubstantialis, vivus verusque Deus simul et homo, *ex semine David secundum carnem.* [90]

**Parva Bethlehem erat populi numero, non virtutis magnitudine.**

*Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae quae apparuit eis, et mittens eos in Bethlehem*, etc. [91] Herodes ad instar serpentis pellem habet pulcra colorum varietate ornatam, intus vero letale mortiferumque venenum servat; foris praesefert pietatem: *Ut et ego veniens adorem eum*, [92] intus autem servat crudelitatem natique regis mortem machinatur; hinc tanta cum diligentia quaerit tempus stellae, ut nativitatis loco et tempore cognitis, natum hunc regem facillime inveniret inventumque perimeret, etiam si Magi promissis non starent ad eumque minime reverterentur.

**Vocat Magos Herodes larva falsae pietatis hypocrisim operiens.**

VIII. *Qui cum audissent regem, abierunt* versus Bethlehem ad inveniendum Christum, quem ibi prophetali oraculo didicerant natum. *Et ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi puer erat.* [93] Vult Deus ut stellae coeleste miraculum consentiat cum Prophetae divino oraculo, hinc iterum apparens eis ducatum praebet usque ad locum nativitatis Christi. *Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde, et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria*, etc. [94] Gavisi sunt Magi videntes iterum stellam et *gaudio magno* et *magno valde* ac si infinitum invenissent thesaurum, nam utique infinitus thesaurus Christus est, in quo sunt omnes divinitatis thesauri; invenientes autem adorant et munera offerunt, aurum, thus et myrrham. Misit Iacob patriarcha ad Ioseph filium suum principem Aegypti munera, sed aromata, mel

**Abeuntes Magi stellae ducatu Christum inveniunt, adorant et muneribus honorant, auro, thure et myrrha.**

89) Cf. 1 Rg 16, 1. 90) Rom 1, 3. 91) Mt 2, 7. Vulg.: *Mittens illos.*
92) Ibid. vr. 8. 93) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Erat puer.* 94) Ibid. vrr. 10-11.

et amygdala;[95] principes tribuum obtulerunt Domino in dedicatione tabernaculi munera, vasa argentea et aurea, incensum, similam et animalia in sacrificia;[96] regina Saba obtulit Salomoni munera, aurum, lapides pretiosos et aromata optima.[97]

**Munera haec mystice significant Christum Verbum carnem factum,**

Munera autem haec Magorum mysteriis ditissima sunt. Primo enim tria munera Divino Spiritu afflati offerunt, quoniam tres sunt in una Christi persona substantiae: Verbum, anima et caro: Verbo aurum, animae thus, carni offerunt myrrham; imo quia in Christo duae naturae sunt, divina et humana, duae item in eo sunt dignitates, regalis et sacerdotalis, prima principaliter respectu divinae naturae et secunda respectu humanae. Christus enim est ad instar Melchisedech sacerdos et rex: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*[98] Hinc in eo *Psalmo* designatur utraque Christi dignitas: regalis: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis,*[99] et sacerdotalis; imo quid competat Christo secundum utranque dignitatem; nam secundum primam competit ei dominari, hinc dicitur: *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion; dominare in medio inimicorum tuorum;*[100] et secundum alteram offerre sacrificium corporis sui, secundum quam etiam instituit sacerdotes ad offerendum idem sacrificium: *Hoc facite in meam commemorationem.*[101] Hinc dicitur: עַמְּךָ נְדָבֹת בְּיוֹם חֵילֶךָ בְּהַדְרֵי־קֹדֶשׁ מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ,[102] quod dupliciter potest interpretari: primo: *Tecum oblationes in die virtutis,* sive *pugnae tuae in splendoribus sanctitatis, de matrice ex aurora tibi ros generationis,* sive *nativitatis tuae;*[103] omnes enim oblationes Christi non aliud sunt nisi caro et sanguis Christi, corpus Christi Spiritus Sancti virtute in utero virginali conceptum et miraculo natum sicut ros ex aurora; vel potest interpretari: *Populi tui oblationes,* etc.; nam populus christianus has easdem oblationes Deo per sacerdotes offert, carnem et sanguinem Christi; hinc Magi hodie Christum tanquam Deum adorant, tanquam regi, sacerdoti et homini mortali aurum, thus et myrrham offerunt.

**regem, sacerdotem et hominem mortalem;**

95) Cf. Gn 43, 11. 96) Cf. Nm 7, 2-88. 97) Cf. 3 Rg 10, 10; 2 Par 9, 9.
98) Ps 109, 4. 99) Ibid. vr. 1. 100) Ibid. vr. 2. 101) Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24.
102) Ms.: *Hamechu nediboth (!) beiom helechu behadere kodesc mirehem mischar lecha tal ieldutecha.* 103) Ps 109 (hebr. 110), 3.

Designant etiam munera haec tres theologicas virtutes, fidem, spem et caritatem: caritas aurum est, thus spes ex qua oratio oritur, fides myrrha, nam fide purificat Deus corda nostra et per hanc immortalitatem impertitur; designant eleemosynam, orationem et ieiunium: aurum eleemosyna est, thus oratio, myrrha ieiunium; tandem designant tria illa quae Michaeas docet: *Indicabo tibi ... homo, quid sit bonum et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium ... diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo:*[104] *facere iudicium* secum, *diligere misericordiam* cum proximo et *sollicitum ambulare* cum Deo. Tria illa quae docet Paulus: *Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo:*[105] *sobrie* quoad nos, *iuste* cum proximo, *pie* cum Deo. Haec sunt tria contenta in arca: lex,[106] vas manna plenum[107] et virga.[108] O felices, qui munera haec offerunt Deo! Hi enim vere sunt magi, vere sapientes.

**designant etiam tres theologicas virtutes, eleemosynam quoque, orationem et mortificationem.**

*Procidentes adoraverunt eum.* O miraculum ut Magi, viri illustrissimi et sapientissimi, prostrati in terram adorent infantulum puerulumque tanquam vivum et verum Deum! *Digitus Dei est hic!*[109] Hoc maximum est miraculum fidei, captivare *intellectum in obsequium Christi,*[110] hoc est per stultitiam crucis mundum salvari.[111]

**Pietas Magorum vicit pietatem pastorum.**

*Procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera.*[112] Non sic fecerunt pastores, in quibus praesignabatur Iudaeorum vocatio. Vicit Magorum pietas pietatem pastorum, quamvis illi ab Angelo, isti ab astro vocati fuerint, Iudaei a Christo, qui est *magni consilii Angelus,*[113] Gentes ab Apostolis Christo inferioribus, sicut astra Angelis.

104) 6, 8. 105) Tit 2, 12. 106) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 107) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 108) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 109) Ex 8, 19. 110) 2 Cor 10, 5. 111) Cf. 1 Cor 1, 21. 112) Mt 2, 11. 113) Is 9, 6. Ex hebraico.

## II. ALIA HOMILIA

*Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudae... ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes, etc.* [1]

Considerandа proponitur divina Christi manifestatio Magis facta.

I. Proponitur nobis in hodierno Evangelio divina Christi manifestatio coelitus facta Magis, viris sapientibus, divitibus et nobilibus, et quid ipsi egerint divina revelatione accepta, in quibus christiana describitur vita, quoniam primitiae Gentium Magi fuerunt, sicut pastores primitiae Iudaeorum. Primo nobis proponitur divina manifestatio et revelatio nativitatis Christi facta gentilibus Magis; mirabili enim ortu novae stellae in coelo Deus illis Christi nativitatem manifestavit, unde aiunt: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente et venimus adorare eum.* [2]

Forte divinitus admoniti fuerunt Magi ut venirent ad Christum adorandum.

Existimo autem divinitus fuisse admonitos ut venirent ad Christum adorandum, sicut postea admoniti fuerunt ut per aliam viam reverterentur in regionem suam, [3] ut sicut Angelus pastoribus ait, nato Christo: *Ecce... evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus... et hoc vobis signum*, etc., [4] ita Deus per Angelum Magis revelaverit Christi nativitatem signumque dederit novae stellae, sicut multis saeculis antea Balaamo revelaverat mysterium futurum nativitatis Christi: *Orietur stella ex Iacob et exurget virga ex Israel.* [5] Magi ergo divinitus admoniti veniunt ad quaerendum et adorandum Christum natum, coelesti signo manifestatum: *Vidimus... stellam eius in oriente et venimus adorare eum.*

Mirabilis fuit stella ista prae ceteris substantia, situ et motu.

Fuit stella haec valde mirabilis multumque ab aliis stellis firmamenti differens; non enim fuit stella aliqua ex coelestibus, sed nova fuit stella, ab aliis differens substantia, quoniam haec forte substantia fuit elementalis sicut cometae et crinitae stellae; differens situ, quoniam haec sub coelo, in superiori aeris regione sita erat, ubi cometae cernuntur; differens motu, quoniam haec recto incedebat motu: דָּרַךְ כּוֹכָב מִיַּעֲקֹב, [6] *iter faciet, recta incedet stella ex Iacob;* sic ab

1) Mt 2, 1-2. 2) Ibid vrr. 2-3. 3) Cf. ibid. vr. 12. 4) Lc 2, 10-12.
5) Nm 24, 17. Vulg.: *Consurget virga de Israel.* 6) Ms.: *Darach cocab miahacob.*

Angelo aliquo ex coelestibus movebatur, et nunc occultabatur, nunc aperiebatur; sic Ierosolymam usque duxit Magos ibique se occultavit, postea vero iterum sese illis manifestavit, quousque ad Christum usque perduxit. [7]

**Sed mirabilior mysterio, nam symbolum fuit fidei.**

Sed mirabilior ceteris astris stella haec fuit mysterio, quoniam Christum significabat, Christi veluti imago erat; hinc specialiter Christi dicitur stella: *Vidimus... stellam eius in oriente;* hac ratione multo est sole illustrior multoque splendidior: *Vidimus... stellam eius in oriente:* fuit veluti stella matutina, [8] lucifer, quae solis praenunciat ortum. Forte in stella hac expressa cernebatur Christi imago et ideo dicta est Christi stella. Fuit etiam stella haec fidei symbolum, fides enim tota mirabilis, tota coelestis Christum praedicat et ad Christum homines perducit.

**Mirabilis et magna est hodierna Christi manifestatio.**

II. Fuit hodierna manifestatio valde mirabilis, magna valde, sed verissima atque certissima, quoniam *Deus verax est;* [9] veritatem exitus comprobavit, nam venerunt et invenerunt inventumque adoraverunt regem coeli in terra natum, unigenitum Dei Filium ex Virgine procreatum. Mirabilis, quoniam novo miraculo facta signo novae stellae, illa loquebatur, illa Christum praedicabat et manifestabat et enarrabat gloriam Dei humanati. Magna, quoniam a magno Deo per Spiritum Sanctum interius et per magnum coeli signum exterius facta magnis viris Magis, qui philosophi erant sapientissimi, principes nobilissimi atque ditissimi et forte etiam sacerdotes, nam Persarum sacerdotes magi erant; [10] magna, quia magnum thesaurum, rem magni, imo maximi momenti revelavit, Deum factum hominem, creatorem universi, astrorum moderatorem, regem maximum, sacerdotem et pontificem summum, hominem immortalitatis auctorem. Magna tandem, quia magnarum rerum causa et magnarum rerum mysterium, fecit enim ut viri sapientissimi ac nobilissimi principes suas relinquerent sedes, iter magnum assumerent et magno cum gaudio et alacritate: *Videntes... stellam* Magi *gavisi sunt gaudio magno valde,* [11] ut magna cum diligentia perquirerent in magna civitate Ieru-

7) Cf. Mt 2, 9. 8) Cf. Apc 22, 16. 9) Rom 3, 4. Vulg.: *Est autem Deus verax.*
10) Cf. S. Hieronymus *Adversus Iovinianum*, lib. 2, (P. L. 23, 303-304). 11) Mt 2, 10.

salem Christum natum: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* causa ut magna commotio fieret in Ierusalem: *Audiens autem Herodes rex turbatus est et omnis Ierosolyma cum illo;* [12] ut magnum congregaretur sapientum omnium concilium: *Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur;* [13] ut a magno concilio magnum vaticinium de Christi nativitate proponeretur: *Et tu, Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.* [14] Tandem effecit ut magno cum gaudio Christum invenirent, magna cum humilitate adorarent et magnis honorarent muneribus: *Intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.* [15] Opus autem hoc magna in futurum portendebat, magnam gentium fidem in Christum praefigurabat, quod Christus per fidem Gentibus manifestatus ac revelatus divina religione colendus erat. Adoratur hodie Christus non a pastoribus hebraeis, sed a Magis gentilibus, idolorum cultoribus.

Triplex invenitur magorum genus apud antiquos, at cuinam pertinuerint hodierni disputatur.

III. Refert Divus Hieronymus *De regula Monachorum* ex Eubulo, [16] fuisse apud antiquos triplex magorum genus: quidam sapientiam et veram philosophiam, vel naturalem magiam profitebantur summaque cum abstinentia vivebant, non enim nisi farinam et olera in cibum admittebant; alii religionem profitebantur et sacerdotes erant, maxime apud Persas; alii tandem malis artibus addicti daemonum invocationibus intendebant, ad praenoscenda futura vel divinanda occulta et maleficia exercenda. Hos autem magos multi quidem Sanctorum Patrum existimant sic appellatos ob sapientiam, [17] licet Epiphanius existimet ex Arabiae provincia, quae Magodia dicitur, eos venisse et propterea appellatos magos; [18] alii dictos putant magos ob malas artes. [19]

Ego quidem possibile existimo ut ex ea Arabiae regione venerint et utraque magia imbuti fuerint; significare autem hanc Magorum

12) Ibid vr. 3. 13) Ibid vr. 4. 14) Ibid. vr. 6. 15) Ibid. vr. 11.
16) Iuxta Migne *Adversus Iovinianum*, lib. 2, (P. L. 23, 303-304). Ms.: *Eusebio*.
17) Cf. not. 43-47 praec. hom., pag. 439. 18) *Expositio Fidei Catholicae et Apostolicae Ecclesiae*, (P. G. 42, 786-787). 19) Cf. not. 35-42 praec. hom., pag. 439.

adorationem quod Gentes, relictis daemonum cultibus, Christum verum Deum colendum susciperent, cognita veritate et comperta Christi virtute ex miraculis, nam propterea idola colebant, quoniam ignorantia obcaecati veros deos existimabant. Significat etiam hoc Magorum opus quod homines ex Gentibus ad Christum conversi ipsum Christum eiusque fidem et religionem praelaturi et antepositurí erant bonis omnibus mundi huius, honoribus, dignitatibus, divitiis, omnibus etiam scientiis et doctrinis naturalis philosophiae, ut credant quae oculis non videntur nec sensibus percipiuntur et mentibus incomprehensibilia sunt. Erant Magi hi gentiles homines, erant mundani principes, sapientes philosophi et multarum divitiarum possessores. Primum significat quod Christus praedicatione Evangelii et miraculorum operatione victurus erat diabolum eique regnum ablaturus, sic hodie Magi deficiunt a mundi principe, satana, [20] Christumque regem suscipiunt, adorant, perpetuam fidem iurant sacramentis datis; cetera vero praetendebant quod mundum victurus erat: *Confidite, ego vici mundum;* [21] *Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra.* [22]

Magi isti significant conversionem Gentium ad fidem Christi.

IV. Triplex hominum genus quae ad fidem et pietatem divinamque religionem spectant, facile contemnunt et parvipendunt: principes et nobiles viri, quoniam ex animi elatione non dignantur; philosophi scientia inflante imbuti, hi parum credunt; divites qui mammonae serviunt et thesauros congerere in mundo pro viribus laborant et satagunt. Sic videmus in hodierno Evangelio quod Herodes rex cum suis principibus contempsit ire cum Magis ad quaerendum et adorandum Christum; similiter principes sacerdotum, scribae et Pharisaei ad Herodis instantiam omnes magno numero congregati; pari modo cives Ierusalem, quae civitas erat ditissima et opulentissima, plena locupletissimis habitatoribus et mercatoribus.

Nobiles, divites et philosophi fidem et pietatem facile contemnunt;

Sed ecce Magi, principes nobilissimi, philosophi sapientissimi, viri ditissimi, ad pedes Christi prostrati eum adorant et munerant honestissimis homagiis. Quid hoc significat nisi quod Christus mundum victurus erat et suis pedibus subiecturus? O magnum miraculum!

Magi autem nobilissimi, sapientissimi et ditissimi Christum adorant

20) Cf. Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. 21) Ibid. 16, 33. 22) 1 Io 5, 4.

Adorant Magi Christum puerulum, infantem, humillimo loco natum, summa humilitate et paupertate circumdatum, tanquam vivum et verum Deum, in signum quod innumeri populi Christum adoraturi erant usque ad crucis mortem humiliatum. Sic stella haec magna mysteria portendebat, non morbos et mortem sicut crinitae cometae,[22a] sed salutem perpetuam et vitam sempiternam, quoniam auctorem salutis et vitae fontem demonstrabat.

*tanquam regem, sacerdotem et Deum in carne mortali;*

Cernimus magnae fidei sacramentum: *Procidentes adoraverunt eum.* Regina Saba, audita fama Salomonis et forte existimans ipsum esse regem illum tantopere a Iudaeis expectatum, venit quidem in Ierusalem, reperit potentissimum, sapientissimum et felicissimum regem, obtulit ei munera regia maiestate dignissima,[23] at non sic regem adoravit sicut Magi Christum: *Procidentes adoraverunt eum.* Non sic adorassent Octavianum Augustum, Romanorum imperatorem, in senatu romano, nam neque adorarunt in Ierusalem Herodem regem, neque summum Iudaeorum pontificem in sacro concilio; sed Christum adorant infantem in stabulo tanquam regem maximum, imperatorem potentissimum, pontificem summum, Deum Optimum Maximum. Hoc enim oblata munera designant: Christi divinitatem regiamque et pontificiam maiestatem in mortali carne.

*contemplabantur enim in pueri huius paupertate et humilitate regis coeli infinitam maiestatem.*

Sed, bone Deus, quali admiratione, quanto stupore tenebantur Magi Christi divinitatem in tali tantaque humilitate contemplantes! De regina Saba referunt Divinae Litterae quod, visa magnificentia et gloria domus Salomonis expertaque eius sapientiam, prae admiratione et stupore non remansit in ea spiritus,[24] quasi in extasim rapta animi deliquium quodammodo passa fuit. Sed quaenam vel lingua dicere vel intellectus capere unquam poterit doctissimorum virorum admirationem et stuporem hodie in contemplatione humilitatis et divinitatis Christi, scientes quod in infantuli recens nati corpusculo omnis divinitatis plenitudo corporaliter inhabitabat?[25] Procul dubio rapiebantur in extasim prae nimia admiratione contemplantes regis coeli paupertatem humilitatemque in stabulo et maiestatem gloriamque infinitam in coelo.

22a) Alludit ad communem antiquorum opinionem, iuxta quam alicuius cometae apparitio praesagium erat malorum. Cf. Claudianus *De Raptu Proserpinae*, lib. 1, vrr. 230-234.
23) Cf. 3 Rg 10, 1-10; 2 Par 9, 1-12. 24) Cf. 3 Rg 10, 5; 2 Par 9, 4. 25) Cf. Col 2, 9.

V. *Ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus*, etc.[26] Quoniam Magi fuerunt primitiae fidelium et proponuntur nobis tanquam christianorum imagines vivaque exemplaria, videndum nobis est quid ipsi erga Christum egerint, ut sciamus quid agendum nobis sit ut Christo placeamus et salutem consequamur. Primum est quod, visa nova stella, divinitus inspirati cognoverunt et crediderunt Christum natum; postea ad quaerendum Christum venerunt ab oriente Ierosolymam et a Ierusalem in Bethlehem, stella duce; tunc stellae indicio, quoniam stetit *supra ubi erat puer*,[27] intraverunt domum, invenerunt Christum, prostrati adoraverunt et tandem, apertis thesauris, obtulerunt munera. Primum igitur credendum nobis est divinis Scripturarum oraculis. Fides enim Sacrarum Scripturarum stella est fulgidissima, hinc in Ierusalem stella Magis non apparebat, quoniam sicut lumen solis abscondit lumina stellarum semperque maius lumen absorbet minus, ita lumen Divinae Scripturae obscuravit splendorem coelestis stellae, ut non appareret nec videri amplius tunc eo in loco posset.

**Magi nos docent quid nobis agendum sit ut Christo placeamus.**

Relinquunt Magi sedes patrias ex desiderio inveniendi et videndi Christum, contemnunt omnia, instituunt atque suscipiunt magnam peregrinationem. Sic nobis cum Paulo contemnenda sunt omnia ut Christum lucrifaciamus;[28] simus peregrini in terra ut possimus esse cives in coelo; ne nobis civitatem cum Caino aedificemus in terra, ne simus cum eo maledicti a Deo.[29] Relinquunt plagam orientalem in qua peccavit Adam,[30] ubi aedificata fuit turris Babel,[31] pergunt a mundi dextera parte ad sinistram, nam, ut philosophis placet, oriens est mundi magni huius hominis dextera, unde incipit motus;[32] in Sacris autem Litteris dextera significat voluptates et consolationes, sinistra vero tribulationes et poenas.[33]

**Idest contemnenda sunt omnia terrena.**

Sed tandem postea reversi fuerunt Magi ab occidente ad orientem, sed *per aliam viam*,[34] per spirituales consolationes transiere ad aeternas. Relinquamus et nos orientem mundanarum consolationum et carnalium voluptatum terrenarumque deliciarum, si coelestia

**relinquendae mundanae consolationes et voluptates.**

26) Mt 2, 1-2. 27) Ibid. vr. 9. 28) Cf. Phil 3, 9. 29) Cf. Gn 4, 11-17. 30) Cf. ibid. 2, 8; 3, 1-6. 31) Cf. ibid. 11, 4. 32) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 102, a. 1. 33) Cf. Mt 25, 33. 34) Ibid. 2, 12.

bona cupimus, nam: *Si compatimur, et conregnabimus;*[35] Si *socii passionum estis, et consolationis eritis;*[36] *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.*[37] Non eamus in Ierusalem, civitatem regiam, sed in Bethlehem, civitatem pastoralem, si Christum invenire cum Magis volumus. In Ierusalem turbationes sunt: *Audiens... Herodes rex turbatus est et omnis Ierosolyma cum illo;* gloria mundi multis magnisque perturbationibus plena est, in Bethlehem sunt magna gaudia.

Toto animo Christum contemplari debemus

Cum discessissent Magi ab Ierusalem, viderunt iterum stellam quae in oriente apparuit eis, et *gavisi sunt gaudio magno valde,* quoniam antecedebat eos sicut columna nubis et ignis ab Angelo mota antecedebat populum Dei, quousque eum ad promissionis terram securum laetumque perduxit.[38] Sic, inquit, *stella... antecedebat eos, usque dum veniens, staret supra ubi erat puer,*[39] ubi erat totius divinitatis absconditus thesaurus. *Et intrantes domum*: hoc proprium est vere sapientum virorum, vere spiritualium, intrare domum, interiora spiritus et animae in secreto cordis penetrare ad videndum Christum mentalibus et intellectualibus oculis in sacra contemplatione. Non venerunt Magi usque ad ianuam, sed intraverunt domum. Multi usque ad ianuam virtutis accedunt bona exterius operando, sed non intrant domum virtutis ut perfectionem virtutum, purgato animo, assequantur. *Intrantes domum invenerunt puerum:* si non intrassent, non invenissent, non vidissent Christum, frustra talem tantamque peregrinationem suscepissent; intraverunt cum filiis Israel in terram promissionis; intra templum manebat arca cum divino propitiatorio;[40] *intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius et procidentes adoraverunt eum,* in spiritu et veritate, hi enim sunt veri adoratores qui adorant eum in spiritu et veritate, toto cordis affectu et mentis intellectu, agnoscentes et diligentes Dominum: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;*[41] sic caecus ille a Christo illuminatus *procidens adoravit eum*[42] tanquam verum Filium Dei.

cumque toto cordis affectu et mentis intellectu adorare.

35) 2 Tim 2, 12. Vulg.: *Si sustinebimus, et conregnabimus.* 36) 2 Cor 1, 7. Vulg.: *Sic eritis et consolationis.* 37) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur,* etc. *Coronabitur* lect. cod. 38) Cf. Ex 13, 21 sq.; Nm 9, 15 sqq.; Dt 1, 33. 39) Mt 2, 9. 40) Cf. 3 Rg 8, 1-11; 2 Par 5, 2 sqq. 41) Io 4, 24. 42) Ibid. 9, 38.

VI. In *Apocalypsi* inquit Ioannes quod vigintiquattuor seniores mittentes coronas suas in terram, procidentes Christum adorabant;[43] sic hodie Magi, sicut ab omnibus Angelis et Sanctis adoratur Christus in coelo. Nec solum adorant Magi Christum, sed etiam munerant: *Apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham*, quae forte spiritum, animam et carnem significant, ita ut seipsos totos et sua omnia Christo obtulerint Magi; significant etiam fidem, spem et caritatem; fides enim myrrha est optima, spes est thus odoratissimum, caritas aurum pretiosissimum. Haec vita est fidelis animae, hominis vere christiani, tria haec Deo iugiter offerre: aurum caritatis perfectae, incensum orationis devotae et myrrham mortificationis discretae, exhibendo corpus suum *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium*[44] suum.

**Magi non solum Christum adorant, sed etiam mysticis muneribus honorant.**

Hic perfecta cernitur Magorum fides, quae in oriente quidem incepit ortu novae stellae, divina revelatione accepta; sed in Ierusalem profecit non modicum divinis Prophetarum oraculis instructa; tandem in Bethlehem perfecta est, cum iterum stella eis apparuit et Christum indicavit. Neque enim ad perficiendam numerisque omnibus absolvendam fidem sufficiet Scriptura ulla aut praedicatio, nisi divina effulgeat gratia mentalibus oculis, quae luminis solaris instar splendet et calet, illustrat intellectum et accendit inflammatque voluntatis affectum; ubi Scriptura potest quidem erudire mentem, sed non movere atque erigere collapsum animum. Magorum autem fidem instar frugiferae arboris et ligni vitae videmus hodie plantatam in sapientum cordibus, natam in oriente, crescentem et ad honestam magnitudinem auctam in Ierusalem: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem;*[45] sed in Bethlehem perfectam arborem fructibus optimis onustam: *Procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.* Unde fuit horum fides hodie sicut arbor quam Regius Vates describit *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium eius non defluet*, et *omnia quaecunque faciet, prosperabuntur.*[46]

**Ad fidem perficiendam divina gratia requiritur.**

43) Cf. 4, 1-10. 44) Rom 12, 1. 45) Ibid. 10, 10. 46) Ps 1, 3.

Hodie Christus declaratur et adoratur tanquam verus rex.

*Ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus enim*, etc. Sicut cum Dominus Deus in mundi primordiis hominem ad imaginem et similitudinem suam efformasset et in paradiso constituisset, adduxit ad eum animalia ut ipsis Adam nomina imponeret [47] et ita mundi princeps declararetur, nam ad hoc creatus fuit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae,* [48] sic hodie, cum ex virginea terra novum hominem Christum de coelo coelestem [49] creasset ut mundi totius princeps unicus esset et monarcha, ut eum talem declararet, prius adduxit Angelos de coelo et hodie homines de terra ad eum adorandum: *Venimus adorare* natum regem. Sicut David in Bethlehem, homo cum esset secundum cor Dei, [50] inunctus fuit et inauguratus rex, [51] ita hodie Christus inungitur, inauguratur, declaratur, adoratur rex: *Procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera.* [52]

47) Cf. Gn 2, 7-20. 48) Ibid. 1, 26. Vulg.: *Et praesit piscibus*, etc. 49) Cf. 1 Cor 15, 47-49. 50) Cf. 1 Rg 13, 14. 51) Cf. ibid. 16, 11-13. 52) Deinde, duobus foliis albis relictis, transitur ad diem *Conversionis S. Pauli Apostoli*, cuius sermones in *Sanctorale* inseremus.

## DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM

*Cum descendisset Iesus de monte, secutae sunt eum turbae multae; et ecce leprosus venit et adoravit,* etc. [1]

Duo maxime admiranda Christi miracula hodie proponuntur.

I. Sicut in coelo inter innumerabilia astra duo omnium maxime splendent luminaria magna, ita in sacrosancto hodierno Evangelio inter innumerabilia mysteria praecipue duo videmus admiranda Christi miracula; mundat enim Christus divina virtute sua iudaeum hominem a lepra et hominem ethnicum animam agentem ac iamiam moriturum ab incurabili et mortifera paralysia, qua male torquebatur; cernimus etiam magnam in mundato leproso fidem, sed multo maiorem in centurione, ubi adumbratur fides Ecclesiae Gentium multo insignior et mirabilior fide synagogae Iudaeorum: *Non inveni tantam fidem in Israel.* [2]

Leprosus iudaeus et centurio ethnicus duos populos significant ad Christum conversos.

Sicut Iacob et Esau, duo cum essent singulares homines, duos tamen populos designarunt, dicente Divina Scriptura: *Duae gentes sunt in utero tuo et duo populi ex te dividentur populusque populum superabit et maior serviet minori;* [3] sicut etiam duo filii Abrahae, teste Divo Apostolo, per allegoriam duos populos designarunt, [4] sic duo hi homines, leprosus iudaeus et centurio ethnicus, in mysteriis sacrosancti hodierni Evangelii duos populos designant ad Christum Deumque conversos; hinc ambo accedunt ad Christum.

II. *Cum descendisset Iesus de monte,* de altissimo coelorum habitaculo: *A summo coelo egressio eius;* [5] *Exivi a Patre et veni in mundum.* [6]

1) Pericope huius diei Mt 8, 1-13. Cf. Missale Romanum. Vulg.: *Veniens adorabat eum.* 2) Mt 8, 10. 3) Gn 25, 23. Vulg.: *Ex ventre tuo dividentur,* etc. 4) Cf. Gal 4, 22 sqq. 5) Ps 18, 7. 6) Io 16, 28.

Cernitur in leproso magna fides et humilitas;

Est Christus lapis ille excisus de monte altissimo sine manibus, percutiens statuam mundanae monarchiae et ad nihilum redigens, sed crescens ipse et implens omnia:[7] *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;*[8] hinc *secutae sunt eum turbae multae:* quae prius mundum sequebantur, nunc Christum sequuntur tanquam verum ducem et regem, imo regem regum et Dominum dominantium.[9] *Et ecce leprosus venit et adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare.*[10] Magna fides: *Si vis, potes* quod universa natura non potest; *si vis, potes*, sola voluntate potes, quod divinae solius est potestatis, qui *omnia quaecunque voluit fecit.*[11] Magna fides et magna cum animi humilitate, nam procidit in faciem suam genuflexus ante eum,[12] *adorabat eum dicens: Si vis, Domine, potes me mundare;* magna item cum modestia qua non audet petere quod maxime cupiebat, sed tantum insinuat; non dicit: Munda me, nec cum decem leprosis levans vocem suam clamat: *Iesu praeceptor, miserere*[13] mei, sed tantum: *Domine, si vis, potes me mundare.* Magna fides, magnum coeli luminare.

sed maior est fides centurionis.

Sed fides centurionis est luminare maius: *Accessit ad eum centurio rogans eum et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur.*[14] Leprosus fuit iudaeus: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius;*[15] habebat legem et Prophetas, hinc Christus mittit eum ad sacerdotes ut offerat [pro] emundatione sua *munus quod praecepit Moyses in testimonium illis;*[16] centurio vero ethnicus erat, sine lege, sine Prophetis, multo tamen maiori fide et cognitione Dei praeditus et illustratus proponitur: *Non inveni tantam fidem in Israel.*[17] Nam leprosus quidem credidit quod Christus praesens poterat ipsum a lepra mundare, centurio vero quod etiam absens, verbo tantum, non a qualicunque infirmitate, sed a paralysia et gravissima, adeo ut male torqueretur, ita ut animam ageret iamiam moriturus: *Tantum dic verbo et sanabitur puer meus; nam et ego homo sum sub potestate constitutus*, etc.[18] Si, inquit, ego qui homo sum et homo constitutus sub potestate, non tantum divina, sed etiam humana,

7) Cf. Dn 2, 31-35. 8) Mt 28, 18. 9) Cf. 1 Tim 6, 15; Apc 17, 14; 19, 16. 10) Mt 8, 2. 11) Ps 113, 3. 12) Cf. Mc 1, 40; Lc 5, 12. 13) Lc 17, 13. 14) Mt 8, 5-6. 15) Ps 75, 2. 16) Mt 8, 4. 17) Ibid vr. 10. 18) Ibid. vrr. 8-9.

sub potestate Caesaris, co tantum quod nonnulla sum praeditus potestate: *Habens sub me milites*, ad nutum obedior, *dico* enim *huic: Vade, et vadit, et alii: Veni, et venit, et servo meo: Fac hoc, et facit;*[19] quanto magis tu, qui sub nullius es potestate, omni tamen praeditus potestate, solo verbo poteris servo meo conferre sanitatem?

**qua revelatur magnus theologus;**

Loquitur tanquam altissimus theologus qui omnia tum mysticae tum etiam symbolicae theologiae mysteria novit; mystica enim auferendo veluti sculpsit nobis divinam imaginem, symbolica vero asserendo veluti pingit; illa negat, ista affirmat. Sic centurio cum mystica negat et aufert a Christo vero Deo omnem imperfectionem, qualis est subiectum servumque esse, Christus autem Deus est Dominus omnium; tribuit autem cum symbolica omnem perfectionem, dum asserit eum omni virtute et potestate praeditum esse, adeo ut solo verbo omnia possit. Sic maior fuit centurionis fides, clarior illustriorque cognitio divinitatis.

**maior quoque humilitas et caritas;**

Maior etiam humilitas, nam ille quidem procidit ad genua Christi, venit tamen per seipsum ad Christum; centurio vero ait: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum,*[20] *neque meipsum sum dignum arbitratus ut venirem ad te.*[21] Fuit et caritas maior, nam leprosus quidem pro se, centurio autem pro servulo petiit sanitatem, de quo etiam seniores Iudaeorum ad Christum dicunt: *Diligit enim gentem nostram et synagogam ipse aedificavit nobis;*[21a] vir utique valde pius tum in Deum tum in homines ostenditur.

**hinc Christus fidem centurionis praefert fidei leprosi.**

Hinc merito Christus hodie centurionis huius fidem praefert non tantum fidei leprosi mundati, sed etiam fidei totius Israelis: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Miratus fuit Christus incredulitatem Iudaeorum: *Et mirabatur*, inquit, *propter incredulitatem eorum;*[22] hodie miratur fidem ethnici hominis ac Gentium: *Audiens... Iesus miratus est et sequentibus se dixit: Non inveni tantam fidem in Israel;* unde *multi venient ab oriente et occidente et recumbent cum Abraham*, etc.[23] Sic hodie minor Ephraim praefertur maiori Manasse,[24] minor Iacob maiori Esau,[25] minor Isaac maiori Ismaeli;[26] centurio enim minor erat. Praefert hodie Christus fidem Ecclesiae Gentium

19) Ibid. vr. 9. 20) Ibid. vr. 8. 21) Lc 7, 7. Vulg.: *Meipsum non sum*, etc. 21a) Ibid. vr. 5. 22) Mc 6, 6. 23) Mt 8, 10-11. Vulg.: *Ab oriente et occidente venient*, etc. 24) Cf. Gn 48, 17-20. 25) Cf. ibid. 25, 23. 26) Cf. ibid. 21, 9-13.

fidei synagogae Iudaeorum, hinc miratur non fidem leprosi, sed centurionis: *Audiens... miratus est et... ait: Non inveni tantam fidem in Israel.* Sicut enim templum Salomonis multo fuit illustrius tabernaculo Moysi et tabernaculum interius tabernaculo exteriori, sic fides Ecclesiae multo insignior ac mirabilior fide synagogae; hoc est enim quod Vates ait: *Maior erit gloria domus istius novissimae magis quam primae.* [27]

Magnum fuit lumen fidei synagogae.

III. Magna profecto fuit fides synagogae quoad principium, quia a Deo originem habuit sicut lumen a sole, hinc nullis fuit erroribus respersa, sicut philosophorum omnium doctrina, quoniam a summa veritate summaque sapientia emanavit. Sed fuit lumen umbratile, veluti nocturnum et lunare; fiebant revelationes divinae Patriarchis, sed per Angelos. Lumen autem fidei nostrae est clarum, solare, diurnum: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit;* [28] sunt revelata nobis divina mysteria non per Angelos, sed per Filium Dei, verum Deum et Dominum Angelorum. Et synagoga quidem cognovit Deum, sed unum, Ecclesia unum et trinum; synagoga creatorem, Ecclesia etiam recreatorem; synagoga facientem hominem, Ecclesia etiam factum hominem; synagoga benefactorem temporalem, Ecclesia aeternum; synagoga auctorem et gubernatorem naturae, Ecclesia etiam gratiae et gloriae, Ecclesiae militantis in terra et triumphantis in coelo, conditorem non tantum terrestris paradisi, sed etiam coelestis. Et synagoga quidem alte sensit de Deo: quod sit prima rerum omnium causa infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis; Ecclesia vero altissime: altum est sentire Deum esse unum, altissimum sentire esse etiam trinum; altum sentire Deum esse mundi creatorem, altissimum sentire esse etiam recreatorem. Altissime sentit Ecclesia de Deo quoad esse, posse et operari: quoad esse, quod sit ens primum, independens, aeternum, simplicissimum, actualissimum, purissimum, summum et infinitum bonum; quoad posse, quoad sit infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis, misericordiae, iustitiae, caritatis, infinitae suapte natura perfectionis in omnibus et per omnia; quoad operari, quod nihil apud Deum sit impossibile, quod solo verbo mundum creaverit

sed maius est lumen fidei Ecclesiae.

27) Agg 2, 10. Vulg.: *Magna erit gloria... plus quam primae.* 28) Rom 13, 12.

et omnia quae in eo sunt, quod solo voluntatis nutu omnia possit, quod bona omnia corporalia et spiritualia, visibilia et invisibilia, temporalia et aeterna, terrena, coelestia et supercoelestia, naturalia et supernaturalia gratiae et gloriae per ipsum facta sint, ita ut nec minimum quid factum sit sine ipso, nec consistere quidem posse, sed omnipotentem manum ipsius omnium creatricem, omnium etiam esse conservatricem.

Sancta fuit fides synagogae quoad legem, sed sanctissima fides Ecclesiae

IV. Fuit fides synagogae sancta quoad legem, quae quidem a Deo per Moysen data iusta et sancta fuit; sed fides Ecclesiae sanctissima per Evangelium, quod tanto legem excellit quanto Christus Moysen, sol lunam, Deus hominem; illa fuit lex timoris, haec vero amoris;[29] illa occidens, haec autem vivificans;[29a] illa grave iugum, haec iugum suave et onus leve [30] Haec lex illa est de qua dicitur: *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis:*[31] immaculata omnino, in qua nulla est macula imperfectionis vel contra Deum, vel contra proximum, vel contra lumen naturalis rationis. Lex Moysi permisit multas uxores,[32] permisit libellum repudii,[33] permisit usuras cum extraneis[34] et alia huiuscemodi; sed Evangelium nihil horum permittit.

quoad praecepta et quoad consilia.

Lex sanctissima et quoad praecepta et quoad consilia: quoad praecepta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, etc.; *Diliges proximum tuum sicut teipsum:*[35] et quoad consilia, consulit perpetuam castitatem,[36] perpetuam voluntariam paupertatem,[37] perpetuam orationem,[38] perpetuam cum proximis pacem,[39] ut inimicis dimittamus iniurias, ut eos diligamus, ut eis benefaciamus, ut pro eis oremus,[40] ut a litibus abstineamus,[41] ut pauperibus omnibus eleemosynas faciamus, etc.[42] Fuit lex Moysi sancta non tantum quoad moralia, sed etiam quoad caeremonialia in sacrificiis et sacramentis quibus populum sanctificabat; sed sacramenta illa suapte natura gratiam sanctificantem et iustificantem minime conferebant; Eccle-

29) Cf. ibid. 8, 15. 29a) Cf. 2 Cor 3, 6. 30) Cf. Mt 11, 30. 31) Ps 18, 8. 32) Cf. Dt 21, 15. 33) Cf. ibid. 24, 1-3. 34) Cf. ibid. 23, 19-20. 35) Mt 22, 37-39; Mc 12, 30-31; Lc 10, 27. 36) Cf. Mt 19, 11-12. 37) Cf. ibid. 5, 3; 19, 21; Mc 10, 21; Lc 6, 20; 18, 22. 38) Cf. Mt 6, 9-13; Mc 13, 33; Lc 11, 1-4. 39) Cf. Mc 9, 49. 40) Cf. Mt 5, 44 sqq.; 6, 14-15; Mc 6, 25-26; Lc 6, 28. 35-37. 41) Cf. Mt 5, 38-42; Lc 6, 29-30. 42) Cf. Mt 6, 2-4; 19, 21; Lc 6, 38; 11, 41; 12, 33.

sia vero habet Sacramenta quae sunt tanquam vasa gratiae, fontes Salvatoris: *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris,*[43] quae suapte natura accedentibus sine obice conferunt gratiam Spiritus Sancti iustificantem et sanctificantem animam, post remissionem omnium peccatorum et quoad culpam et quoad poenam, adeo ut hominem dignum vita aeterna constituant.

Magna fuit fides synagogae quoad iudicialia legis, sed maxima fides Ecclesiae;

V. Fuit etiam fides synagogae magna quoad iudicialia legis, magna enim praemia promittebat servatoribus legis et magna item supplicia transgressoribus; illis felicem vitam, his infelicem mortem; sed tum praemia tum supplicia temporalia erant;[44] fides autem Ecclesiae virtuti promittit bona coelestia, divina, sempiterna, vitio autem minatur perpetua in inferno supplicia cum diabolo et tartareis spiritibus; electis dicitur: *Venite, benedicti Patris mei*, etc.,[45] reprobis: *Ite, maledicti, in ignem aeternum*, etc.[46] Sic bonos manent aeterna praemia, malos vero sempiterna supplicia; illos paradisus, hos infernus.

magna fides synagogae quoad martyria et miracula, sed maxima fides Ecclesiae;

Magna fuit fides synagogae et valde illustris ob miracula quae operatus fuit Moyses in Aegypto, in mari Rubro, in deserto;[47] nec tantum Moyses, sed etiam Iosue,[48] Samuel,[49] Elias,[50] Eliseus[51] et alii; sed fides Ecclesiae maxima et summe conspicua ob innumerabilia infinitaque miracula quae operatus fuit Christus et Apostoli Christi, quorum vere infinitus est numerus. Magna et illustris valde fides synagogae ob martyria, nam omnes fere Prophetae propter fidem martyria passi sunt; sed maxima in martyribus Ecclesiae fides, ob cuius fidem innumera millia millium hominum mille martyriorum genera passi sunt, post Christi martyrium, a Iudaeis et Gentibus, ab infidelibus et haereticis, imo ab universo impiorum hominum genere.

magna fides synagogae quoad numerum sanctorum virorum,

Magna fides illa ob numerum sanctorum virorum qui in ea floruerunt magna sanctitate conspicui, quales fuerunt Patriarchae, Prophetae, pontifices, sacerdotes, levitae, principes, iudices et reges sancti; sed Ecclesia innumerabiles habuit viros sanctissimos, Apostolos, Evangelistas, prophetas, doctores, Martyres, Pontifices, Confes-

43) Is 12, 3. Vulg.: *In gaudio*, etc. 44) Cf. Lv 26, 1 sqq.; Dt 28, 1 sqq.
45) Mt 25, 34. 46) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me maledicti*, etc. 47) Cf. Ps 77, 12-53; 104, 26-43. 48) Cf. Eccli 46, 1-10. 49) Cf. ibid. vrr. 16 sqq.
50) Cf. ibid. 48, 1-12. 51) Cf. ibid. vrr. 13-15.

sores, Virgines, et cuiusvis status, conditionis, aetatis et sexus, viros et mulieres sine numero qui coelestem in terris vitam tanquam angeli in carne duxerunt; hinc I o a n n e s in *Apocalypsi: Vidi,* inquit *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat,* etc. [52] Quorum profecto sanctitatis specimen non vulgare in centurione isto hodie videmus, in quo omnis virtutum chorus mirabiliter cernitur: in eo fides, spes, caritas, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, humilitas, modestia, mansuetudo omnisque virtus christiano homine digna conspicue cernitur, unde merito Christus virtutem eius talem tantamque miratur et laudat.

sed maxima fides Ecclesiae.

VI. Fuit fides illa magna et illustris quoad praedicatores et doctores, Prophetae enim Spiritu Sancto afflati eam praedicaverunt et docuerunt; sed fides Ecclesiae maxima in hoc quoque, habuit enim Apostolos Spiritu Sancto plenos virosque apostolicos omni tum divinarum tum humanarum rerum sapientia praeditos, qui fidem hanc ubique gentium et coram et scriptis sapientissime et summa cum gloria praedicaverunt et docuerunt, subicientes ei omnem humanam sapientiam omnemque tum naturalem tum moralem philosophiam. Sic omnes scientiae nunc fidei ancillantur, sic granum sinapis, quod minimum est omnibus seminibus, crevit et factum est maius omnibus oleribus. [53]

Magna fuit fides synagogae quoad praedicatores et doctores, sed maxima fides Ecclesiae;

Fuit magna fides illa quoad doctrinam et sapientiam, quae continetur in libris legalibus, historialibus, sapientialibus et prophetalibus; sed maxima haec propter coelestem doctrinam divinamque sapientiam quae continetur in *Evangeliis,* in *Actibus Apostolicis,* in *Epistolis* P a u l i aliisque *Canonicis* et in *Sacra* I o a n n i s *Apocalypsi,* in quibus traduntur universa sacrae theologiae mysteria ostenditurque Deum esse totius deitatis divinitatisque fontem originalem, principium naturae, patrem gratiae, auctorem gloriae, totius humani generis conditorem, redemptorem, salvatorem ac glorificatorem. Sic fides thesaurus est omnis sapientiae, hic enim est thesaurus absconditus in agro, haec pretiosissima illa margarita: [54] *Infinitus enim thesaurus est hominibus.* [54*]

magna fides synagogae quoad doctrinam et sapientiam, sed maxima fides Ecclesiae;

52) 7, 9. 53) Cf. Mt 13, 31-32; Mc 4, 31-32; Lc 13, 19. 54) Cf. Mt 13, 45-46.
54*) Sap 7, 14.

magna fides synagogae quoad effectus, sed maxima fides Ecclesiae.

VII. Magna fides illa quoad effectus; illa enim synagogam sanctificavit populumque sanctum effecit, illa populum ad felicissimam terram promissionis adduxit et introduxit, cum ex Aegypto eduxisset, illa Aegyptum flagellavit et miracula operata fuit, illa Pharaonem cum universo exercitu suo in mari Rubro submersit populumque salvavit, illa hostes Dei superavit, illa sanctam Dei legem servavit et usque ad Christi adventum perpetuo inconcussa permansit; sed fides haec maxima, quae totum fere mundum sanctificavit et iustificavit, destructa idololatria in universo mundo; quod quidem illa nunquam facere potuit, imo unicum illud templum, in quo solo colebatur Deus, idololatria saepe profanatum fuit;[55] haec mundum universum fere ad Deum vere in spiritu et veritate colendum convertit,[56] quod illa facere nunquam potuit, universumque romanum imperium Christo subiecit populumque Dei ex Aegypto infidelitatis, devicto Pharaone cum universo exercitu suo,[57] idest diabolo cum omnibus cacodaemonibus, eduxit ac per Baptismi sacramentum, quod est mare Rubrum, induxit in desertum poenitentiae et tandem in paradisum aeternae felicitatis introducit, quod illa minime potuit. Et si illa Aegyptum flagellavit persequentem Moysen et populum Dei, haec in aeternum damnavit Iudaeam persequentem Christum omnesque Christi inimicos perdidit ac gloriose de eis triumphavit. Illa magna fuit, quoniam Deum habuit felicitatis largitorem tanquam finem, haec vero maxima, quoniam eundem quidem Deum finem habet, sed non terrenae ac temporalis felicitatis largitorem, sed coelestis et aeternae.

Magna fuit fides synagogae quoad scopum,

VIII. Magna illa fuit quoad scopum, quoniam Deum sibi scopum statuit: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester;*[58] haec maxima, quoniam eundem Deum habet: *Estote... perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est,*[59] sed Deum quidem non invisibilem et incognitum, sed Deum hominem factum habet virtutum exemplar, infallibile quidem quoniam Deus est, et visibile oculisque

55) Cf. Ps 73, 7; 78, 1. 56) Cf. Io 4, 23-24. 57) Cf. Ex 14, 22 sqq. 58) Lv 11, 44; 19, 2; 1 Petr. 1, 16. 59) Mt 5, 48.

spectabile quoniam homo. Sic fides centurionis supra fidem leprosi multo est insignior et mirabilior. sed maxima fides Ecclesiae.

Quicquid consideremus sive principium, sive media, sive finem, sive scopum, sive instrumenta, materiam, formam, aetatem, virtutem et operationem: auctor, Christus Filius Dei, Verbum Dei, verus Deus; media, Christus et Apostoli doctoresque et praedicatores pleni virtute Spiritus Sancti, imo ipsomet Spiritu Sancto; miracula etiam et virtutes innumeraque martyria; finis, Christus rex gloriae paradisi; scopus, Christus exemplar virtutum omnisque divinae perfectionis; instrumenta quibus devenire[60] possit homo ut assequatur scopum et consequatur finem, sacramenta gratiae; materia: credenda, speranda, diligenda, facienda, fugienda, desideranda tandemque timenda; forma, perfecta caritas et gratia, sanctitas et iustitia, aetas perpetua, novum et aeternum testamentum,[61] mansit semper eadem inconcussa navis Petri sicut arca Noe in diluvio;[62] virtus fidei omnipotens: *Omnia possum in eo qui me confortat;*[63] effectus et operatio, sanctificatio, iustificatio, illuminatio, perfectio, glorificatio et tandem salus mundi aeterna, devictis omnibus inimicis, carne, mundo, diabolo, inferno, peccato et morte.

IX. Sic Christus admiratus centurionis fidem, dignoque encomio ea collaudata, ait: *Amen dico vobis... quod multi venient ab oriente et occidente et recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum, filii autem regni eicientur in tenebras exteriores*[64] propter infidelitatem et perfidiam. Sic gentilis ob virtutem praefertur hebraeo: *Maior serviet minori ;*[65] sic egresso Iacob, qui prius fuerat benedictus, ingressus fuit Esau ex agro in paternam domum[66] et tandem ipse quoque benedictus fuit et maiori benedictione: *In pinguedine terrae et in rore coeli desuper erit benedictio tua,*[67] in benedictione enim Iacob non est *coeli desuper.* Sic hodie prius sanatur hebraeus quam gentilis, sed maior benedictio datur gentili quam hebraeo: *Erunt novissimi primi et primi novissimi.*[68] Ideo Christus fidei leprosi fidem centurionis praefert eamque admiratur, quia figurabat fidem Ecclesiae Gentium.

Erat in multo peiori statu gentilis quam hebraeus, nam hic quidem leprosus erat, partim sanus et partim infirmus, quia neminem

60) Ms.: *Denire.* 61) Cf. Hebr 8, 8 sqq. 62) Cf. Gn 7, 17. 63) Phil 4, 13.
64) Mt 8, 10-12. 65) Gn 25, 23. 66) Cf. ibid. 27, 30. 67) Ibid vrr. 39-40.
68) Mt 19, 30; 20, 16; Mc 10, 31; Lc 13, 30.

quae cumulatiorem gratiam recepit quam synagoga.

*ad perfectum adduxit lex,*[69] quae ostendebat peccatum, sed non auferebat; gentilis vero iacebat in domo paralyticus et male torquebatur, qui erat moriturus, Christi tamen gratia ad multo perfectiorem sanitatem pervenit; cumulatiorem gratiam consecuta est Ecclesia Gentium quam synagoga Iudaeorum. Sic Deus, qui primogenitos prius reprobaverat Cainum, Ismaelem, Esau primogenitosque Aegypti interfecit,[70] cum tamen venit legemque dedit, solos primogenitos elegit hosque tum hominum tum animaliun offerri sibi mandavit.[71] Sic Iacob super primogenitum Manassen, qui erat a dextris, posuit manum sinistram, et super minorem Ephraim, qui erat a sinistris, posuit manum dexteram.[72] Ante Christi adventum populus hebraeus erat a dextris, gentilis vero a sinistris; Christus vero ponit hodie manum dexteram super eum qui erat a sinistris et sinistram super eum qui erat a dextris: *Multi venient ab oriente et occidente et* aquilone et austro *et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno coelorum, filii autem regni eicientur in tenebras exteriores.*

Laudando fidem centurionis tangit Christus mysterium electionis et reprobationis, poenae et gloriae

Per dexteram et sinistram designantur in Divinis Scripturis praedestinatio et praescientia, electio et reprobatio, gratia et peccatum, gloria et poena, paradisus et infernus.[73] Ecce dextera: *Recumbent in regno coelorum;* et ecce sinistra: *Eicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* Sic Christus describit infernum locum tenebrarum extremarum, sive extimarum, idest profundissimarum et a luce maxime dissitarum. Sicut autem lux hieroglyphicum est omnis boni, ita tenebrae omnis mali; in paradiso summa lux, in inferno extremae tenebrae; in paradiso omne bonum, in inferno omne malum; hinc *ibi erit fletus,* qui nascitur ex dolore, *et stridor dentium,* qui nascitur ex horrore.

et duplicem inferni poenam describit: sensus et damni.

Imo his verbis Christus describit duplicem inferni poenam: damni et sensus, ut theologi dicunt;[74] damni: *In tenebras exteriores,* haec enim omnis boni privatio est; sensus: *Ibi erit fletus et stridor dentium,* haec enim sensiles poenas consequuntur.

Fides autem, talis qualis in centurione laudatur a Christo, eripit nos ab omnibus malis et omnia confert bona omnibus eam digne susci-

69) Hebr 7, 19. 70) Cf. Ex 12, 29. 71) Cf. ibid. 13, 2. 72) Cf. Gn 48, 17-20
73) Cf. Mt 25, 31 sqq. 74) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª 2ªᵉ, q. 87, a. 4; 2ª 2ªᵉ, q. 79, a. 4.

pientibus, hinc ait: *Venient* ab aquilone et austro, *ab oriente et occidente et recumbent*, etc. Sic enim coelestis civitas Ierusalem habet tres portas ab oriente, tres ab occidente, tres ab aquilone et tres ab austro,[75] ut ab omnibus mundi plagis omnes recipiat. Sic enim Deus *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire:*[76] *omnes*, tum Hebraeos tum Gentiles, hinc hodie et leprosum hebraeum et paralyticum curat gentilem.[77]

**Vera fides eripit ab omnibus malis et confert omnia bona.**

75) Cf. Apc 21, 10-13. 76) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult... veritatis venire.*
77) Deest Dominica Quarta.

## DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM

*Simile est regnum coelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, etc.* [1]

Docet Christus Deum auctorem esse bonorum,

I. Sicut Moyses in sua cosmopoeia docet Deum auctorem esse lucis: *Dixit... Deus: Fiat lux et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona,* [2] non autem tenebrarum factorem, nam de tenebris ait: *Tenebrae* autem *erant super faciem abyssi* [3] – *erant*, inquit, non factae sunt, – *et divisit lucem a tenebris,* [4] sic Christus in hodierno Evangelio docet Deum auctorem esse bonorum, non malorum: *Simile est regnum coelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo;* sic et Moyses Deum bonorum omnium fontem ostendit: *Vidit... Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona.* [5] Quod si per Isaiam ait: *Ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum; ego Dominus faciens omnia haec,* [6] et Amos: *Non est malum in civitate quod non fecerit Dominus,* [7] idest Deus ipse, יְהוָה, [8] haec quidem de adversitatibus intelligenda sunt, de bellis, peste et fame, de malis poenae, non culpae.

aliam autem esse causam malorum.

Sicut autem in mundo reperitur sol fons omnis lucis ac luminis, auctor diei omnisque claritatis, et terra mater noctis omniumque tenebrarum origo radixque, ita in hodierno Evangelio ostenditur fons omnium bonorum et fons malorum omnium; arbor bona quae facit fructus bonos et non potest fructus malos facere, et arbor mala quae facit fructus malos et non potest bonos fructus facere; [9] homo *qui*

1) Pericope huius diei Mt 13, 24-30. Cf. Missale Rom. 2) Gn 1, 3-4. 3) Ibid. vr. 2. 4) Ibid. vr. 4. 5) Ibid. vr. 31. 6) 45, 6-7. 7) 3, 6. Vulg.: *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit.* 8) Ms.: *Iehovah.* 9) Cf. Mt 7, 18.

*seminavit bonum semen* et *inimicus homo* qui *superseminavit zizania,* [10] Christus et satanas inimicus Christi: *Venit inimicus eius et superseminavit zizania;* [11] *Inimicus homo hoc fecit.* [12]

II. Est autem difficilis admodum quaestio: *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?* de malorum origine, quaenam sit malorum origo, undenam ortum habuit malities vitiorum peccatorumque omnium. Haec enim quaestio multorum torsit ingenia: quomodo cum Deus auctor sit mundi, creator omnium rerum quae coeli ambitu continentur, mundus malis est plenus? An non ipse summa et infinita bonitas, thesaurus et fons omnium bonorum? Sed respondet Christus malorum omnium auctorem non esse Deum, sed satanam: *Inimicus homo hoc fecit.* Sic etiam Moyses docuit homines generis nostri parentes in paradiso conditos fuisse a Deo puros, innocentes, sanctos, [13] sed a diabolo peccato infectos fuisse. [14] *Modicum* autem *fermenti totam massam corrumpit;* [15] hinc: *Mundus totus in maligno positus est;* [16] hinc: *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et superbia vitae;* [17] hinc: *Dominus de coelo prospexit super filios hominum ut videat si est intelligens aut requirens Deum.* Sed *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* [18] Nam in Adam omnes peccaverunt; venenum fuit peccatum illud quod totum corpus infecit; hinc in persona cuiuslibet hominis ait Apostolus: *Condelector... legi Dei secundum interiorem hominem; sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me sub lege peccati... Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nam *mente servio legi Dei, carne autem legi peccati;* [19] et alibi: *Caro... concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur.* [20] Vincit autem fere in omnibus spiritum caro, quoniam carnalia terrena sunt, visibilia, praesentia, quae sensui utilia ac delectabilia videntur ab ipsis incunabulis, spiritualia autem coelestia sunt divinaque, invisibilia, incognita et insuper difficilia admodum et ardua. Peccato enim rebellem reddidit carnem

Difficili quaestioni de origine malorum respondet hodie Christus satanam ostendens eorum causam,

qui in peccatum primos parentes inducendo mundum infecit.

10) Ibid. 13, 25. 11) Ibid. 12) Ibid. vr. 28. 13) Cf. Gn 2, 7 sqq.
14) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 15) 1 Cor 5, 6; Gal 5, 9. Vulg.: *Modicum fermentum*, etc.
16) 1 Io 5, 19. 17) Ibid. 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est*, etc. 18) Ps 13, 2-3.
19) Rom 7, 22 sqq. Vulg.: *Video autem aliam... in lege peccati*, etc. 20) Gal 5, 17.

spiritui, sensum rationi, magna in regno animae seditione concitata; hinc tot zizania in medio tritici, quoniam *inimicus homo... superseminavit zizania.*

Satanas malus creatus non fuit,

III. Sed adhuc non plene satisfactum videtur quaestioni de malorum origine. Nam procul dubio satanas etiam Dei creatura est: num a Deo malus creatus fuit? Absit! Nam hic *homo* dicitur, quoniam ad imaginem et similitudinem Dei conditus fuit,[21] Deo similis tanquam filius, hoc enim est esse ad imaginem et similitudinem Dei, filium esse Dei, sicut de Adam dicitur quod filium *genuit ad imaginem et similitudinem suam;*[22] sic Angeli dicuntur *filii Dei: Cum me laudarent... astra matutina et iubilarent omnes filii Dei.*[23] Si igitur satanas ad imaginem et similitudinem Dei conditus fuit, ergo bonus, iustus et sanctus, ut similis Deo esset, qui totus bonitas et sanctitas est. Unde ergo in eo peccati malities?

sed mala sua voluntate malus factus est.

Sed *nemo bonus nisi solus Deus;*[24] *Ego sum qui sum;*[25] in reliquis *vanitas vanitatum et omnia vanitas.*[26] Solus in coelo sol suapte natura lucidus est, cetera omnia nonnisi a sole lumen habent, ut in lunae patet eclipsi, interposita enim terra, luminis deliquium patitur. Lucifer ergo lumen bonitatis a seipso non habebat, sed a Deo; instar autem lunae perpetuum luminis deliquium passus est; imo instar terrae factus est totus opacus et tenebricosus, radix et origo tenebrarum omnium, hinc dicitur *princeps* et *potestas tenebrarum.*[27]

Peccatum satanae invidia fuit contra Christum,

Quomodo autem satanas talem passus sit metamorphosim innuit Christus, dum eum hominem inimicum appellat, specialem utique inimicum suum: *Venit inimicus eius et superseminavit zizania.* In hodierno Evangelio duo homines specialiter inducuntur: homo *qui seminavit bonum semen,* et homo *inimicus eius* qui *superseminavit zizania;* ille Christus est: *Qui seminat... est Filius hominis,*[28] qui autem *superseminavit zizania, diabolus est.*[29] Homo dicitur Christus ut Deus Deique Filius, imago Dei naturalis et consubstantialis, ut homo imago Dei, sed veluti artificialis; diabolus similiter; uterque filius Dei, Deus enim sicut Abraham duos filios habuit:[30] hominem

21) Cf. Ez 28, 12. 22) Gn 5, 3. 23) Iob 38, 7. 24) Lc 18, 19.
25) Ex 3, 14. 26) Eccle 1, 2; 12, 8. 27) Lc 22, 53; Eph 6, 12. 28) Mt 13, 37.
29) Ibid. vr. 39. 30) Cf. Gn 16, 15; 21, 1-3; Gal 4, 22.

et Angelum, Christum et satanam; sed sicut minorem Isaac voluit Deus heredem esse, non maiorem Ismaelem, [31] et sicut minorem Iacob maiori Esau [praetulit], [32] Davidem etiam humilem pastorem praetulit regi Israelis totius, Sauli, [33] sic hominem Christum satanae Angelorum principi. Hinc orta est invidia ex φιλαυτία, [34] ex amore proprio, nam ob hanc causam Ismael inimico animo persequebatur Isaac, [35] Esau Iacobum, [36] Saul Davidem. [37] Sic satanas invidia motus gloriae Christi hominis factus est eius inimicus et similiter Dei, sicut Absalom ambitione motus factus fuit inimicus ac persecutor Davidis patris sui. [38]

quem vidit in assumpta humanitate praelatum sibi a Deo;

Existimavit enim Lucifer iniuriam sibi inferri a Deo videns praeferri coelesti Angelo terrenum hominem hominemque fieri principem totius universi, regem et dominum Angelorum, ad Dei dexteram collocatum; hinc proprio amore excaecatus animoque a Deo aversus, invidia et ambitione stimulatus, factus inimicus Christi, in odium Christi coeipt in coelo disseminare zizania; sic traxit cauda sua draco in terram e coelo tertiam partem stellarum, [39] avertens suis persuasionibus Angelos a Deo in odium Christi, ut non obedirent Deo praecipienti ut omnes Angeli Christum hominem adorarent: *Cum iterum introducit primogenitum* suum *in orbem terrae dicit... Adorent eum omnes Angeli Dei.* [40]

hinc ambitione stimulatus rebellionem inter Angelos commovit ne Christum hominem adorarent.

Ex mala igitur diaboli voluntate ortum est in mundo omne genus malorum; licet enim bonam Deus voluntatem concesserit Angelis in creatione, non tamen confirmatam in bono, sed adhuc vertibilem a bono in malum, ut esset instar speculi quod versum in coelum coelestia repraesentat, versum autem in terram terrenarum rerum imagines reddit. Speculum ex chalybe vel ex argento fit a peritissimo magistro, pulitissimum ac lustratissimum, sed suapte natura aeruginem contrahit menstruaeque mulieris flatu infectum poliri amplius non potest ut reddat imagines; [41] sic fuit satanas.

Angeli boni creati, in bono confirmati non erant;

*Inimicus homo hoc fecit.* Duo indicant haec verba: naturam et culpam; naturam *homo*, culpam *inimicus;* perversum animum, malam

31) Cf. Gn 17, 15-19. 32) Cf. ibid. 25, 23. 33) Cf. 1 Rg 13, 14; 15, 26-28. 34) Ms.: *Philautia.* 35) Cf. Gal 4, 29. 36) Cf. Gn 27, 41. 37) Cf. 1 Rg 18, 8 sqq. 38) Cf. 2 Rg 15, 1 sqq. 39) Cf. Apc 12, 3-4. 40) Hebr 1, 6. 41) Cf. S. Thomas *Summa Theolog.*, q. 1, a 3 ad 2; Aristot. *De Insomniis*, cp. 2, t. 1, pag. 426. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 3, cp. 28, col. 152.

Ideo natura in satana bona est, sed voluntas ob peccatum mala et perversa.

voluntatem. Sicut in terra duo sunt: natura bona, apta utique ad multa bona producenda, et opacitas tetra ac tenebricosa, mala et multorum causa malorum, ita in satana natura bona est, voluntas ob peccatum perversa et mala. Abusus est satanas instrumento quod ei dedit Deus ad aeternam gloriam consequendam, quod [est] animus boni appetentissimus et mali fugacissimus; hic gladius est ex utraque parte acutus militi serviens ad se defendendum inimicumque offendendum.[42] Sed abusus est hoc gladio, nimium seipsum amavit supra Deum: « Ne quid nimis »;[43]

« Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum »;[44]

noluit moderari animum et voluntatem suam regula et amussi divinae voluntatis.

Ex hoc docemur ut ab inordinato amore nostri nobis caveamus, ex quo omne malum oritur.

Cavendum igitur et nobis est a φιλαυτία,[45] ab amore proprio, a nimio et inordinato nostri amore, hinc enim omne malum, hinc ambitio, hinc libidines, hinc auri sacra fames,[46] hinc zizania in medio tritici. Seminavit Deus in animo nostro bonum semen, imo bona semina: in intellectu quidem semina atque principia scientiarum omnium, ita ut vera discernere possimus a falsis, mala a bonis; in voluntate autem semina et principia omnium virtutum, amorem et desiderium boni, odium et fugam mali. Sed *inimicus homo superseminavit zizania*, inordinata immodicaque desideria temporalium carnaliumque bonorum fugasque malorum, quae carni et sensui displicent.

Duplex est malorum causa: humana negligentia et satanica malitia.

IV. Duplicem causam malorum omnium Christus assignat: humanam negligentiam et satanicam malitiam: *Cum... dormirent homines, venit inimicus eius et superseminavit zizania in medio tritici et abiit*,[47] quo ultimo verbo designatur naturae nostrae propensio ad mala: *Sensus enim et cogitatio cordis humani ad malum prona sunt* omni tempore *ab adolescentia sua.*[48] Nihil laborat satanas, sicut qui seminavit bonum semen in praeparanda terra, sed *superseminavit ziza-*

42) In margine haec adiecta fuerunt: « Fuit satanas sicut Saul rex Israel, a Deo propter inobedientiam reprobatus regnoque privatus, qui suo se gladio interemit ».
43) Vetus apophtegma quod Diogenes Laertius Socrati et Pythagorae tribuit. Cf. *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 2, pag. 72; lib. 8, pag. 331. 44) Horat. *Satyr.*, lib. 1, satyr. 1, vrr. 106-107. 45) Ms.: *Philautia.* 46) Ex Virg. *Aeneid.*, lib. 3, vr. 57.
47) Mt 13, 25. 48) Gn 8, 21. Vulg.: *Humani cordis in malum*, etc.

*nia ... et abiit. Cum autem crevisset herba ... apparuerunt et zizania*[49] in medio tritici. In pueritia seminat diabolus in hominum pectoribus ac mentibus zizania vitiorum, ut cum per aetatem creverit herba, tunc appareant zizania peccatorum in adolescentia, iuventute et reliqua aetate. Immittit satanas tantum malas cogitationes malaque desideria sensus, carnis; haec retinet, fovet, nutrit et crescere facit ducitque ad perfectam malitiam: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.*[50] Sufficit ut iuveni, quem ad libidinem proclivem videt, ostendat mulierem animumque semel accendat in eam; ut homini pecuniae cupido ostendat lucrum, vel ad ambitionem propenso viam indicet consequendi honoris.

**quibus tertia adiungenda est, concupiscentia.**

Triplex est ergo causa peccati: spiritus negligentia mentisque ignavia: *Cum... dormirent homines;* diaboli malitia: *Venit inimicus homo et superseminavit,* et tandem carnis nostrae infirmitas et concupiscentia: *Superseminavit... et abiit;* sed absque ullo labore suo, *cum crevisset herba... apparuerunt et zizania.* Saepe in nobis, o fratres, dormit spiritus, dormit fides, dormit spes, dormit caritas, dormit prudentia et vigilantia mentis, non recordamur praecepti Domini: *Vigilate et orate;*[51] dormiente autem ancilla ostiaria Isboseth filii Saul regis Israel, quae purgabat triticum, occisus fuit rex a Rechab et Baana proditoribus.[52] Hi autem passiones significant concupiscibilis vel irascibilis, nam Rechab c u r r u m significat vel e q u i t a t u m, Baana autem i n a f f l i c t i o n e; hinc dicuntur *filii Remmon,* quod est m a l u m g r a n u m, figura cordis nostri, ubi veluti grana sunt cogitatus et desideria, passiones et affectiones irascibilis et concupiscibilis. Saepe regem in regno animae nostrae occidunt, si dormiat ostiaria domus, curatrix tritici, prudentia mentisque vigilantia. Samson securus dormiens in sinu Dalilae meretricis ac proditricis, capillis privatus in quibus ipsius fortitudo consistebat, a Philisthaeis captus fuit erutisque oculis, ludibrio expositus et animalis bruti operibus destinatus ad molendum.[53] Non immerito finxere poetae somnum fratrem esse et imaginem mortis,[54] nam vere qui spiritu dormit, veluti mortuus est apud Deum: *Surge qui dormis*

**Prima causa, humana negligentia,**

49) Mt 13, 25-26. 50) Iac 1, 15. 51) Mt 26, 41; Mc 14, 38. 52) Cf. 2 Rg 4, 5-7. 53) Cf. Idc 16, 16-25. 54) Cf. Ovid. *Amorum,* eleg. 9, vr. 41.

*et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* [55] Hic igitur hominum somnus, haec nostra socordia in causa multorum malorum est.

altera causa, diaboli malitia,

Altera vero et potissima causa est diaboli malitia: *Venit inimicus homo et superseminavit zizania.* Quibus verbis duo designantur: animi acre et immane odium ad nocendum: *Inimicus homo,* et vafrax astutia mentis ad decipiendum, semper enim invigilat tempus locumque observat ut nulla opportuna nocendi occasio praeterlabatur, nam

« Fronte capillata, post haec occasio calva »; [56]

ait enim quod *cum... dormirent homines, venit et superseminavit zizania.* Omnes novit artes nocendi atque tentandi, peritissimus est venator, auceps, piscator, ad praedam insectandam et capiendam semper intentus, calidissimus transfur [56a] et manticularius, qui omnes novit suffurandi artes et ingenia. Ipse enim magister est furum et fallaciosorum hominum, princeps latronum, dux sicariorum, qui omnes novit nocendi artes et stratagemata modosque insidiandi. Cum autem acerrimus sit hostis et perpetuus Christi inimicus, sciens se Christo, qui in coelis est ad dexteram Dei, nocere non posse, nobis pro viribus nocere satagit, quoniam Christi servi sumus, imo fratres et membra, nos studet pertrahere in gehennam, ut una secum in inferno perpetuas sempiternasque poenas inextinguibilis ignis luamus.

quae multos in perditionem pertrahit;

Sed, bone Deus, quam copiosa est zizaniorum seges! Quam multi sunt filii nequam, filii huius saeculi, filii satanae! Regius Vates aiebat: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutae sunt veritates,* sive defecerunt veraces et fideles, *a filiis hominum.* [57] Unde hoc nosti? Quoniam *ex abundantia... cordis os loquitur; Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.* [58] *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde... locuti sunt.* [59] *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum.* [60] Duplici *Psalmo* deplorat Regius Vates multitudinem impiorum et pusillum iustorum gregem: *Psalmo 13* et *Psalmo 52,* qui totus idem est cum *13,* uno tantum differens versiculo. Nam in *13* dicitur: *Quoniam Dominus in generatione iusta est, consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est,* [61] idest quia nonnisi

55) Eph 5, 14. 56) Dionysius Cato *Carmen De Moribus,* vr. 142. 56a) Vox haec in Lexicis non invenitur. 57) Ps 11 (hebr. 12), 2. 58) Mt 12, 34-35; Lc 6, 45. 59) Ps 11, 3. 60) Ps 13, 3. 61) Vr. 6.

in Domino omnem spem suam reposuit, propterea eum impii spernunt; in *52* autem: *Quoniam Deus dissipat ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos;* [62] in reliquis iidem omnino sunt. Finis autem utriusque est: *Quis dabit ex Sion salutare Israel? Cum averterit Dominus captivitatem plebis suae, exultabit Iacob et laetabitur Israel.* [63] Nam talis, inquit, tantusque est impiorum numerus in mundo, ut iusti eis servire cogantur, sicut Hebraei in Aegypto misera servitute. [64]

Tertia tandem malorum causa est carnis infirmitas carnalisque concupiscentia ad malum semper proclivis et propensissima: haec terra est quae suapte natura malas producit herbas, zizania, spinas, tribulos; haec veluti fomes est ad concipiendum ignem aptissimus, ita ut minima scintilla sufficiat ad accendendum in eo ignem; ipsa etiam spiritui soporem inducit somnumque, sicut Iahel cum Sisara principe militiae operata fuit; cum enim lassus ille esset ac sitiret, lac potum dedit soporiferum; cum autem obdormisset, clavo per tempora transfixo occidit, quod Barach Sisarae persecutor quaerebat. [65] Sic, inquam, caro satanae morem gerit in nostram perniciem; Dalila est cum Philisthaeis unita et confoederata ad perdendum Samsonem; fovet caro nostra zizania suapte natura, ita ut absque ullo satanae labore aut cura, cum seminata fuerint, nascantur, crescant et fructum malum faciant.

**tertia causa, concupiscentia, quae satanae morem gerit.**

V. Accidit quidem aliquando ut etiam semen Dei sic fructificet, quemadmodum ait quod *sic est regnum Dei quemadmodum si homo iaciat sementem in terram... et semen germinet et crescat dum nescit ille, ultro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* [66] Quibus verbis ostenditur triplex status electorum Dei: incipientium, proficientium et perfectorum, et tres actus hierarchici: purgatio, illuminatio et unio; tria etiam virtutum genera: virtutes purgatoriae, animi purgati et heroicae exemplaresque Deo similes; triplex etiam actus caritatis: ut diligatur Deus ex toto corde, ita ut nihil diligatur contra voluntatem Dei, quod incipientium est; ut diligatur ex tota anima, ita ut nihil supra Deum diligatur,

**Ostendit etiam Christus triplicem statum electorum.**

**tria virtutum genera et triplicem actum caritatis.**

62) Vr. 6. Vulg: *Dissipavit ossa.* 63) 13, 7; 52, 7. 64) Cf. Ex 1, 9 sqq.
65) Cf. Idc 4, 15-22. 66) Mc 4, 26-28. Vulg.: *Et increscat,* etc.

quod est proficientium, et tandem ut diligatur ex tota virtute, ut nihil diligatur cum Deo, sed solus Deus super omnia. Haec terra est bona quae fecit fructum trigesimum, sexagesimum et centesimum[67] ex Spiritus Sancti virtute.

Multis auxiliis eget caritas ut ad perfectionem perveniat.

Sed raro contigit ut sic homo Deo serviat spiritu Dei ductus, ex amore virtutis; multis opus est internis inspirationibus, promissionibus, minis; rarissimi sunt quibus una tantum sufficiat inspiratio, una tantum et simplex Dei vocatio, ut spiritui serviant et Deum ex corde colant Christumque ex animo sequantur et pro sua virili imitentur. Non sic autem zizania, sed sufficit ut seminentur vel pravis suggestionibus daemonum vel iniquis persuasionibus pravorum hominum vel malis iniquorum ac sceleratorum exemplis.

Omnis homo vel triticum est Christi vel zizania diaboli;

VI. Mirum autem in modum nos hodie Christus perstringit dicens quod omnis homo vel triticum est Christi, quod in horreum Dei congregandum est, vel zizanium, lolium diaboli igni comburendum;[68] quod omnis vel natus est ad gloriam regni coelestis vel ad gehennam ignis infernalis; non datur medium. Videat ergo quisque apud semetipsum quidnam sit, triticum an zizanium, filius regni an filius nequam, filius huius saeculi; an vivat secundum spiritum, an secundum carnem; an vitam suam moderetur secundum Deum, an secundum mundum. Lolium perniciosum valde est, tentat caput, inducit vertigines, instar vini inebriat.[69] Divina Scriptura ait quod *fornicatio*, idest *idolorum servitus*,[70] avaritia, *vinum* et mulieres *auferunt cor*,[71] dementant hominem, inducunt mentis vertiginem, afficiunt hominem iudicio praepostero: *Vae qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes lucem* in *tenebras et tenebras* in *lucem, ponentes dulce in amarum et amarum in dulce!*[72] Hoc igitur est lolium quod inducit vertigines, quod hominem inebriat, quod caput tentat, quod cerebrum laedit. Vide, homo, quid agas, an praeferas carnem spiritui, corpus animae, mundum Deo, temporalem vitam aeternae.

ut autem dignoscatur, videndum est quo spiritu vivat.

Nos miseros! quid de nobis erit? *Colligite... zizania... ad com-*

67) Cf. Mt 13, 8-23; Mc 4, 8. 68) Cf. Mt 13, 38-42. 69) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 18 cp. 17, pag. 206. 70) Gal 5, 20. 71) Os 4, 11. 72) Is 5, 20. Vulg.: *Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum.*

*burendum;*[73] *Mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus et stridor dentium.*[74] Unum nobis remanet solatium: quod possunt per poenitentiam zizania in triticum commutari, *vasa irae apta in interitum*[75] in vasa gratiae et gloriae. Et benignitas Dei ad poenitentiam nos expectat.[76] Ne igitur duro et impoenitenti corde thesaurizemus nobis *iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua.*[77] Caveamus ne in die iudicii viri Ninivitae contra nos insurgant nosque condemnent.[78] Sciamus quod nonnisi triticum, nonnisi iusti salvandi sunt; imo Petrus ait: *Iustus vix salvabitur, impius* autem *et peccator ubi parebunt?*[79] Triticum enim nobilissimum frumenti genus est, quod purissimum esse oportet, unde hebraice dicitur בַר,[80] idest purum.

Satagamus ergo ut per poenitentiam ex zizaniis in triticum convertamur.

## II. ALIA HOMILIA

*Simile est regnum coelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo,* etc.[1]

I. Sacratissimam hodierni Evangelii parabolam mille mysteriis et sacramentis divinae sapientiae sacraeque theologiae refertam ipse Dominus per seipsum declarare dignatus est, quoniam eam Apostoli intelligere minime potuerunt, hinc dixerunt ei: *Edissere nobis parabolam zizaniorum.*[2] Erat haec eis veluti liber ille in dextera Dei, quem nulla vel coelestis creatura potuit aperire, nisi solus Christus: *Vicit leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum et solvere septem signacula eius.*[3] Sicut autem Deus, cum creasset coelum et terram tenebris involutam, lucem postea creavit, cuius splendore et claritate creata omnia videri et spectari possent,[4] et sicut Noe, constructa arca, Dei iussu fenestram in ea fecit per quam lumen reciperet,[5] sicut etiam Moyses, constructo tabernaculo, posuit in eo aureum cande-

Mysteria huius parabolae Christus ipse declaravit.

73) Mt 13, 30. 74) Ibid. vr. 42. 75) Rom 9, 22. 76) Cf. ibid. 2, 4. 77) Ibid. vrr. 5-6. Vulg.: *Opera eius* 78) Cf. Mt 12, 41; Lc 11, 32. 79) 1 Petr 4, 18. 80) Ms.: *Bar.*

1) Mt 13, 24. 2) Ibid. vr. 36. 3) Apc 5, 5. 4) Cf. Gn 1, 1-4. 5) Cf. ibid. 6, 15-16.

labrum, quod septem luminibus divinum illud sanctuarium perpetuo illuminaret,[6] sic hodie Christus, proposita hac parabola obscurissima quidem et arcanis mysteriis refertissima, eam lumine suae claritatis illustravit, nam: *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis.*[7]

attamen non totaliter.

Declarat Dominus parabolam suam, ut ostendat quod Sacra Scriptura saepe admodum difficilis est, sicut problema Samsonis,[8] et indiget declaratione divina. Nec tamen totam omnino declarat, neque enim reperimus declaratum quid sit illud: *Cum autem dormirent homines,*[9] neque quid illud: *Vis imus et colligimus ea?*[10] neque responsionem illam: *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis cum eis simul et triticum;*[11] sed haec Sanctis Doctoribus declaranda reliquit. Sicut enim *Deuteronomio* 24 praecepit ut dominus messis non colligeret spicas a messoribus relictas, neque dominus vineae racemos, sed pauperibus relinquerentur,[12] imo *Levitico* 19 ut non totus ager omnino meteretur neque tota vinea vindemiaretur, sed pars aliqua pauperibus relinqueretur,[13] sic ipse egit hodie.

Parabola haec est veluti compendium totius theologiae,

II. Declaravit autem quod homo *qui seminat bonum semen* est *Filius hominis,* idest ipse Christus; quod *inimicus homo* est satanas, quod *ager est mundus,* quod bonum semen sunt electi, quod zizania sunt reprobi, quod *messis* est *consummatio saeculi,* quod servi patrisfamilias sunt Angeli, quod horreum est gloria paradisi, quod ignis, quo zizania sunt comburenda, poena est infernalis gehennae.[14] O mirabilem parabolam! Vere compendium est, pericope et ἀνακεφαλαίωσις[15] totius sacrae theologiae! Nam Sacra Scriptura non agit nisi de Deo, de Angelis, de hominibus, de virtutibus, de vitiis, de poena, et de gloria; de his omnibus agit hodiernum Evangelium: de Deo humanato, de Angelis servis eius, de satana daemonum principe, de bono virtutum semine, de vitiorum zizaniis, de gloria paradisi et de poena inferni.

agit enim de Deo,

De Deo ostendit humilitatem et sublimitatem, misericordiam et iustitiam, patientiam et providentiam, humilitatem qua dicitur homo seminator, agricola, filius hominis: *Discite a me, quia mitis sum et*

6) Cf. Ex 40, 22-23. 7) Ps 118, 130. 8) Cf. Idc 14, 12-18. 9) Mt 13, 25. 10) Ibid. vr. 28. 11) Ibid. vr. 29. Vulg.: *Eradicetis simul cum eis,* etc. 12) Cf. vrr. 19-21. 13) Cf. vrr. 9-10. 14) Ibid. vrr. 37-41. 15) Ms.: *Anachephaleosis.*

*humilis corde;*[16] *Cum in forma Dei esset... humiliavit semetipsum formam servi accipiens;*[17] sublimitatem qua dicitur paterfamilias et Dominus Angelorum; misericordiam in praesenti vita et iustitiam in consummatione saeculi; patientiam in perferendis malis et providentiam in conservandis bonis electisque suis: *Ne forte eradicetis cum eis simul et triticum.* Malos patitur Deus in hoc mundo contemplatione iustorum et electorum, ne quid ipsi illorum perditione grave patiantur incommodum, nam iniqui iustis sanctisque Dei servis volentes nolentes, semper Deo sic disponente, aliquod afferunt emolumentum in salutem vel corporum vel animarum; haec Dei providentia est.

de eius humilitate et sublimitate, misericordia et iustitia, patientia et providentia;

De Angelis ostendit quod servi Dei sunt, ministri Christi, *in ministerium missi iis qui hereditatem capient salutis;*[18] quod servi quidem sunt, sed fidelissimi amantissimique ac divini honoris zelantissimi eique familiarissimi: *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?*[19] quod promptissimi sunt ad vindicandas divinas iniurias contra improbos reprobosque, summo odio omnem malitiam prosequentes: *Vis imus et colligimus ea?* Sic Angelus Domini percussit Aegyptios,[20] sic exercitum Sennacherib,[21] sic Angeli Pentapolim subverterunt igneque de coelo combusserunt, salvato iusto Loth cum sua familia.[22]

de Angelis

De Angelis bonis sic Regius Vates ait: *Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis; exaltationes Dei in faucibus eorum et gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis... ut faciant in eis iudicium conscriptum: gloria haec est omnibus sanctis eius.*[23] De malis vero angelis quod inimici sunt Dei, hostes Christi: *Venit inimicus eius... inimicus homo hoc fecit.*[24] Quibus verbis ostenditur quod daemon natura bonus est, ad imaginem et similitudinem Dei conditus,[25] sed voluntate et animo malus est ob Christi odium, odio habet Christum: *Inimicus homo.*

bonis et malis;

De homine, quod Dei creatura est, Dei semen, Dei filius; quod a Deo bonus, iustus et sanctus in mundo creatus fuit: *Seminavit bonum*

de homine, qui bonus creatus fuit,

16) Mt 11, 29. 17) Phil 2, 5-8. Ordine inverso affert hos vrr. 18) Hebr 1, 14.
19) Mt 13, 27. 20) Cf. Ex 12, 29. 21) Cf. 4 Rg 19, 35. 22) Cf. Gn 19, 15-29.
23) Ps 149, 5 sqq. Vulg.: *In gutture eorum.* 24) Mt 13, 25-28. 25) Cf. Ez 28, 12.

sed diaboli opera incidit in peccatum, unde omnia mala;

*semen in agro suo*, sed quod diaboli arte et malitia factum est ut non omnes homines boni sint, sed cum hi sint Dei filii, Deo similes, illi sint satanae filii, daemonibus similes. Ostendit etiam quod si non fuisset diabolus, qui ad peccandum hominem impulisset, nec peccatum intervenisset, nonnisi iusti et electi Dei nati fuissent in mundo,[26] quod etiam Deus mulieri post peccatum dixit: *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos, in dolore paries filios;*[27] quod iustus homo semen Dei est, sic ait: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain;*[28] e contra vero, omnis iniquus semen diaboli est: *Vos ex patre diabolo estis et opera patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio et in veritate non stetit;*[29] quod virtutes omnes opera sunt Dei, vitia autem opera diaboli; quod Deus mundum servat propter electos: *Ne forte* eradicantes zizania *eradicetis cum eis simul et triticum.* Iustitia enim fundamentum et basis mundi est, uti ostendit historia diluvii[30] et combustio Pentapolis, nam si decem iustos ibi reperisset Deus, pepercisset utique multitudini propter eos;[31] hinc Salomon ait: צַדִּיק יְסוֹד עוֹלָם, *iustus fundamentum est mundi.*[32] Ostendit quod omne peccatum dignum est morte tum aeterna tum etiam temporali, virtus autem et iustitia vita et temporali et aeterna; quod nulla de re magis mirantur Angeli in coelo ac, ut ita dicam, scandalizantur, quam quod regnent vitia et peccata in mundo: *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?* Vix possunt malorum originem intelligere, cum Deus bonam creaverit voluntatem et nonnisi bona suapte natura appetentem. Bonum enim obiectum est voluntatis et verum intellectus, sicut color visus, sonus auditus et sapor gustus.

de virtute quae est basis mundi,

de peccato, quod dignum est aeterna morte;

Tandem de iustorum praemio et malorum punitione agitur: *Colligite... zizania... ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum;*[33] *In consummatione saeculi mittet Filius hominis Angelos suos et separabunt malos de medio iustorum et mittent eos in caminum ignis;*[34] *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*[35]

de iustorum praemio et malorum punitione.

26) Iuxta sententiam Scoti, cf. *Sentent.*, lib. 3, dist. 7, q. 3; dist. 19. q. 1. 27) Gn 3, 16. 28) Ibid. 4, 25. 29) Io 8, 44. Vulg: *Desideria patris vestri*, 30) Cf. Gn 6, 5-7. 31) Cf. ibid. 18, 20-32. 32) Prv 10, 25. Ms.: *Zadik iesod holam.* 33) Mt 13, 30. 34) Ibid. vrr. 49-50. Inserit pericopen vr. 41. 35) Ibid. vr. 43.

III. Non vult nunc Deus ut penitus deleantur peccatores omnes: *Ne forte colligentes zizania eradicetis cum eis simul et triticum*, quoniam saepe ex peccatoribus oriuntur iusti et electi Dei; etsi non prohibet his verbis puniri a magistratibus peccatores ac delinquentes, ut multi ex hoc loco intellexerunt non esse ultimo supplicio puniendos haereticos,[36] cum tamen Dominus non haereticos interpretatus sit esse zizania, sed filios nequam, idest peccatores: *Separabunt malos de medio iustorum*. Sicut igitur non prohibet hoc loco Dominus quin malefactores hominesque reipublicae perniciosos puniant magistratus, ita plane nec haereticos, qui pestis sunt christianae reipublicae perniciosissima, a iusta eximit punitione, si spinarum instar suffocant triticum; nam si propterea non sunt eradicanda zizania, ne tritico damnum inferatur, ergo si ipsa damnum tritico inferunt, eradicanda sunt. Sed hoc est quod ait Dominus, non esse simul tollendos malos omnes de mundo usque ad consummationem saeculi. Tunc enim Dominus aget sicut Moyses: cum enim, post eductum Israelem de Aegypto in desertum legemque latam et populo iam sanctificato per fidem et religionem cultumque Dei, ascendisset in montem ut ibi cum Deo conversaretur, relicta populi cura Aaroni et filiis eius, videns populus nimium tardare Moysen ad redeundum, diabolo instigante ac suggerente, aureum vitulum adoravit: *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.*[37] Sed tandem venit Moyses cum tabulis legis divinae armatisque levitis Dei ministris fidelissimis et zelantissimis divini honoris, omnes impios idololatras gladio peremit;[38] ita faciet Christus in consummatione saeculi, in die iudicii.

Docet Dominus malos de mundo omnino tollendos non esse,

hoc enim ipsemet faciet in die iudicii.

Sicut enim cum Divinus Moyses semen sacrosanctae fidei divinique cultus ac sanctissimae religionis in Hebraeorum cordibus seminasset, tunc venit satanas *et superseminavit zizania*, absente ipso Moyse, zizania autem tum contra fidem tum contra caritatem, quae sunt principales partes divinae legis – sic enim Moyses faciens veluti legis totius compendium haec duo simul univit dicens: *Audi, Israel: Dominus Deus vester Deus unus est diligesque Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc.;[39] – satanas, inquam, disseminavit zizania

Semper Christus bonum semen seminavit, satanas autem zizania;

36) Cf. Corn. a Lapide *Comment. in Matthaeum*, h. l. 37) Ex 32, 4. Vulg.: *Hi sunt*, etc. 38) Cf. ibid. vrr. 15-28. 39) Dt 6, 4-5. Vulg.: *Dominus unus est; diliges Dominum*, etc.

tum contra caritatem tum contra fidem suadens idololatriam: *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti;* sic nunc quoque, post ascensionem Christi, disseminavit zizania errorum per haereticos contra fidem et zizania iniquitatum per malos christianos contra caritatem et iustitiam. Semper Christus seminavit bonum semen per Patriarchas, per Prophetas, per Apostolos; diabolus autem zizania errorum et iniquitatum per magos, per poetas, per ethnicos philosophos, qui semper fuerunt haereticorum patriarchae ac protomagistri. Sed tandem omnia zizania sunt eradicanda et in ignem mittenda, omnes operarii iniquitatis in ignem sunt aeternum a Christo cum satana et angelis eius mittendi: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.*[40]

**sed tandem zizania eradicabuntur et in ignem mittentur.**

*Simile factum est regnum coelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo,* etc. Pluit Deus manna in deserto, quod erat instar seminis coriandri:[41] bonum utique semen seminavit, panem Angelorum;[42] satanas autem seminavit carnes Aegypti in eorum perniciem ac perditionem, ut patet in sepulcris concupiscentiae;[43] sic superseminavit inimicus homo zizania.

Apud O s e a m multa legimus de Iezraele,[44] quod est s e m e n D e i,[45] eoque nomine filii Israel designantur, qui semen Dei dicuntur, quoniam *filii Dei* appellantur: *Filius meus primogenitus Israel... dimitte filium meum ut serviat mihi;*[46] *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes.*[47]

40) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me maledicti,* etc. 41) Cf. Ex 16, 14-31; Nm 11, 7. 42) Cf. Ps 77, 25; Sap 16, 20. 43) Cf. Nm 11, 31 sqq. 44) Cf. 1, 4 sqq. 45) Sic latine hoc nomen interpretatur. 46) Ex 4, 22-23. 47) Ps 81, 6.

## DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM

*Simile est regnum coelorum grano sinapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus,* etc. [1]

Hac parabola Christus seipsum figuravit,

I. Lapis[2] ille mysticus de monte sine manibus excisus, qui statuam a Nabuchodonosor in somnis visam confregit et in nihilum redegit, parvus cum esset, confracta statua, adeo divino munere crevit ut totam impleverit terram ab ortu ad occasum, ab aquilone ad austrum;[3] ita plane granum sinapis minimum fit maximum atque in magnam excrescit arborem. Christus est lapis ille, Christus hoc granum sinapis, prius minimus humilitate passionis, postea maximus gloria resurrectionis: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;*[4] *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei;*[5] ipse Moyses prius humillimus pastor, deinde maximus princeps et hierarcha totius Israelis;[6] ipse David minimus inter fratres suos, postea rex maximus;[7] ipse [Ioseph] prius captivus in Aegypto, postea summus exarchus et moderator totius regni.

1) Pericope huius diei Mt 13, 31-35. Cf. Missale Rom. 2) In margine haec adiecta fuerunt: « Hodierni Evangelii parabola indecens omnino et improportionata videtur, dum regnum coelorum, regnum Dei, quo maius excogitari non potest, grano sinapis minimo comparatur. Si enim terra universa una cum mari punctum est minimum coeli comparatione, nec maius sit visibile hoc coelum invisibili empyreo comparatum quam terra haec coelo collata, quis capere poterit immensi illius coeli magnitudinem? Sed non mirum. Nam Deus suapte natura infinitus, quem *coeli coelorum... capere non possunt,* pro nobis factus est parvulus, exinanivit semetipsum. Ostendere autem voluit Dominus hac parabola mirabilem Dei artem et sapientiam in operibus suis, quod Deus est sicut natura, quae non ex magnis, sed parvis et minimis facit magna et maxima; mundus autem sicut ars, quae saepe facit ex lancea fusum; sic videre est in Moyse et Pharaone, Mardochaeo et Aman, Ioanne et Herode, Christo nato et Caesare Augusto mundi tunc monarcha. Apud Danielem monarchia mundi comparatur statuae mirabili et arbori maximae ac procerrimae, Christi autem monarchia lapidi inculto ex montis cacumine cadenti; sed illa ad nihilum redacta fuere, hic crescens totum occupavit orbem ». 3) Cf. Dn 2, 31-35. 4) Mt 28, 18. 5) Mc 16, 19. 6) Cf. Ex 3, 1 sqq. 7) Cf. 1 Rg 16, 1-13.

qui in Scripturis describitur minimus et maximus.

Talem nobis Christum Isaias describit, minimum et maximum, dicens: *Parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis;* [8] talem Paulus: *Humiliavit semetipsum formam servi accipiens... usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen;* [9] et Regius Vates: *De torrente in via bibit, propterea exaltabit caput:* [10] de torrente utique tribulationum, de quo alibi: *Torrentem pertransivit anima nostra,* [11] agens de persecutionibus impiorum: *Cum exurgerent homines in nos... vivos deglutissent nos.* [12]

Haec mysteria miratur etiam Regius Vates.

Alio etiam in loco Regius Vates miratur hodierni Evangelii mysteria: *Quid est homo quod memor es eius,* אנוש, [13] *aut filius hominis,* בן־אדם, non בן־איש, *quia visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.* [14] Miratur quod homo voluerit esse Christus in mundo ignobilis, plebeius, fabri filius, aerumnis et calamitatibus affectus: hoc est granum sinapis minimum, sic *de torrente in via bibit;* sed *exaltavit caput* usque ad dexteram Dei: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis;* [15] sic Paulus ait: *Videmus Iesum propter passionem carnis* paulo minus ab Angelis minoratum, *gloria et honore coronatum.* [16] Granum sinapis minimum in primo adventu, maximum in secundo; minimum in incarnatione, maximum in resurrectione; minimum in nativitate, maximum in transfiguratione inter Moysen et Eliam; [17] minimum in passione, maximum in ascensione. Sic Christus factus est arbor maxima instar arboris Nabuchodonosor, quae ad coelum usque pertingebat totumque occupabat mundum.

Figurat etiam granum sinapis Ecclesiam.

II. Nec tantum Christus granum sinapis extitit, sed etiam Ecclesia, cui Christus dixit: *Nolite timere pusillus grex.* [18] Hinc Paulus alludens, imo declarans mysterium hodierni Evangelii de Ecclesia, ait:

8) 9, 6. 9) Phil 2, 8-9. Inserit in vr. 8 pericopen vr. 7. 10) Ps 109, 7. Vulg.: *Bibet*, etc. 11) Ps 123, 5. 12) Ibid. vrr. 2-3. 13) Ms.: *Mah enosc*, et infra: *ben Adam, ben isc.* 14) Ps 8, 4-8. 15) Ps 109, 1. 16) Hebr 2, 9. Vulg.: *Passionem mortis*, etc. 17) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 1-6; Lc 9, 28-35. 18) Lc 12, 32.

*Videte... fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes... et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret.* [19] Est nanque Sancta Ecclesia sicut genus humanum, quod ab uno tantum homine incepit et crevit in infinitam hominum multitudinem,[20] sicut populus electus coepit ab uno Abraham sene et una Sara sterili vetula, sed postea numero aequavit stellas coeli et arenam maris.[21] Hinc Regius Vates ait: *Vineam*, hebraice גֶּפֶן,[22] *vitem, de Aegypto transtulisti... plantasti radices eius et implevit terram.*[23] Vitem appellat, quoniam ab uno incepit, unde duodecim tribus dicuntur hebraice שְׁבָטִים,[24] idest virgae rami, quoniam habuit vitis haec in Iacob veluti duodecim propagines,[25] sed excrevit adeo quod terram universam promissionis implevit. Sic et Christus ait: *Ego sum vitis* et *vos palmites.*[26] Sed haec vitis vere universam terram implevit ab ortu ad occasum, ab aquilone ad austrum; nec tantum numero crevit, sed etiam dignitate tum regia et imperiali, tum pontificia ac hierarchica; nec tantum apud homines in terra, sed etiam apud Deum in coelo. Sic in magnam, imo maximam crevit arborem granum sinapis mole minimum, sed virtute maximum, ob Spiritus Sancti plenitudinem in Apostolis et primis Christi fidelibus; granum enim sinapis totum veluti igneum est, totum spiritus est; sic Apostoli in igne Spiritum Sanctum acceperunt;[27] toti spiritus erant, non caro; spiritu Dei tantum agebantur.

quae a minimo incepit et postea terram implevit;

Ostendit vero hac parabola Christus mirabilem Dei providentiam divinaeque sapientiae artificium circa Ecclesiam. Sicut enim mirabile est si quis profunda mente consideret quomodo ex modico semine magna arbor excrescat, quomodo tam magna moles, tanta partium effectuumque varietas in tam modica continebatur substantia, quomodo tam magnae radices, trunci, rami, surculi, flores, folia, fructus, tot colores, sapores, odores, virtutes in modico semine mali medici

hinc ostenditur mirabilis Dei providentia circa Ecclesiam.

19) 1 Cor 1, 26-28. Vulg.: *Videte... vocationem vestram, fratres*, etc. 20) Cf. Act 17, 26. 21) Cf. Gn 17, 1-21; 21, 1-3; 22, 17-18. 22) Ms.: *Ghephen*. 23) Ps 79 (hebr. 80), 9-10. 24) Is 13, 7; 18, 2. Ms.: *Scebathim*. 25) Cf. Gn 49, 1-28. 26) Io 15, 5. 27) Cf. Act 2, 1-4.

aut punici, quomodo ex minimo semine unius uvae granuli tam magna vitis oriatur ut ex ea magna admodum fiat pergula; ita mirabile dictu est quomodo in tantam magnitudinem creverit Ecclesia in tot ordines distincta, si quis principium ipsius consideret, Christum crucifixum: *Si* granum frumenti *mortuum fuerit, multum fructum affert.*[28] Quis enim unquam humano sensu et ratione ductus credere potuisset hominem in infami patibulo suspensum cum latronibus vere Filium Dei esse, creatorem et salvatorem mundi? Deo tamen sic disponente, ad ostendendam sapientiam potentiamque suam, infinita in eum credidit creditque hominum multitudo.

**Figurat etiam haec parabola quemlibet fidelem,**

III. Nec solum Ecclesia universalis, sed etiam quilibet fidelis et electus Dei granum sinapis est; nam Dominus ait *simile* esse *regnum coelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo;*[29] *Bonum autem semen... filii sunt regni.*[30] An non granum sinapis Petrus, Paulus, Apostoli? sicut antiquitus Iacob, Ioseph, David? hi enim omnes a Deo, qui ex nihilo fecit omnia,[31] ex minimis facti sunt maximi. Quilibet sanctus parvus est in oculis hominum, imo in oculis suis: *Revelasti ea parvulis;*[32] *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli;*[33] *Humiliter sentiebam... sicut ablactatus super matrem suam;*[34] *Respexit humilitatem ancillae suae;*[35] *Ecce ancilla Domini;*[36] sed magni sunt in oculis Domini, nam: *Qui se humiliat exaltabitur;*[37] *Quos... iustificavit, illos et magnificavit;*[38] *Erit enim magnus coram Domino,*[39] de Ioanne legimus, qui ait: *Non sum dignus ut solvam corigiam calceamentorum eius.*[40] Sic quilibet electus Dei granum sinapis est, minimus in hoc saeculo, maximus in futuro.

**fidem et legem evangelicam,**

Fides etiam et lex evangelica granum sinapis, prius minimum, postea maximum. Non enim data fuit lex evangelica sicut lex Moysi Hebraeis in deserto ab ipsomet Deo, magna cum maiestate promulgata et ab universo populo absque ulla contradictione ob reverentiam et timorem divinae maiestatis acceptata.[41] Quis enim non acceptas-

28) Io 12, 25. 29) Mt 13, 24. 30) Ibid. vr. 38. Vulg.: *Bonum vero... hi sunt,* etc. 31) Cf. 2 Mach 7, 28. 32) Mt 11, 25; Lc 10, 21. 33) Mt 18, 3. 34) Ps 130, 2. Vulg.: *Matre sua.* 35) Lc 1, 48. 36) Ibid. vr. 38. 37) Lc 14, 11; 18, 14. 38) Rom 8, 30. Vulg.: *Illos et glorificavit. Magnificavit* lect. cod. 39) Lc 1, 15. 40) Ibid. 3, 16. Vulg.: *Solvere corigiam,* etc. 41) Cf. Ex 19, 16 sqq.

set eam? Quis divinae maiestati tremendissimae resistere ausus fuisset aut potuisset?

Lex Moysi in suo initio non semen fuit, sed magna arbor atque perfectae magnitudinis, ita ut nunquam amplius excreverit; reputata fuit tunc ab omnibus divina sapientia plena divinaeque sapientiae opus. At non sic fides Christi, sed ab humili Christo et humilibus Apostolis praedicata ac promulgata, reputabatur stultitia; sic Paulus ait: *Quia in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Nam Iudaei signa petunt... Graeci sapientiam quaerunt; nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam;* [42] et item: *Verbum... crucis pereuntibus... stultitia est.* [43]

quae ab humilibus praedicata et ut stultitia reputata,

Sic granum sinapis minimum extitit fides, nam Dominus ait: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis:* [44] grano sinapis perfectam fidem Christus comparat: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam;* [45] crevit autem hoc semen in magnam arborem, in summam auctoritatem, ita ut omnes scientias legesque sibi subiecerit, hinc sacra theologia domina est et regina omnium scientiarum, moderatrix omnium legum; semen verbi fecit fructum centuplum. [46]

in maximam auctoritatem devenit.

IV. Virtus etiam et gratia granum sinapis est, quoad meritum et laborem minimum, quoad gloriam vero et praemium maximum. Sic Paulus ait: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis;* [47] et alibi: *Id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur; quae enim videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt.* [48] Videtis quomodo Paulus ostendit granum hoc minimum et maximum? Minimum etiam quoad laborem, nam: *Iugum... meum suave est et onus meum leve;* [49] sed maximum in praemio: *Tollite iugum meum super vos... et invenietis requiem animabus vestris;* [50] minimum in oculis hominum,

Figurat virtutem et gratiam,

42) 1 Cor 1, 21-23. Vulg.: *Quia in Dei sapientia... Quoniam et Iudaei*, etc. 43) Ibid, vr. 18. 44) Mt 17, 19; Lc 17, 6. 45) 1 Cor 13, 2. 46) Cf. Mt 13, 8. 23; Mc 4, 8. 20; Lc 8, 8. 47) Rom 8, 18. 48) 2 Cor 4, 17 sq. 49) Mt 11, 30. 50) Ibid, vr. 29.

nam in mundo nihili fit virtus, temporalia bona in maximo sunt pretio; sed maximum in oculis Dei, qui virtutem maxime pendit: *Habebis thesaurum* magnum *in coelo.* [51]

Similiter gloria paradisi in oculis hominum in hac vita granum sinapis minimum est, minimi penditur; sed in oculis Angelorum et Beatorum in coelo maximum est. Quae longe sunt a nobis, parva videntur, hinc stellae coeli tam parvae oculis nostris parent, sol maximus mole parvus valde videtur, et cum motu pernicissimo [52] feratur supra sagittas, supra aquilas, supra ventos, cernentibus nobis vix moveri discernitur, quod a nobis longe abest; sic quoniam coelestia, aeternaque bona a nobis longissime absunt, minimi pendimus, terrestria vero ac mundana maximi facimus, cum nullius momenti sint: *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora.* [52*]

gloriam et praemium.

V. Poena etiam inferni granum sinapis est, nunc quidem minimum cogitatione et opinione mundanorum hominum, sed veniet tempus quando maximum erit. Multi nunc a diabolo excaecati dicunt: Etiam si scirem me in inferni barathrum, in domum diaboli abiturum, volo hoc facere, de inimicis meis vindictam sumere, nolo illis parcere nec pacem cum illis habere; sic nihili pendunt inferni poenas. Sed, quaeso, homo, cum te huiusmodi invadit cogitatio insaniae plena, vade ad ignem et vide an possis vel momentum ardorem eius sufferre, accepta ardenti pruna in manu; vide an possis per modicum temporis spatium digitum manus tenere in flamma lucernae ardentis, nam alioquin quomodo ignis aeterni ardores perpetuos ferre sine fine valebis? Mihi crede, hoc dicit stultus homo, quoniam nequaquam expertus est quid sit poena inferni, quid ignis inextinguibilis. Si enim temporales poenas breves quidem et modicas tantopere formidamus, multo magis aeternas infinitasque formidaremus, si quo modo experti essemus. Nunc autem temporales afflictiones, cum vere sint minimae, apud nos tamen maximae reputantur, aeternae vero minimae censentur, cum vere sint maximae.

Figurat poenam inferni minimam in opinione,

sed maximam in experimento:

Sed et peccatum, cum vere gravissimum sit in Deum crimen, aeternis suppliciis mulctandum et puniendum, granum sinapis mini-

51) Ibid. 19, 21; Mc 10, 21; Lc 18, 22. 52) Ms.: *Perniciosissimo.* 52*) Phil 3, 8.

mum videtur, nihili reputatur; hoc autem est quoniam Deus ipse suapte natura maximus et infinitus in mundo, eo quod corporeis non cernitur oculis, granum sinapis est minimum. Minimus erat Dominus in oculis Pharaonis, ait enim: *Quis est Dominus ut obediam voci eius ?* [53] minimus in oculis Nabuchodonosor: *Quis est Deus qui possit vos liberare de manu mea ?* [54] minimus in oculis multorum, de quibus Ieremias ait: *Negaverunt Dominum et dixerunt: Non est ipse, neque veniet super nos malum... Prophetae fuerunt in ventum locuti.* [55] Ita enim vivitur ac si non esset Deus: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus,* [56] ac si Deus humana minime curaret: *Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo: Non requiret;* [57] *Dixerunt: Non videbit Dominus nec intelliget Deus Iacob.* [58] Sed in die iudicii minimum hoc semen maximum erit: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* [59]

*figurat peccatum, quod pro minimo reputatur,*

Sed iam *intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* לֹא יַבִּיט, [60] *non cernet? Qui corripit, erudit gentes non arguet? qui docet hominem scientiam?* qui etiam intellectum homini dedit? Verisimile ac probabile hoc vobis videtur ut sol fons luminis sit sine luce? ignis origo caloris sine calore? *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt,* [61] omnia novit, omnia videt, etiam arcana mentium.

*sed in die iudicii maximum videbitur, cum Deus arcana mentium revelabit.*

O utinam hoc intelligeremus! *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* [62] Haec cognitio, haec cogitatio granum sinapis est quod magnam crescit in arborem.

VI. Peccatrix illa Evangelii *ut cognovit*, statim, relicto peccato, venit ad Christum: [63] *Cogitavi vias meas et converti pedes meos in testimonia tua.* [64] Immittit Deus sanctam inspirationem in animum, bonam aliquam cogitationem in cor: haec granum sinapis est, minimum occupat locum. Parum est quod a nobis initio requirit Deus: *Rogavit...*

*Figurat sanctam cogitationem quae est principium salutis,*

53) Ex 5, 2. Vulg.: *Ut audiam vocem eius?* 54) Dn 3, 15. Vulg.: *Qui eripiet vos de manu mea?* 55) 5, 12-13. 56) Ps 13, 1; 52, 1. 57) Ps 9 (hebr. 10), 13. 58) Ps 93, 7. 59) Ps 9, 17. 60) Ms.: *Lo iabith.* 61) Ps 93 (hebr. 94), 8-11. 62) Ibid. vr. 12. 63) Lc 7, 37-38. 64) Ps 118, 59.

*a terra reducere pusillum*, sed postea ait: *Duc in altum;*[65] immittit salutis desiderium: *Vis sanus fieri?... Noli amplius peccare;*[66] sed crescit in magnam arborem: *Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquitatis odio habui.*[67]

« Debile principium melior fortuna sequetur »;[68]

gratia enim et virtus paulatim crescunt, sic et vitium ex mala cogitatione.

nemo repente fit summus,[69] sed sicut ars imitatur naturam,[70] ita etiam quodammodo gratia et virtus paulatim crescit. Sicut etiam vitium a minimo incipit, a mala aliqua cogitatione a diabolo in cor immissa; haec carnalem excitat concupiscentiam motusque obscenos carnis, qui *militant adversus animam*[71] voluntatis consensum expetentes; ex consensu oritur opus, ex opere frequentia, hinc malus habitus, quem sequitur cordis durities et obfirmata in malo voluntas; hinc finalis impoenitentia ac tandem perditio aeternaque damnatio, nam *stipendia... peccati mors.*[72] Peccatum Adami granum sinapis fuit, sed, bone Deus, quam magnam crevit in arborem, quae totum occupavit mundum totumque genus hominum infecit atque damnavit, ex quo omne peccatum!

Figurat tandem verbum Dei,

VII. Tandem, verbum Dei granum sinapis est quod magnam crescit in arborem. De grano sinapis Plinius libro 19 ait quod sinapis granum acerrimum sapore est, ignei effectus ac saluberrimum corpori; quod etiam cadens in terram protinus viret, idest fertilissimum ac vivacissimum est;[73] libro autem 20 ex opinione Pythagorae, quod principatum habet ex his quorum in sublime vis fertur, quoniam non aliud magis in nares et cerebrum penetrat; ubi etiam docet quod omnia fere morborum genera sanat, maxime vero stomacho utilissimum est contra omnia vitia, caput etiam sternutamentis purgat; potentissimum etiam est ut ex oculis lacrimas eruat fletumque inducat.[74] Sic utique verbum Dei totum est igneum, hinc ait:

65) Lc 5, 3-4. 66) Io 5, 6-14. Vulg.: *Iam noli peccare.* 67) Ps 118 (hebr. 119,) 128.
68) Ovid. *Metamorph.*, lib. 7, vr. 518, qui habet:
« Flebile principium melior fortuna secuta est ».
69) Proverbium, de quo S. Bernardus: « Sicut nemo repente fit summus, sed gradatim quisque ascendit, sic nemo repente fit pessimus, sed paulatim descendit ». *De Gradibus Humilitatis et Superbiae*, cp. 9, (P. L. 182, 956). 70) Effatum ex Aristot. *Physicorum*, lib. 2, cp. 2, t. 1, pag. 205. 71) 1 Petr 2, 11. 72) Rom 6, 23. 73) Cp. 8, pag. 224-226. 74) Cp. 22, pag. 241.

*An non verba mea... sicut ignis?* [75] *Ignitum eloquium tuum vehementer;* [76] efficacissime penetrat in mentem hominis: *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti;* [77] *Gladium spiritus, quod est verbum Dei.* [78] Purgat caput mentis ab omnibus erroribus et stomachum cordis ab omnibus malis humoribus pravorum affectuum, quoniam totum est veritas et iustitia, fletum lacrimasque per poenitentiam inducit; sic praedicatio Ionae prophetae in Ninive granum sinapis fuit, [79] et praedicatio Moysi in Aegypto; maximus inde secutus est fructus. [80]

**purgans ab erroribus et vitiis ac ad poenitentiam inducens.**

VIII. Ostendit etiam Dominus hac parabola discrimen quod est inter opera Dei et opera mundi; siquidem mundi opera splendidum habent principium, sed obscuro fine clauduntur, sicut statua et arbor Nabuchodonosor: illa caput habebat aureum, sed pedes fictiles; [81] arbor initio totum occupabat mundum, sed postea vix radices eius remansere in terra; [82] e contra, opera Dei, humili exordio cum incipiant, finem gloriosum consequuntur, sicut lapis Danielis; sic nanque in mundi creatione videmus, sic in Iacob, in Ioseph, in Moyse, in Davide, in synagoga, in Ecclesia, in Apostolis, in sanctis omnibus; semper Deus a minimo incepit opera sua, sicut mundi creationem a nihilo, sed ad summam amplitudinem maximamque perfectionem perduxit.

**Hac parabola ostendit etiam Dominus discrimen inter opera Dei et mundi.**

Sicut solus Moyses in Aegypto superavit vicitque omnes magos Pharaonis, [83] et sola virga Moysi in terram proiecta in colubrumque versa devoravit omnes virgas magorum serpentes factas, [84] sic Christus superavit omnes sapientes mundi et fides Christi omnem sapientiam saeculi; hoc est quod ait sinapis granum minimum omnium seminum, postea maximum fieri omnium olerum, instar arboris omnia olera excedit ac longo superat intervallo.

**Opera Dei a minimo incipiunt et ad finem maximum deveniunt.**

Christus Dominus instar excellentissimi pictoris est, qui aliquando rudi penicillo vel carbone super impolitam tabulam vel super parietem summa arte et celeritate imaginem depinget supra modum

75) Ier 23, 29. Vulg.: *Nunquid non... quasi ignis?* 76) Ps 118, 140. 77) Hebr 4, 12. 78) Eph 6, 17. 79) Cf. Ion 3, 1 sqq. 80) Cf. Ex 5, 1-4; 14, 1 sqq. 81) Cf. Dn 2, 31-35. 82) Cf. ibid. 4, 7-12. 83) Cf. Ex 8, 17-19. 84) Cf. ibid. 7, 10-12.

Sic hac parabola Christus ostendit mirabilem sapientiam suam.

mirabilem, ita ut nihil ei deesse videatur nisi spiritus, sed viva omnino videatur. Sapientes mundi etiam ipsi veluti pictores fuere delicatissimis penicillis et optimis coloribus usi: si quid de Deo locuti sunt, id fecerunt omni cum eloquentiae splendore et maiestate, summa cum grandiloquentia, nobilissimis usi metaphoris et translatis; sed tamen nullam nobis reddidere divinarum rerum perfectam imaginem, multis enim erroribus, multis obscuritatibus et imperfectionibus plena est omnis humana philosophia, maxime cum de Deo philosophatur. Christus autem simplicibus verbis humilibusque parabolis altissimarum rerum perfectissimas imagines summeque admirabiles reddit, quoniam ars et peritia Christi infinitis partibus omnem humanam sapientiam scientiamque excedit.

Iacob singularis figura Christi.

IX. *Simile est regnum coelorum grano sinapis.* Cum Iacob sanctus Deique electus – Iacob dilexit,[85] – egressus esset a paterna domo pauper et solus ad peregrinandum in Mesopotamiam, ita ut diceret ipse: *Baculo meo transivi Iordanem,*[86] apparuit ei Deus in Bethel dixitque ei: *Ego sum... Deus Abraham patris tui... Terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo... Dilataberis ad orientem et occidentem et* aquilonem et austrum, sive *septentrionem et meridiem, et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae;*[87] sic dives et copiosus valde multaque cum familia reversus postmodum fuit in domum patris sui;[88] sic granum sinapis in magnam arborem crevit. Ita plane et Christus.

Mysteria fidei humanis rationibus demonstrari nequeunt.

Si quis humanis rationibus ac demonstrationibus firmis persuadere ac demonstrare vellet ex parvo granulo magnam fieri arborem, id minime quidem posset credere nolenti nec eum argumentis revincere, vix enim capere possumus quomodo ex tam modica substantia, tam similari, homogenea, uniformi, tanta ac tam varia consurgat moles; sed credimus, quoniam oculis cernimus et perpetua demonstrat experientia. Sic utique mysteria fidei humanis rationibus demonstrari minime possunt, sicut nec solaris lux coelique magnitudo astrorumque magnitudo simul et multitudo protervo caeco et dicentibus videntibusque credere assentirique nolenti.

85) Cf. Mal 1, 2; Rom 9, 13. 86) Gn 32, 10. 87) Ibid. 28, 13-14. Vulg.: *Ad occidentem et orientem*, etc. 88) Cf. ibid. 31, 1-18.

*Simile est regnum coelorum grano sinapis* minimo, etc. Magnus est Deus et mirabilis in magnis, sed non parvus in parvis, imo forte mirabilior in parvis quam in magnis, in parvo mundo quam in magno,[89] in api quam in aquila, in formica quam in elephante; hinc Christus, quo nihil mirabilius, minimo grano comparatur sinapis. Salomon in *Proverbiis* ait: *Quattuor sunt minima terrae et ipsa sunt sapientiora sapientibus.*[90]

**Mirabilis Deus in magnis est, sed mirabilior in parvis.**

*Simile est regnum coelorum*, etc. Hac parabola ostendit Dominus se totius Ecclesiae, quae per magnam arborem designatur, in quam sinapis granum crevit, principium et fundamentum esse unicum, nam: *Fundamentum... aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus;*[19] *Superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.*[92] Licet enim Apostoli fundamenta dicantur, iuxta quod legimus civitatem Ierusalem habere fundamenta duodecim et in ipsis nomina duodecim Apostolorum,[93] et Petro singulariter dicitur: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,*[94] tamen sicut magnum palatium fundatum est super columnas, columnae autem super bases, sed bases ipsae super magno solidoque fundamento, sic utique Ecclesia, quae civitas est supra montem lapideum Christum fundata.[95] Sic etiam opus est ut omnia opera nostra, virtutes etiam omnes ipsi Christo innitantur, a quo sumpsere principium, nam: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*[96]

**Hac parabola ostendit Christus se unicum Ecclesiae fundamentum esse.**

89) S. Augustinus Sermo 213, cp. 1, (P. L. 38, 1061); *Contra Faustum Manichaeum*, lib. 21, cp. 5, ibid. 42, 391; *Contra Adversarium Legis et Prophetarum*, lib. 2, cp. 12, ibid. col. 665-666. 90) 30, 24. 91) 1 Cor 3, 11. 92) Eph 2, 20. Vulg.: *Super fundamentum.* 93) Cf. Apc 21, 14. 94) Mt 16, 18. 95) Cf. Apc 21, 10. 96) Io 1, 17.

# APPENDIX

## DOMINICA PRIMA ADVENTUS

### SILVA ISAGOGICA

*Erunt signa in sole et luna et stellis et in terris pressura*, etc. Agit Dominus in hodierno Evangelio prophetam, nam in Lege promissus fuit propheta similis Moysi, qui et divinus fuit interpres ac sequester et mediator inter Deum et populum totiusque populi summus monarcha, divinus moderator et legislator.

Vaticinatur autem Dominus hodie de mundi interitu deque adventu suo ad iudicium. Nam ad hoc specialiter missus dicitur per Isaiam capite 61: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare annum Domini acceptum et diem retributionis Deo nostro.* Venit Christus ad praedicandum tempus gratiae et misericordiae Dei: hic est annus Domini acceptus, annus beneplaciti, de quo Regius Vates: *Benedices coronae anni benignitatis tuae, Psalmo 64*, et: *Tempus beneplaciti, Deus, in multitudine misericordiae tuae, Psalmo 68;* de quo Isaias 49: *In tempore placito exaudivi te et in die salutis adiuvi te;* et Paulus *2 Corinthiis* 6: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Verum non tantum ad praedicandum tempus gratiae et misericordiae venit Christus, sed etiam tempus iustitiae; hinc addit: *Et diem retributionis*, sive ultionis *Deo nostro.* Hic est dies iudicii. Sic in hoc vaticinio habetur uterque Christi adventus in mundum.

Sunt autem hi duo adventus veluti duo cardines, circa quos vertitur universa machina Divinarum Scripturarum. Et mirabile est quod primum vaticinium quod in Sacris Litteris habemus est de primo Christi adventu: *Relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae:* hoc primum est vaticinium; *Sacramentum hoc magnum est*, inquit Paulus, *in Christo et Ecclesia, Ephesiis* 5. Secundum autem vaticinium est de secundo Christi adventu, de quo vaticinatus fuit septimus ab Adam Enoch sanctus dicens: *Veniet Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes et arguere omnes impios*, etc.

Vaticinatur autem Dominus de die iudicii sicut Noe de diluvio, sicut Loth de incendio Sodomae, sicut Ieremias de destructione civitatis Ierusalem, sicut Prophetae omnes de adventu Christi. Non est vaticinium hoc vaticinium comminationis, sicut vaticinium Ionae de destructione Ninive, aut vaticinium conditionatum secundum ordinem naturalium causarum, sicut fuit vaticinium Isaiae de morte regis Ezechiae, de quo vaticinii genere loquitur Dominus Ieremia 18 : *Repente loquar*, etc.; sed est vaticinium quod theologi dicunt absolute praedestinationis, quod immutari non potest. Apud Amos 3 capite, legimus *quod non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas*, sicut revelavit futurum diluvium Noe, futurum incendium Pentapolis Abrahamo, cui etiam futuram populi captivitatem in Aegypto revelavit et liberationem possessionemque terrae promissionis et Christi adventum. Sed cum Deus firmiter statuit aliquid se facturum, multiplicat revelationes, sicut fecit Pharaoni tempora ubertatis et caritatis revelans duabus visionibus, *Genesi* 41; Ioseph autem Divino Spiritu plenus visiones illas interpretatus dixit quod propterea Deus semel et iterum revelavit quod facturus erat Deus, ut esset firmitatis indicium, sicut etiam ipsi Ioseph duabus visionibus revelavit futuram gloriam.

Divini autem huius mysterii innumeras legimus revelationes. Primum revelavit Enoch, postea Abrahamo, qui Deum appellavit iudicem universae terrae, *Genesi* 18; praeterea Moysi, *Deuteronomio* 32: *Si arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis et his qui oderunt me retribuam*, etc.; de hoc Anna mater Samuelis *1 Regum* 2: *Dominum formidabunt adversarii eius* et *super ipsos in coelis tonabit; Dominus iudicabit fines terrae et dabit imperium regi suo et sublimabit cornu Christi sui.* Aperit mysteria hodierni Evangelii: *Dominum formidabunt: Arescentibus hominibus prae timore; Dabit imperium regi: Videbunt Filium hominis venientem cum potestate multa et maiestate.* De hoc saepissime Regius Vates in *Psalmis*, nec est Propheta qui de hoc divino mysterio non sit locutus. Sed super omnes Prophetas Christus, et quidem non semel aut iterum, sed saepe saepius, in multis parabolis multisque sententiis quae vix numerari possunt. Nulla enim de re saepius locutus est Dominus, quoniam ad avertendos homines a peccatis nihil est efficacius.

Legimus apud Ieremiam capite 36 quod iussus fuit Divus Vates scribere in libro et annunciare populo minas omnes divinae irae et mala quae decreverat Deus immittere in populum in peccatorum vindictam: *Si forte*, inquit, *audiente domo Iuda universa mala quae ego cogito facere eis, revertatur unusquisque a via sua pessima, et propitius ero iniquitati et peccato eorum.* Cumque Divus Vates executus fuisset Dei iussa et Baruch scriba ipsius legisset quae scripta erant, audiente populo atque principibus, *obstupuerunt unusquisque ad proximum suum.* Cum tamen non ageretur ibi nisi de temporalibus malis quae in obsidione et captivitate babylonica passuri erant. Merito igitur in die iudicii arescent homines *prae timore et expectatione quae*, etc.

Isaias propheta capite 21 suarum *Revelationum*, agens de divino iudicio ait: *Visio dura nunciata est mihi; qui incredulus est, infideliter aget, et qui depopulator est, vastat... Propterea repleti sunt lumbi mei dolore* et *angustia possedit me sicut angustia parturientis; corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem.* Agit de iudicio

Dei contra Babylonem ; hinc subiungit: *Cecidit, cecidit Babylon et omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram.* Haec autem verba legimus in *Apocalypsi* capite 14 et capite 18, ubi saepe dicitur: *Vae, vae* Babylon *civitas illa magna!* ubi etiam visus fuit Angelus mittens in mare lapidem magnum dicens: *Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna et ultra . . . non invenietur.* Cum autem Divus Vates in spiritu tantum praeviderit iudicium Dei contra impiam hanc Babyloniam, adeo tamen conturbatus et exterrefactus fuit; propterea qui praesentes aderunt, prae timore arescent.

Appellatur autem iudex ab Isaia veniens contra Babylonem, hebraice *haboghed : Boghed vehasoded soded.* Significat autem *boghed* depopulator et *soded* vastator, nam Christus appellatur apud eundem Isaiam: *accelera, spolia detrahe, festina praedari.* Talis fuit Christus in primo adventu, quando venit contra diabolum; talis etiam erit in secundo adventu, quando venturus est contra mundum, non ad salvandum, sed ad iudicandum mundum. Sicut magnus fuit terror Philisthaeorum cum audierunt advenisse contra ipsos arcam Dei in salutem Hebraeorum, qui propterea mirum in modum laetati fuerunt, et quod his fuit causa magnae laetitiae, illis fuit causa magni terroris, ita erit in adventu Christi: arescent homines prae timore, alii autem laetabuntur, quibus dicitur: *Levate capita vestra,* idest laetamini, *quoniam,* etc.

In *Apocalypsi,* capite 6, legimus quod, cum aperuisset Angelus sextum sigillum, *terraemotus magnus factus est et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus et luna facta est sicut sanguis et stellae de coelo ceciderunt super terram,* et omnes homines *absconderunt se in speluncis et in petris montium.* Sed qua de causa? *A facie,* inquit, *sedentis super thronum et . . . Agni, quia venit dies magnus irae . . . et quis poterit stare ?*

Haec autem sunt mysteria hodierni Evangelii. Quod autem Ioannes dicit diem irae, alludit ad vaticinia Prophetarum: Ioelis 2: *Conturbentur omnes habitatores terrae, quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis . . . similis ei non fuit a principio ;* et Sophoniae 1: *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est et velox nimis ; vox diei Domini amara . . . dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis,* etc.

Cum Danieli revelatum fuit hoc mysterium, ut capite 7 legimus: *Aspiciebam donec throni positi sunt et Antiquus dierum sedit,* etc., vehementer territus fuit, ait enim: *Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his et visiones capitis mei conturbaverunt me ;* imo cum revelatum fuit ei temporale iudicium contra Nabuchodonosor in excisione arboris illius maximae atque pulcherrimae, adeo territus fuit ut per spatium unius horae non potuerit formare verba ut visionem regi interpretaretur, Daniele 4 capite. Cum Balthassar regi Babylonis revelatum fuit iudicium particulare contra ipsum, sententia miraculo scripta: *Mane, Thecel, Phares,* tunc ait Daniel 5 capite: *Facies regis commutata est et cogitationes eius conturbabant eum et compages renum eius solvebantur et genua eius ad se invicem collidebantur.* Magnus plane timor ac terror. Sed tunc arescent prae timore.

Sicut Ionas praedicando Ninivitis futurum contra eos iudicium Dei convertit eos ad poenitentiam, per quam Deum placavere et salvi facti fuere, ita Dominus noster

divinum praedicat iudicium et signa iudicii: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.* Hinc apud L u c a m, cum disseruisset de iudicio, conclusit dicens: *Attendite... vobis ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate*, etc.; *vigilate*, etc.

Sicut Deus terribili et formidabili cum maiestate venit ad dandam legem, ita ut supra modum territi et tremefacti fuerint Hebraei coram tali tantaque tremenda maiestate, sic Dominus venturum se dicit ad iudicandum. Hinc R e g i u s V a t e s : *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet et in circuitu eius tempestas valida, Psalmo 49*; et alibi *Psalmo 96:*[1] *Nubes et caligo in circuitu eius, iustitia et iudicium correctio sedis eius. Ignis ante ipsum praecedet et inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terrae, vidit et commota est terra.*

## SILVA EXEGETICA

*Erunt signa in sole et luna et stellis.* Est hodiernum vaticinium quoad sensum verborum intellectu difficile. M o y s e s dicit creata fuisse a Deo luminaria magna positaque fuisse in coelo ut essent *in signa et tempora* et menses *et annos*, hoc est in signa temporum, nam suo motu tempora distinguunt. Hic autem signa dicuntur, prout saepe in Divinis Litteris, pro miraculis: *Erunt signa*, idest miracula, insolita prodigia portentaque. M a t t h a e u s et M a r c u s explicant quaenam haec signa futura sint, nempe quod *sol obscurabitur... luna non dabit lumen suum et stellae cadent de coelo.* Saepe autem talia leguntur in Sacris Litteris. I s a i a e 13: *Stellae coeli et splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo et luna non dabit lumen suum;* et capite 24: *Erubescet luna et confundetur sol cum regnaverit Dominus;* I e r e m i a e 15: *Occidit ei sol cum adhuc esset dies;* E z e c h i e l i s 32: *Operiam, cum extinctus fueris, coelos et nigrescere faciam stellas eius, solem nube tegam et luna non dabit lumen suum;* I o e l i s 2: *Moti sunt coeli, sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum;* itemque: *Dabo prodigia in coelo... sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem;* et capite 3: *Sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum;* tandem A m o s 8: *Occidet sol in meridie et tenebrescere faciam terram in die luminis.*

Non semper autem designatur revera obscurari luminaria, sed per metaphoram sunt locuti, ad designandam maximam calamitatem, quae homines adeo attonitos et obstupefactos reddit, ut solem ipsum videre non posse prae angustia videantur. Et nos aliquando gravi dolore oppressi dicere solemus quod magnus dolor facit nos in meridie stellas videre. At vero hic Dominus sine metaphoris loquitur: *Erunt signa*, miracula et prodigia, *in sole*, sicut fuit signum in sole obscurato in Aegypto et dum constitit in coelo iubente Iosue, et quando retrocessit decem lineis in signum Ezechiae, et Christo etiam moriente revera obscuratus fuit; ita obscurandus in Christi adventu.

1) Ms.: *Ps. 106.*

*Stellae cadent de coelo.* Loquitur non de crinitis stellis, quas dicunt cometas, aliisque accensis in aere exhalationibus meteoricis, quae stellae videntur et aliquando in terram cadere stellaeque cadentes dicuntur; loquitur de veris stellis, quae a Deo cum sole et luna creatae dicuntur. Ioannes in *Apocalypsi*, capite 6, meminit etiam stellarum cadentium; et Isaias capite 34. Sicut autem potuit Deus stellas creare et in coelo collocare, ita etiam potest eas suis de locis deturbare et ad inferiora deicere in signum potentiae iraeque suae.

*Virtutes coelorum commovebuntur.* Virtus saepe pro exercitu in Sacris Litteris ponitur; sic *Dominus virtutum*, idest exercituum; exercitus autem et militia coeli cum Angeli tum stellae appellantur. Verum cum hic de signis et prodigiis visibilibus agatur: *Arescentibus hominibus prae timore... nam virtutes coelorum commovebuntur*, non potest de Angelis intelligi, cum non cadant sub hominum aspectu, nisi eos contra hominum impietatem una cum Christo ira commotos dicamus et ita in coelo omnia commovere ac perturbare. De stellis autem iam dixerat quod casurae de coelo erant, quare per *virtutes coelorum* ipsum firmamentum et quas dicunt sphaeras coelestes possumus intelligere, ut coeli, qui solidissimi tanquam aes fabricati sunt, veluti concussi commotique conteri ac ruere videantur. Divus Petrus 2 *Canonica*, capite 3: *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo coeli magno impetu transient, elementa vero ignis calore solventur, terra autem et quae in ea sunt opera exurentur;* itemque: *Properantes in adventum... Domini, per quem coeli ardentes solventur, elementa vero ignis ardore tabescent; novos vero coelos et novam terram secundum promissa eius expectamus.* Accidet mundo huic sicut templo Salomonis, de quo tria legimus: aedificationem, destructionem et reparationem. Ait autem Aggaeus de reparata domo Dei: *Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae.* Ita conditus hic mundus in novissimo die dissolvetur et augustius renovabitur, nam, sicut Isaias ait capite 30: *Erit lux lunae sicut lumen solis et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum.*

*Videbunt Filium hominis venientem cum potestate magna*, illa nempe de qua ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*, propterea venient omnes Angeli eius cum eo; *cum potestate*, de qua apud Danielem legimus capite 7: *Ecce in nubibus coeli quasi filium hominis... et usque ad Antiquum dierum venit... et dedit ei potestatem et honorem et regnum... Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur*, etc. *Cum potestate multa et maiestate: ut in nomine Iesu omne genu flectatur.* Hoc erit in die iudicii.

*Non praeteribit generatio haec donec omnia fiant.* Generatio in Scripturis aliquando pro ortu et nativitate ponitur, sicut: *Liber generationis;* aliquando pro creatione: *Hae sunt generationes coeli et terrae; hic est liber generationis Adam, in die quo creavit Deus hominem;* aliquando pro natione et gente ut: *Generatio mala signum quaerit; Sic erit generationi huic pessimae;* aliquando pro aetate et saeculo, sicut *Genesi* 15 capite: *Quarta generatione revertentur;* et sic saepe legimus: *De generatione in generationem.* Hic autem in prima significatione non accipitur. Posset accipi in secunda, pro mundo, qui creatura dicitur, sed cum de mundi interitu loquatur Dominus, quomodo non praeteribit mundus nisi prius interierit? Deinde quid significat demonstrativum pronomen *haec*, si totus mundus intelligitur? Si totus mundus intelligitur, a quonam distinguitur?

Verus sensus est igitur ut vel pro aetate accipiatur: Non praeteribit haec aetas, nisi incipiant haec fieri. Nam de duplici iudicio locutus est Dominus: prius de iudicio contra populum Iudaeorum, postea de iudicio contra mundum totum. Iudicium autem Dei contra Iudaeos manifeste factum fuit antequam aetas illa praeterisset, per romanos principes eversa funditus universa Iudaeorum republica irreparabili ruina; sic videmus divini huius vaticinii veritatem. Potest autem intelligi etiam ut generatio pro natione et gente sumatur, nam saepissime Iudaeorum populus generatio appellatur. Cum autem multi populi penitus interierint, ut Idumaei, Madianitae, Ammonitae, Moabitae, Philisthaei aliique multi, de populo Iudaeorum pronunciat Dominus quod non sit interiturus usque ad diem iudicii. Nam ante haec verba: *Erunt signa*, etc., habet Lucas: *Erit... pressura magna... et ira populo huic, et cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes gentes et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum. Et erunt signa in sole et luna et stellis.* Durabit, inquit, ira et iudicium Dei contra Iudaeos usque ad comsummationem saeculi. Propterea Matthaeus agens de iudicio et vindicta Dei contra Iudaeos ait: *Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum*, etc.; nam per dies intelligit quod Lucas ait *tempora nationum.* Sic ipsa experientia tam diuturnae tamque miserabilis Iudaeorum captivitatis ostendit divini huius vaticinii veritatem.

*Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* Non significat Dominus quod coelum et terra transitura sint, scilicet penitus peritura, quasi ad nihilum unde creata fuerunt redigenda, nam de terra inquit Ecclesiastes 1 quod *in aeternum stat;* de coelis autem Regius Vates *Psalmo 148 : Statuit ea in aeternum et in saeculum saeculi.* Sed per comparationem loquitur, sicut Regius Vates *Psalmo 101*: *Initio tu, Domine, terram fundasti et opera manuum tuarum sunt coeli; ipsi peribunt, tu autem permanebis*, idest haec perire possunt et interire, tu autem minime. Possibile, inquit, est ut mundus totus desinat esse, Deum autem deficere impossibile. Hinc cum verba Domini non sint verba hominis, quibus potest subesse falsum, sed verba Dei, quae ipsissima veritas sunt, et Isaias 40 capite ait quod *verbum... Domini... manet in aeternum*, propterea ait Dominus quod citius faciliusque coelum et terra transitura sunt ab esse ad non esse, quam ut verba ipsius a veritate deficiant; solidior est veritas divinorum verborum ipso coelo ipsaque terra. Hinc Lucae 16 legimus: *Facilius est... coelum et terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere.* Verum quia Dominus hic de mundi consummatione loquitur, Divus Petrus *2*, capite 3, hunc locum interpretatus videtur, ait enim quod *adveniet dies Domini tanquam fur, in quo coeli magno impetu transient* et quod novum coelum *et novam terram expectamus;* et *Apocalypsi* 21 legimus *coelum novum et terram novam... quia prima abierunt.* Propterea sub asseveratione potius verba haec intelligenda sunt quam sub comparatione; nam et in *Psalmo 101* dicitur de coelis quod *sicut vestimentum veterascent et... mutabis eos et mutabuntur, tu autem*, etc.

*Cum videritis haec fieri, scitote quia prope est regnum Dei*, sicut cum nata folia ficus ostendunt quod prope sit aestas. Tria praedixit Dominus de die iudicii: unum quod futurus sit valde horribilis: *Arescentibus*, etc.; alterum quod certissime futurum est iudicium; tertium quod cito futurum est. Hinc Ioannes dixit novissimam ho-

ram esse, Paulus *fines saeculorum*, Petrus: *Omnium... finis appropinquavit*, Iacobus quod iudex stat ad ianuam. Et tamen post haec elapsum tempus est mille et sexcentorum annorum. Hinc multis veluti fabula est dies iudicii, sicut Petrus ait 2, capite 3: *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Ubi est promissio aut adventus eius?* Respondet autem Petrus ad hoc: *Unum autem hoc non lateat vos, carissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Quod autem spectat ad hunc locum, significat Dominus quod statim post signa visa futurus sit adventus ipsius; hinc ait: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Sicut cum videntur nova in vere folia ficus, manifestum est quod prope sit aestas, *ita cum videritis haec fieri, scitote quia prope est in ianuis.*

*Verba autem mea non praeteribunt.* Non intelligitur quoad sonum verborum, nam ut ille ait:

«Semel emissum volat irrevocabile verbum»,

sed sicut Regius Vates ait: *In aeternum, Domine, verbum tuum permanet in coelo*, et Isaias: *Verbum... Domini... manet in aeternum;* ita hic ait verba sua non praeterire, non erunt inania, non fallent, summa semper veritate constabunt, verissime suo tempore implebuntur, non erunt instar venti. Alia metaphora *1 Regum* 3 dicitur de Samuele: *Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram, et cognovit universus Israel... quod fidelis Samuel propheta esset Domini*, idest quicquid prophetico spiritu afflatus praedixit, impletum fuit, quare ab omnibus agnitus experimento fuit verax propheta.

## SILVA DOGMATICA

*Erunt signa in sole*, etc. Sicut qui fabricavit domum potest et quidem multo facilius destruere, ita Deus, qui mundum creavit tanquam fabricator, *omnis nanque domus fabricatur ab aliquo, qui autem omnia creavit Deus est*, ait Paulus *Hebraeis* 3, potest etiam mundanam hanc machinam dissolvere ac veluti destruere et iterum reparare. Quare ab iis qui mundi creationem fide tenent, facile creditur mundi interitus, qui hodie a Domino praedicatur, et, e contra, ridetur facile ab illis a quibus creatio ignoratur; hinc Petrus ait quod venturi erant illusores dicentes: *Ubi est... adventus eius?* Huius autem erroris causam reddens ait: *Latet enim eos hoc volentes, quod coeli erant prius, et terra de aqua et per aquam consistens Dei verbo*, idest ignorant mundi creationem. Sic contra divinam fidem insurrexit humana opinio; sicut olim in domo Abrahae Agar ancilla contra dominam suam Saram, sic philosophia bellum intulit sacrae theologiae.

Sicut autem fuit aliquandiu Agar subiecta Sarae, ita et philosophia theologiae. Ab Adam enim usque ad Patriarchas fuit constantissima fides creationis mundi, nam a creatione usque ad Abraham non intercessere nisi trium hominum aetates: Adami,

Mathusalem et Noe.[2] Nam Mathusalem natus fuit anno a creatione sexcentesimo octogesimo septimo, annis ducentis quadraginta tribus ante mortem Adami; Noe autem sexcentis annis uti potuit consuetudine Mathusalem, qui nonnisi ipso anno diluvii obiit, cum Noe esset sexcentorum annorum. Abraham tandem natus anno a creatione millesimo nongentesimo quadragesimo nono, a diluvio vero ducentesimo nonagesimo secundo; cum mortuus fuit Noe erat annorum quinquaginta et octo. Ab Abraham vero ceteri patriarchae eandem fidem susceperunt. Defunctis vero Patriarchis, natus Moyses colapsam fere funditus hanc fidem restauravit scribens Divino Spiritu afflatus historiam creationis mundi. Post Moysen hoc ipsum docuit Trismegistus in suo *Asclepio* et *Pimandro;* a Mercurio autem Pythagoras et Plato multa didicerunt ex ipsius *Columnis* in Aegypto, ut Iamblicus tradit *De Mysteriis Aegyptiorum.* Diogenes Laertius 1 libro *De Vitis Philosophorum* ait philosophiam Aegyptiorum tradere mundum genitum esse et mortalem; idemque in *Vita Thaletis Milesii,* qui primus fuit septem Graeciae sapientum, quod interrogatus Thales quidnam esset antiquissimum? respondit: Deus, quoniam ingenitus; quid pulcherrimum? Mundus, quoniam a Deo factus. Plutarchus 2 *De Placitis Philosophorum* 4 refert hanc fuisse Pythagorae et Platonis sententiam, quod mundus sit factus a Deo interitui obnoxius. Et quidem Plato in suo *Timaeo* hoc clarissime docuit; hoc ipsum antiquissimi poetae: Linus, Orphaeus, Musaeus, Homerus, et posteriores Virgilius, Ovidius, Lucretius, Lucanus et alii. Unus tantum Aristoteles veritati huic bellum indixit, licet alii affirment Ocellum Lucanum hoc prius docuisse. Sed tamen Aristotelis rationes nihil aliud probant nisi quod naturaliter non potuit mundus generari nec possit corrumpi, quod quidem verum est, nec theologia docet mundum suapte natura genitum aut corrumpendum esse, sed divina virtute. Sed contra hanc philosophiam inanem fallacemque munit nos Paulus *Colossensibus* 2 dicens: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum.* Et merito quidem, nam multi sunt, non dico infidelium, sed christianorum, adeo fallaci huic philosophiae addicti ut, proh dolor! pluris ac multo quidem plurimi faciant Aristotelis quam Christi Salvatoris et Dei nostri auctoritatem, quamvis non desint in philosophia ipsius Aristotelis explorati errores, veluti de galaxia, lacteo circulo in coelo, quem inter meteora posuit, de nervorum origine a corde, de numero sphaerarum, cum supra octavam aliam non agnoverit et astronomiae ignorantiam plane ipsemet confessus fuit. Sed huic insaniae nuncium remittamus; tales enim parum ab atheismo absunt, cum nec divinam providentiam teneant, nec animae immortalitatem credant, nisi prout de Aristotelis mente opinantur. Sufficit quod universa antiquior meliorque philosophia de mundi ortu et interitu cum sacra theologia consensit, omnium autem maxime stoica philosophia.

*Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* Ostenditur hac sententia vaticinii Christi veritas infallibilis, vere divina; praedicere enim futura praeter cursum naturalium causarum solius est Dei, sicut apud Isaiam capite 41 legimus: *Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.*

2) Ms.: *Enoch.*

Praedicunt astronomi futura luminarium deliquia, sed secundum ordinatissimum motum coelestium corporum; cum autem humanas actiones eventusque ex astris divinare volunt, mendacissimi sunt. Praedixere multa Prophetae, sed per divinam revelationem, Divino Spiritu afflati, loquente Deo per ora ipsorum; hinc saepe legimus: *Verbum Domini, verbum Domini, ait Dominus, ait Dominus Deus.* Christus autem, quoniam non solum homo et quidem propheta sanctissimus divinissimusque, verum etiam verus Filius Dei et verus Deus, non loquitur sicut Prophetae, sed *verba,* inquit, *mea non praeteribunt.* Prophetas aliquando deceptos legimus: Iosue deceptus fuit a Gabaonitis, Isaac a Iacob; Christus autem, cum Deus sit, decipi non potest. Prophetae multa ignorare potuerunt, cum essent homines; sic Abraham ignoravit an in regione Geraris esset timor Domini, Samuel ignoravit quis ex filiis Isai electus a Domino esset in regem, Eliseus ignoravit quid acciderit filio mulieris sunamitidis; Christus autem nihil omnino ignorare potest, nam, Paulo teste, in eo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei. Licet autem apud Marcum capite 13 legamus dixisse Dominum: *De die autem illo nemo scit, neque Angeli, neque Filius hominis,* sed solus Pater, *scit* positum est pro scire potest sine speciali Dei revelatione; sic nec Christus ut homo viribus humani intellectus cognitionem huius rei assequi potuit; ut autem Filius Dei optime novit, ipse enim aperire potuit librum quem nulla creatura potuit reserare; nemo nisi Christus novit secreta cordis divini. Vel nescire se dicit quatenus minister Dei est, sicut ministri principum ignorare se dicunt secreta suorum principum quae ipsorum fidei commissa sunt nec aliis debeant propalare, et sacerdos quae in Confessione et exomologesi novit, nescire se dicit extra Confessionem; sic Dominus amputare voluit omnem occasionem humanae curiositati, sicut alibi dixit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate.*

Multi conati sunt de tempore consummationis saeculi futurique iudicii divinare. Hebraei existimant sex mille annis duraturum mundum dicuntque hanc esse Eliae prophetae sententiam; ex his autem sex mille annis duo millia assignant legi vanitatis, duo millia legi Moysi et duo millia Messiae. Assignant autem nonnullas coniecturas huius opinati. Adducunt autem Rabbini aliqui nonnullas coniecturas. Nam in primo versu *Genesis* hebraice sexies ponitur littera א, quae valet mille; deinde sex diebus Deus mundum absolvit; sed *apud Deum dies una sicut mille anni et mille anni sicut dies una.* Et, adhuc quia septimus ab Adam Enoch non mortuus fuit, sed translatus in coelum; sic autumant quod post sex millenarios, septimus erit initium beatae et immortalis vitae in coelo. Et quia sicut elapsis sex aetatibus pueritia post infantiam, adolescentia, iuventute, virilitate et senectute, tandem senio confectus moritur homo, ita mundus, qui magnus homo est, post sex aetates interiturus est.

Hoc ipsum Divus Irenaeus libro 5 sentire visus est, quod sex mille annis constiturus sit mundus; Lactantius etiam Firmianus et multi alii. Sed firma manet Domini sententia: *De die autem illo... nemo scit, neque Angeli.* Solus Christus, qui omnia novit, praefixum iudicii tempus diemque novit, sicut apud Isaiam capite 63 dicit: *Dies ultionis in corde meo, annus retributionis meae venit;* et Zacharias 14: *Dominus Deus... veniet et omnes sancti eius cum eo... et erit dies una quae nota est Domino,* etc.

*Videbunt Filium hominis venientem*, etc. Semper fere, cum in Divinis Litteris agitur de universali iudicio, iudex *Filius hominis* appellatur. Matthaei 13: *In consummatione saeculi mittet Filius hominis Angelos suos;* capite 16: *Filius... hominis venturus est in gloria Patris sui et tunc reddet unicuique*, etc.; capite 19: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae;* capite 25: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua;* capite 26: *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris Dei et venientem in nubibus coeli.* Sic Petrus ait quod Christus *constitutus a Deo est iudex vivorum et mortuorum*, plane quia Christus homo iudicabit, nam, ut ait Ioannis 5: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem;* itemque: *Dedit ei potestatem iudicium facere, quia Filius hominis est.* Non dicitur autem hoc quod Pater revera non iudicet, nam *Antiquus dierum sedit*, sed quod non iudicet sumpta persona iudicis, quae ab hominibus qui iudicandi sunt videri, audiri possit, externo ritu formaque iudicii. Christus autem sic iudicabit, propterea iudex semper *Filius hominis* [3] appellatur; et quia divinam hanc auctoritatem meruit sibi Christus passionis humilitate, sicut Paulus ait: *Humiliavit se* Dominus noster Iesus Christus *usque ad mortem... propter quod et Deus*, etc.; hinc post resurrectionem dixit: *Data est mihi omnis potestas.* Sic *veniet cum potestate... et maiestate* et tunc omnes creaturae honorificabunt Christum sicut honorificant Patrem.

In quo apparet etiam Dei mirabilis aequitas, nam ad iustificandam causam suam et ne merito possint homines de iudicii severitate conqueri, voluit Christum hominum fratrem amantissimum, propter quos mortuus est, mundi iudicem constituere, quo meliorem, aequiorem humanioremque ne cogitare quidem possent.

*Erunt signa in sole*, etc. Signa erunt divinae irae, nam ut Isaias 13 ait: *Dies Domini veniet crudelis et indignatione plenus et irae furorisque ad ponendam terram in solitudinem et peccatores conterendos ex ea;* et Ezechiel 7: *Venit finis, evigilavit super te... immittam furorem meum in te et iudicabo te iuxta vias tuas;* sic a Sophonia dictus est dies iudicii *dies irae, tribulationis et angustiae.* Sed non novis haereticis Lutheranis et Calvinistis, ipsi enim per fidem suam, qua certissimi sunt de gratia et misericordia Dei, nihil sibi timent a die iudicii; non enim Christum iustum iudicem expectant, sed clementem redemptorem; sic omnem prorsus divinae iustitiae timorem exuerunt ipsi et ex animis et conscientiis hominum eximere conati sunt.

Novum genus doctrinae! Regius Vates orabat: *Non intres in iudicium cum servo tuo*, Domine, *quia non iustificabitur*, etc.; hinc monebat: *Servite Domino in timore et exultate ei cum tremore;* et Paulus *Philippensibus* 2: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini*, nam, ut ait *Hebraeis* 10: *Voluntarie... peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, non relinquitur hostia pro peccatis; terribilis autem quaedam expectatio iudicii et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios.* Non est venturus Christus ut redemptor, sed ut iudex iustus et severus: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, et tunc reddet unicuique secundum opera sua; Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.*

3) Ms.: *Iudex* hic iterum ponitur.

Veniet ad iudicandum cum primis credentes, nam: *Qui non credit, iam iudicatus est;* ad iudicandum iustos: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo,* idest opera bona an bene fuerint facta: *Iuste quod iustum est exequeris,* nam: *Si caritatem non habuero, nihil mihi prodest.* In *Apocalypsi,* capite 20, legimus quod Ioannes vidit thronum candidum et iudicem sedentem, a cuius conspectu fugit terra et coelum; itemque stantes homines et magni et parvi, idest omnes ante thronum, *et libri,* inquit, *aperti sunt, et alius liber... qui est vitae, et iudicati sunt... ex his quae scripta erant in libro secundum opera eorum;* et iterum addit: *Iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.*

Canunt haeretici triumphum ante victoriam: *Non glorietur accinctus ut discinctus,* dixit rex ille *3 Regum* 20 ; nondum iudicati sunt et securi sunt: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.* Timebat sibi Paulus ne reprobus fieret aliis praedicans, propterea affligebat corpus suum et in servitutem redigebat; et nunc iuxta novum hoc evangelium sola fide tuti esse debemus, ut nihil nobis prorsus a divina iustitia timeamus? Non ita dixit Angelus in *Apocalypsi* 14, sed clamavit voce magna dicens: *Timete Dominum et date illi honorem, quia venit hora iudicii eius.* Ait enim Ioannes quod hic Angelus habebat *Evangelium aeternum ut evangelizaret... super terram et super omnem gentem, tribum et linguam et populum.* Angelus ergo Dei hoc praedicat universo mundo, ut timeant Dominum, *quia venit hora iudicii eius;* et novi evangelistae contrarium praedicant? Non ergo sunt angeli Domini, sed angeli satanae.

Cum Dominus de futuro iudiciio sermonem habuisset cum discipulis suis et postrema verba hodierni Evangelii dixisset, tandem ita sermonem conclusit: *Attendite... vobis ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis huius vitae, et superveniat super vos repentina dies illa; tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui habitant super faciem omnis terrae. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quae futura sunt et stare ante Filium hominis.* Dixit autem haec Dominus non turbis infidelibus, sed discipulis suis iam credentibus, iam fide iustificatis. Ad quid ergo haec monita, haec paraenesis tanta cum efficacia? Ad quid tantam sobrietatem iniungit tantamque vigilantiam et perseverantiam in oratione? Quam differens est novum hoc pseudoevangelium ab Evangelio Christi! Christus docet omnes esse in periculo, propterea ad fugiendum periculum attendendum nobis esse, abstinendum a crapula, a curis huius vitae, vigilandum, orandum perpetuo; et novum evangelium praedicat altam securitatem,[4] ita ut in utranque aurem perpetuo dormire possimus?

Mysterium finalis iudicii, quod in hodierno Evangelio proponitur, est inter omnia fidei nostrae dogmata praecipuum et principale, articulus fidei ex maximis, in quo vel maxime resplendet divina Christi auctoritas et maiestas. Sicut enim in primo adventu suo Christus visus fuit veluti tantum humilis homo, ita in secundo adventu vide-

4) Ms.: *Securitate.*

bitur veluti tantum sublimis Deus. Docent novi evangelistae quod in iudicio nonnisi de fide facienda erit discussio: *Qui crediderit... salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur;* propterea ipsi tantopere fidem praedicant. At non ita Christus docuit, sed quod reddenda erit ratio villicationis, ratio de talentis, quod *reddet unicuique secundum opera sua.* Hinc Paulus docuit quod *omnes nos astare oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum sive malum.* Tunc unusquisque appendendus erit in statera sicut Balthassar. Vae ei qui *inventus* fuerit *minus habens!* cui poterit Christus dicere: *Esurivi... et non dedistis mihi manducare!* Nam: *Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur,* etiam si quis tanta fide praeditus fuerit ut in Christi nomine prophetaverit et miracula fecerit: *Si habuero omnem fidem,* etc.

## SILVA PARAENETICA

*Erunt signa in sole,* etc. Proponitur nobis in hodierno Evangelio spectaculum supra modum formidabile simulque delectabile: formidabile quidem, nam ait: *Arescentibus hominibus prae timore et expectatione quae,* etc.; delectabile vero, quia: *His,* inquit, *fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Levare caput phrasi hebraica laetari est, nam tristitia vultum deprimit, unde Dominus ait Caino: *Quare iratus es et cur concidit facies tua?* Tristis erat effectus Cain, quoniam respexerat Dominus ad munera fratris sui, non autem ad sua, propterea demisso ac tetrico erat vultu. Sicut autem tristitia vultum demittit, ita laetitia erigit; hinc Regius Vates ait ad Dominum: *Gloria mea et exaltans caput meum,* idest qui me laetitia afficis et exhilarare soles. Hoc est ergo quod ait: *Levate capita vestra,* idest laetamini, *quia appropinquat redemptio vestra,* idest, ut Paulus *Romanis* 8 ait: *Liberabitur creatura a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei;* et item: *Adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri.*

Terribile spectaculum, quia videbitur iudex iratus, infernus apertus, daemonum exercitus supra modum horribilis; sed super omnia propter metum damnationis aeternae. Verum etiam supra modum iucundum, quia videbitur etiam Christus Salvator, paradisus apertus, exercitus beatorum Angelorum, immensa multitudo Sanctorum cum Christo in gloria et expectabitur introitus in aeternam gloriam. Aspectus Christi his quidem erit iucundissimus: *In quem desiderant Angeli prospicere,* illis autem erit supra modum horribilis propter divinam iram, sicut columna nubis et ignis in medio duorum exercituum Hebraeorum et Aegytiorum, his enim erat horribilis, illis iucunda; erit enim iudicium sicut in mari Rubro, salus Hebraeis, perditio Aegyptiis.

Regius Vates *Psalmo 74,* cum audisset Deum comminantem iudicium: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo,* et vidisset in spiritu quod eventurum esset: *Liquefacta est terra,* sive dissoluta est, *et omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas eius* – coniungit iudicium cum creatione: sicut potuit mundum creare, ita poterit et dissolvere cum ei libuerit, – tunc Regius Vates agit concionem dicens: *Dixi iniquis: Nolite inique agere, et delinquentibus: Nolite exaltare cornu... quia neque*

*ab oriente, neque ab occidente,* neque ab aquilone, *quoniam Deus iudex est; hunc humiliat et hunc exaltat.* Est hic aposiopesis, sive eclipsis sermonis: Si male egeritis, non evadetis impune, nullo loco eritis tuti quin meritas poenas detis luatisque, *quoniam Deus iudex est,* Deus qui ubique et semper vivit et regnat, qui ubique et semper est universi iudex. Sic timore divini iudicii conatur homines ab impietate avertere.

Malachias propheta capite 4 docet quod dies iudicii impiis quidem erit sicut ignis comburens, iustis autem sicut sol lucens: *Ecce enim,* inquit, *dies succensa venit quasi caminus, et erunt homines superbi et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus, quae non relinquet eis radicem et germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae et sanitas in pennis eius.* Sic cum in hoc mundo nullum videatur esse discrimen inter bonos et malos, imo bonos potius multis gravari malis, unde apud eundem Prophetam capite 9 dicunt multi: *Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum quia custodivimus praecepta eius et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes,* etc., Dominus respondit quod in die iudicii videbitur hoc discrimen: *Erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium et parcam eis sicut parcit vir filio suo servienti sibi; et convertemini et videbitis quid sit inter iustum et impium et inter servientem Domino et non servientem ei.*

*Arescentibus hominibus prae timore.* Quid est quod tantopere pertimescendus est dies iudicii? Num divina iustitia? Sed non erit sine misericordia, bonitate et paterna caritate tunc Deus. Num iudicis ira? Sed qui venturus est *Filius hominis* dicitur, frater noster amantissimus, humanissimus princeps. Num infernus? Sed non est paratus nisi satanae et angelis eius membrisque ipsius. Num satanas et exercitus infernalium spirituum? Sed tunc iustis ne minimum quidem nocere poterunt, Christo praesente cum Angelis et Sanctis suis.

Regius Vates *Psalmo 48* hoc diligenter investigat dicens: *Quid timebo in die mala?* Diem malam appellat diem iudicii, quae dicitur *dies mala et amara valde.* Respondet autem: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Iniquitatem calcanei, sive *vestigiorum meorum,* ut hebraice est, appellat malam maleque actam vitam. Hoc tantum timendum est; nam bonis dicitur: *Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Sic mala conscientia est quae facit hominem timidum; Adam enim post peccatum timuit adventum Dei; ante peccatum non legimus timorem. Fugiamus peccatum et timendum nobis erit nihil, nam iusti ibunt in die iudicii *in vitam aeternam;* nec infernus nisi in peccati punitionem creatus est; nec Deus nisi peccatum odit, nec irasci nisi peccatori potest, non quidem poenitenti, sed impoenitenti; sic enim Paulus ait: *Secundum duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas,* etc.

*Erunt signa in sole et luna,* etc. De futuro iudicio in hodierno Evangelio quattuor indicantur: unum est apparatus terribilis: *Erunt signa in sole,* etc., *arescentibus hominibus prae timore;* alterum est persona iudicis: *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate multa et maiestate;* tertium est finis: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra;* et quartum est tempus iudicii: *Tunc,* inquit, *videbunt, tunc,* quando videbuntur haec signa, *tunc videbunt.*

Quod spectat ad tempus, non potest esse longa dies iudicii. Dominus dedit quoddam signum dicens: *Praedicabitur... Evangelium in universo mundo... et tunc erit consummatio.* Ante nostra tempora praedicatum fuerat Evangelium in Asia, in Europa, in Africa; novissimis autem his temporibus praedicatum est et adhuc praedicatur in America, in novo orbe. Dedit etiam Dominus aliud signum, nempe cum homines deliciis dediti videbuntur: *Sicut in diebus Noe et in diebus Loth,* Matthaei 24 et Lucae 17; nam et Paulus *2 Timotheo* 3: *Erunt,* inquit, *in novissimis diebus homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes;* et *1 Timotheo,* capite 4, ait quod *in novissimis diebus,* sive *temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium.* Quis autem non videat simul haec omnia in nostris temporibus? Sicut in comoedia cum omnes personae comparent in scena signum est quod in fine sit iam comoedia, ita, inquit Divus Apostolus, cum tempus videritis quo vitia omnia regnabunt, erunt in summo, scitote novissima esse illa tempora.

Ponit autem in primis amorem proprium: *Erunt homines seipsos amantes;* nam amor proprius, philautia, radix et seminarium est omnium vitiorum. Sicut enim ab uno Noe nati sunt tres filii ex quibus omne hominum genus, ita ex amore proprio oriuntur cum primis tria vitia: concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae;[5] ex his autem colluvies omnium aliorum. Sic ab Apostolo cupiditas dicta est *radix omnium malorum.*

*Videbitis Filium hominis. Videbitis,* inquit, quia *manifeste veniet,* hinc ait: *Orietur vobis... sol iustitiae;* non erit tunc *Deus absconditus,* sed manifestus. *Videbitis Filium hominis,* sed non in humilitate, sicut in primo adventu, sed *venientem cum potestate multa et maiestate,* sicut missus fuit a Deo rex Saul contra Amalec, ita ut prorsus nemini parceret. Designat autem Amalec carnales homines. In Isaia autem legimus capite 66: *Ecce Dominus in igne veniet et quasi turbo quadrigae eius, reddere in indignatione furorem suum et increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus iudicabit et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti a Domino.* Veniet, inquit, flamma et gladio armatus, sicut Cherub *ad custodiendam viam ligni vitae;* sed armatus sic veniet contra omnem carnem quae corrupit viam suam, sicut in diluvio; veniet contra carnales omnes, *et multiplicabuntur interfecti a Domino,* quia multi valde interficientur gladio ancipiti de ore Christi, idest divina sententia: *Ite, maledicti, in ignem aeternum,* sicut in diluvio valde multi perierunt et paucissimi salvati fuerunt, veluti etiam in incendio Pentapolis et in excidio civitatis Iericho.

*Venientem cum potestate multa,* quia *omnes Angeli* eius *cum eo;* nec tantum Angeli, verum etiam Sancti omnes erunt cum eo: Ecce *Dominus veniet et omnes sancti* eius *cum eo; Veniet Dominus cum sanctis millibus suis.* Sicut autem de Ninivitis Dominus ait quod *surgent in iudicio et condemnabunt* impoenitentes, ita plane Sancti omnes, cum homines natura fragiles essent, condemnabunt omnes qui secundum carnem vixerunt,

5) Ms.: *Vita.*

ut sint sine excusatione quod non potuerint divina mandata servare, cum Sancti natura homines et carne sicut ceteri fragiles, non solum praecepta, sed etiam consilia servaverint et in omni virtutum genere perfecti fuerint; sic peccatores nullam excusationem invenient.

*Cum potestate multa*, nam venient cum eo omnes principes regni sui ad dandum *unicuique secundum opera sua.* Hinc legimus Isaiae 3 capite: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Vae impio in malum! Retributio enim manum eius fiet ei... Stat ad iudicandum Dominus et stat ad iudicandum populus. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui et* cum *principibus eius;* sic erunt cum Christo omnes Patriarchae, omnes Apostoli et Prophetae, sicut Apostolis dixit: *In regeneratione, cum sederit,* etc.

*Et maiestate.* Celebrabitur iudicium principaliter quidem ad gloriam Christi, sicut Paulus ait 2 *Thessalonicensibus* 1: *Cum venerit glorificari in Sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus;* tunc glorificabitur Christus cum ab omnibus cognoscetur, nam: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens;* tunc *in nomine Iesu omne genu* flectetur et omnis lingua confitebitur quod *in gloria est Dei Patris.* Quam attoniti erunt tunc omnes inimici Christi! Attoniti facti fuerunt fratres Ioseph, cum cognoverunt ipsum factum principem tam magnum tamque potentem; Adonias, Abiathar et Ioab audientes Salomonem factum regem; Paulus cum a Christo audivit: *Saule, Saule, cur me persequeris?* Sic in die iudicii *plangent* se *omnes tribus terrae,* qui Christum non cognoverunt vel odio habuerunt vel contempserunt nec ut par erat coluerunt; electi autem et quicunque Christum ex animo coluerunt, supra modum laetabuntur.

*Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Cum Dominus, suapte natura piissimus, propensior multo sit ad misericordiam quam ad iustitiam, ad bene quam ad male faciendum, veniet multo principalius ad glorificandos bonos quam ad damnandos malos; hinc prius *dicet his qui a dextris... erunt: Venite, benedicti;* propterea hodie redemptionis meminit electorum, non damnationis reproborum. Sicut enim sol natura aptior est ad illuminandum quam ad urendum, non sic autem ignis hic noster terrenus, ita Christus. Non sic autem homines, maxime principes, propensiores sunt ad praemia quam ad poenas. Sicut autem sol quattuor tempora agit in anno, quorum duo quidem valde iucunda sunt: ver et autumnus; duo autem valde molesta: aestas et hiems, ita Christus in iudicio erit electis iucundissimus, reprobis autem molestissimus.

*Arescentibus hominibus prae timore.* Mirum est quod cum simus natura valde timidi, Adam timuit Deum venientem ad auram, audientes autem adventum Christi ad iudicium fere nihil timemus, nihil commovemur! Forte quia tales sumus ut nobis dicat Dominus nihil ut timeamus, sed levemus capita nostra, quoniam appropinquat redemptio nostra. Revera enim sanctis nihil timendum est qui testimonio purae conscientiae mundi sunt a peccato et bonis operibus pleni. Sed ubi, quaeso, est vitae nostrae sanctitas? *Mundus totus in maligno positus est.* [6]

6) Hactenus fol. 1-10.

## II. HOMILIA [7]

*Erunt signa in sole*, etc. Loquitur Dominus in hodierno Evangelio prophetice de mundi interitu, ad hoc enim specialiter venturus erat Dominus, sicut apud Isaiam capite 61 legimus: *Spiritus Domini super me*, etc., *annum Domini acceptum et diem retributionis*, sive *ultionis*. Duo enim haec futura sunt in consummatione saeculi, hinc in hodierno [Evangelio] agit Dominus de timore et de spe; de timore: *Arescentibus hominibus prae timore ;* de spe autem : *Respicite et levate capita vestra, quoniam*, etc. Quoniam autem Dominus ad hoc specialiter venit in mundum, propterea nulla de re saepius sermonem instituit quam de mundi fine et universali iudicio, imo nulla de re frequentius Divinae Litterae loquuntur quam de duplici Christi adventu.

Primum vaticinium quod habemus in Sacris Litteris est de Christi primo adventu, de quo Adam vaticinatus fuit: *Relinquet homo patrem*, etc.; Paulus interpretatur de Christo et Ecclesia. Secundum vaticinium de secundo Christi adventu, de quo vaticinatus fuit Enoch dicens: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis suae et de omnibus duris quae locuti sunt contra Deum peccatores impii ;* Abraham Deum iudicem universae terrae appellavit, quando revelatum fuit ei iudicium contra Pentapolim, et vix reperitur Propheta qui non sit manifestissime locutus de hoc divino mysterio.

Cum autem loquatur Dominus in hodierno Evangelio de futuro adventu suo: *Tunc parebit signum Filii hominis... et videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate*, docet autem tria: quis venturus sit, quomodo venturus sit, ad quid venturus sit; quibus etiam quartum addi potest: quando venturus sit. *Tunc*, inquit, *videbunt Filium hominis. Tunc* tempus est; *videbunt Filium hominis*, hic est qui venturus est; *in nube cum potestate magna et maiestate*, hic est modus quo venturus est; *appropinquat redemptio vestra*, hic finis est, ad quid venturus est.

Duabus de rebus vaticinatur hodie Dominus: de mundi huius interitu et de adventu suo ad iudicium. Magnum est utrunque mysterium. Quoad primum, de mundo tria docet sacra theologia: quod fabricatus sit a divina potentia, quod regatur a divina providentia et quod destruendus sit a divina iustitia sicque renovandus ad maiorem gloriam. Divinae autem huic theologiae bellum infert humana philosophia, quae divinae adversatur, sicut in domo Abrahae ancilla Agar dominae suae Sarae; humanam dico philosophiam peripateticam, nam antiquior philosophia, quam Trismegistus docuit in suo *Pimandro* et *Asclepio*, nobiscum consentit; similiter pythagorica et platonica, quae ab antiqua illa Mercurii originem habuit, sicut Iamblicus tradit *De Mysteriis Aegyptiorum;* stoica etiam docet mundum interiturum. Unus tantum Aristoteles opinionem secutus Ocelli Lucani, instar Ismaelis unus contra omnes, mordicus tenere voluit mundi aeternitatem. Non tamen omnino adversus

7) Quae sequuntur posita fuerunt ad fol. 13-15ᵃ, post Dominicam Secundam Adventus, repetita inscriptione: « Dominica Prima Adventus », quam omisimus.

est theologiae, nam loquitur ut naturalis philosophus, quod mundus naturaliter generari non potuit nec naturaliter corrumpi potest, quod quidem verum est; non docuit quod a Deo non potuerit mundus creari vel quod non possit destrui, quod sacra docet theologia. Christus autem, ut propheta divinus summusque theologus et primus theologorum magister, docet mundum a Deo finem habiturum esse sicut principium habuit. Est magna sympathia inter mundum et hominem; nam homo parvus est mundus et mundus magnus homo, hinc designatus est mundus per statuam Nabuchodonosor humana figura, cuius interitum legimus per lapidem, etc.; designatus mundus est per arcam Noe, per tabernaculum Moysi, per templum Salomonis, quae interitui fuere obnoxia. Cum autem moriturus homo est, apparent signa, maxime in oculis, in humoribus et spiritibus.

Quoad secundum, quod est causa primi, sicut apud Danielem lapis causa ruinae magni simulacri, Christi enim virtute mundus dissolvetur, proponitur adventus Christi. Cum autem Christus sit verus Filius Dei et Filius Virginis, verus Deus et verus homo, tamen venturus dicitur *Filius hominis*, et fere semper cum de iudicio Dominus loquitur, venturum dicit Filium hominis: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua*; *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus coeli et sedentem a dextris Dei*, profecto quia *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, quia Filius hominis est; In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae.* Vult Deus ut Christus, qui est hominum frater amantissimus, qui propter homines venit in hunc mundum et mortuus est, maiorem autem caritatem nemo habet, etc., iudicet mundum ad iustificandam causam suam. Propterea ad ostensionem divinae erga mundum caritatis *apparebit signum Filii hominis*, idest crux: «Hoc signum crucis erit in coelo», etc.; videbuntur omnia instrumenta passionis Christi et, plagae Christi omnibus erunt conspicuae; sic non poterit iudex suspectus esse invidiae summa praeditus caritate, humanitate, gratia erga nos, ita ut ne melior possit desiderari.

Quando autem veniet? *Tunc*, inquit. Sicut Deus ab initio in duas partes divisit tempus, sed posteriorem partem, diem sabbati, ultimum diem sibi elegit, ita ultimum diem mundi elegit pro se: *Cum accepero tempus... iustitias iudicabo.* Alioquin determinatum diem iudicii *nemo novit, neque Angeli*, inquit, *neque Filius hominis, nisi solus Pater*, Marci 13. Non quod ignoret Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei, sed quia: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate*, quia ad Patris officium spectat hoc scire. Propterea ad removendam sciendi cupiditatem omnemque curiositatem dicit se nescire, quia ad ipsum quatenus homo non spectabat hoc determinare nec indicare. Docuit tamen Dominus *quod prope est in ianuis: Non praeteribit generatio haec donec omnia fiant.* Generationem autem dicit, mea quidem sententia, populum Iudaeorum, qui non erat penitus disperdendus, nisi dies, etc. [8]

8) Et sic homilia incompleta remansit.

## III. HOMILIA [9]

*Erunt signa in sole et luna et stellis et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris,* etc. Mirabilem ac supra modum terribilem formidabilemque simul et iucundum emittit mugitum hodie sacer bos Divi evangelistae Lucae; mirabilem, inquam, et qui omnem videtur humanam excedere opinionem et fidem: quod mundus hic macrocosmos, macroanthropos, moriturus sit finemque habiturus in iudicii magni die; quod sicut cum microcosmos, parvus mundus moritur, homo, dat prius in vultu, in oculis, sensibus et toto corpore signa vicinae mortis, sic, inquit: *Erunt signa in sole,* etc., nam: *Sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stellae cadent de coelo,* sicque *virtutes coelorum commovebuntur.* Hoc autem naturalis philosophia minime credit, sed reclamat, maxime peripatetica, quae docet mundum aeternum esse cum Deo, nunquam habuisse initium et nunquam habiturum esse finem. Hoc proprium dogma est peripateticae sectae, nam ante Aristotelem sectae huius auctorem, universa philosophia consentiens omnino erat sacrae theologiae, quod mundus habuerit initium, quod sit factus a Deo. Hoc enim zoroastrica, hoc trismegistica, hoc pythagorica et platonica philosophia semper docuit addiditque Plato in *Timaeo* mundum esse in Dei manu, ita ut cum libuerit possit ei finem imponere sicut potuit initium dare. Solus Aristoteles hanc contestatus est litem, vertens in dubium firmissimam fidem et opinionem creationis mundi et universalis providentiae, vel ad ostendendam ingenii felicitatem, vel ut sine timore et scrupulo conscientiae, uti erat luxui totus deditus, securus posset more epicureorum vivere; vitiis enim carnis deditissimus erat, ita ut meretriculam, divinis honoribus adhibitis, adorarit, non contentus quod idola et daemonum simulacra pro vivo et vero Deo adorabat.

Et tamen multi sunt qui peripateticis dogmatibus imbuti sacram divinamque Evangelii veritatem derident, uni Aristoteli magis credere volentes quam Prophetis omnibus, omnibus theologis, omnibus aliis philosophis, quid dico? magis quam Deo, dicentes quod non capit ratio ut ex nihilo aliquid fiat, utique naturaliter, sed sicut potest ignis accendi non solum excussus, sed etiam solaris radii opera, ita, etc.

Ut verum fatear, si sensit Aristoteles quod non potuit naturaliter incipere mundus per generationem sicut generatur homo, bene sensit, neque enim sacra theologia aut Divina Scriptura hoc sentit aut docet; sicut enim homo non potest seipsum generare, sed necessarium est ut ab alio genitus sit, ita nec mundus potuit seipsum facere. At velle argumentari: natura non potest aliquid ex nihilo facere, ergo nec Deus, magnum est sophisma. Sicut enim multa potest natura quae non potest ars, quae infra naturam est, ita multa potest Deus quae natura non potest, cum sit Deo inferior. Magnum esset sophisma: non potest luna diem facere, ergo neque sol; non potest aer calefacere, ergo neque ignis; nullum brutum intelligit, ergo neque homo. Sic magnum est sophisma: non potuit natura mundum creare, ergo nec Deus. Nunquid Deus non est natura potentior? Natura potest quasi ex nihilo multa producere, ex parvo semine magnam

9) In codice iterum ponitur inscriptio: « Dominica Prima Adventus», quam nos omisimus.

arborem, ex gutta spermatis magnum animal. Et formas rerum quae generantur unde educit natura? Ubi erant antequam generarentur? In potentia materiae. Pulcrum dictu, sed non intellectu. Quidnam est: in potentia materiae? Erant ne ibi actu? Minime; ergo nihil erant, nam de quolibet est esse vel non esse. Si ergo natura potest multa quasi ex nihilo producere, non potuerit Deus ex nihilo mundum creare? Sicut ergo creare potuit, ita potest et destruere.

Hoc est quod hodiernum Evangelium praedicat, mirabile dictu, sed tamen verum et ideo terribile et formidabile. Ait ille quod mors est ultimum terribilium. Non bene sensit; ultimum terribilium est divinum iudicium: *Arescentibus hominibus prae timore et expectatione quae supervenient universo orbi.* Multi sunt nobili et generoso animo praediti, qui honorem vitae praeferunt magisque dedecus et ignominiam timent quam mortem; sed quisquis in divino iudicio a sententia cadit, sempiternam incurrit infelicitatem cum perpetua ignominia infinitisque tormentis.

Sed est etiam mugitus iste iucundus: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Malis et improbis hominibus formidabilis est sacri huius bovis mugitus, probis autem et divina virtute ac bonitate praeditis periucundus. Est enim hodiernum Evangelium veluti prima dies saeculi, in qua Deus lucem separavit a tenebris et bonos Angelos a malis; sic ultimus dies saeculi primo simillimus erit; in illo enim omnes boni Angeli a malis, in hoc omnes boni homines salvabuntur. Est veluti columna illa posita inter castra Hebraeorum et Aegyptiorum, quae Hebraeis quidem lucida, Aegyptiis autem obscura erat et tenebricosa; sicut sol in Aegypto Hebraeis clarissimum diem[10] faciens et Aegyptiis noctem obscurissimam; sicut mare Rubrum, in quo salvati sunt Hebraei, sed Aegyptii omnes cum Pharaone perierunt; sicut columna Dei, quae diu quidem nubis erat, noctu autem ignis ardentis; sicut Cherub habens faciem hominis et faciem leonis. Sic sermo de divino iudicio iustis, qui in timore Domini vitam ducunt innocentem et bonis operibus plenam, gratus est et periucundus; iniustis autem, qui secundum carnem vivunt et per viam iniquitatis ambulant, horribilis et formidabilis; illis dies iudicii horribilis est quos mala conscientia accusat, qui suorum scelerum sibi conscii sunt.

Sed quid est, bone Deus, quod nos male vivimus et tamen divinum iudicium minime formidamus? Tam forti animo et constanti corde nos natura creavit ut nec omnipotentis Dei iram et furorem timeamus? An forte natura leones sumus? Sed etiam leo ignem timet; *Deus* autem *noster ignis consumens est.* Utinam, fratres, non sit incredulitas causa tantae impaviditatis! Quis unquam in mediis fluctibus, turbato mari milleque procellis agitato, non timuit periculum in navicula positus tota vetustate confecta?

Si Turcarum imperator magnam pararet expeditionem, ut cum potentissimis exercitibus terra marique veniret ad capiendam devastandamque Italiam et ad opus hoc nervos omnes intenderet, quid ageremus? Sic imparati expectaremus ut veniret et acciperet sibi nostra omnia? ut expoliaret nos bonis omnibus? ut nos ipsos captivos tanquam vilissima mancipia abduceret? Minime, nequaquam, nullus non moveretur

10) Ms.: *Die.*

lapis, nihil relinqueretur intentatum, fieret omnis possibilis provisio munitionum, armorum, colligerentur undique copiae fortissimorum militum ne in manus tam crudelis tyranni incideremus. Bone Deus, et nunc audimus quod Christus Angelorum imperator venit contra nos *cum potestate magna*, idest cum potentissimo exercitu: *Omnes Angeli* eius *cum eo*, et non timemus? Iusti quidem nullam habent rationem timendi, quoniam servi sunt, imo filii et fratres Christi; sed peccatores cum simus, nihil pavemus?

Mundus hic civitas est diaboli, nam a Christo dictus est *princeps mundi huius.* Veniet Christus ad expugnandam civitatem hanc inimicorum suorum cum potestate magna, disrumpet muros civitatis huius et ingredietur in eam cum universo exercitu suo. Muri civitatis huius sunt coeli, est firmamentum; sed *virtutes coelorum movebuntur,* cadent muri hiericuntini; *sol obscurabitur... luna non dabit lumen... stellae cadent de coelo;* sic ingredietur Iosue cum universo exercitu Hebraeorum in civitatem Iericho eamque omnem igni succendet, familia Rahab tantum servata. Venit igitur Christus cum potestate magna contra nos et in utranque aurem dormimus? alto otio fruimur?

Dicetis: Quid agendum? Adventum ipsius impedire non possumus. Scio. Quid igitur agendum? Satagendum ut simus de numero eorum quibus dicit: *Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Renunciemus satanae et corporis carnisque operibus et serviamus Christo. Audite Apostolum: *Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei.* Audite quid Isaias dicat verba faciens de tremendo Dei iudicio contra Hebraeos in praesenti saeculo. Cum enim dixisset: *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate,* etc. *Terra vestra deserta, civitates vestrae exustae igni et relinquetur filia Sion sicut civitas devastata,* ait: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere et venite et arguite me, dicit Dominus.* Hoc idem consulit hodie Paulus dicens: *Hora est iam nos de somno surgere... nox praecessit, dies autem appropinquavit; abiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis; sicut in die honeste ambulemus; non in comessationibus,* etc., *sed induimini Dominum Iesum Christum.*

*Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate,* et *tunc plangent omnes tribus terrae,* etc. Quid, quaeso, est quod tunc in die iudicii *plangent omnes tribus terrae,* et nunc paucissimi sunt qui plangant? nullus fere cum Magdalena peccata sua plangit? An non idem est Deus, idem homo, eadem peccata? Utique, idem est Deus, idem Christus, idem iudex, sed non cognoscitur modo. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Cum cognoverimus in quem peccavimus, tunc plangemus, sed frustra, tunc formidabimus et prae timore arescemus, sic enim ait: *Arescentibus hominibus prae timore.* Nunc dicimus quidem et confitemur Deum nosse, sed factis negamus; tunc, cum sole clarius manifestus erit, negare nequaquam poterimus. Credimus nunc, sed non fide viva *quae per dilectionem operatur,* sed mortua, nam *fides sine operibus mortua est.* Si infideles qui sine lege, sine fide, sine Deo vivebant, multa cum licentia peccabant et laxatis habenis per viam iniquitatis currebant, mirum non est; nam vel non credebant Deum esse, eo quod oculis carnis videri non potest:

*Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus;* vel divinam providentiam negabant: *Dixerunt: Non videbit Dominus nec intelliget Deus Iacob:* super cardines coeli habitat et nostra non considerat; vel cum Epicuro animam hominis nihil differre ab animabus brutorum putabant existimabantque mortalem esse animam hominis: *Unus est hominum et iumentorum interitus et aequa utriusque conditio.* Sed tu, o homo, qui christianus et fidelis cum sis, haec omnia ut vere credenda sunt credis, quomodo peccas? quomodo audes contra divinam legem divinamque maiestatem peccare? Scimus quod contra nos venit iudex armatus, et non cessamus peccare in eum et ad maiorem indignationem et iram provocare? Fratres mei, consilium vobis dabo quod dedit I o b amicis suis, capite 19: *Fugite... a facie gladii, quia ultor iniquitatis gladius est et scitote esse iudicium,* idest *quoniam Deus iudex est,* a cuius manu nemo potest effugere. Fugiamus a gladio Dei per poenitentiam et conversionem ad Deum, nam cupidus est piissimus Dei animus salutis, non perditionis nostrae; hinc tot ante saeculis omnes nos monuit futuri iudicii: *Dedisti metuentibus te significationem ut fugiant a facie arcus.*

*Fragmentum.*

Sicut in creatione mundi ultimum opus Dei formatio hominis fuit, compendium et peroratio omnium operum, ita iudicium erit veluti omnium operum Dei epilogus; siquidem articulus hic complectitur omnes alios articulos fidei nostrae, sicut microcosmos totum complectitur macrocosmon, vel sicut in coelo omnia continentur astra. [11]

11) Reliqua parte folii 15 alba relicta, ad fol. 16 transitur, ubi ponitur pars homiliae feriae secundae post Pascha, quam nos ad finem huius Appendicis amandamus.

## DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

### SILVA ISAGOGICA [1]

*Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos,* etc. Cum esset Ioannes homo missus a Deo ad testimonium perhibendum de Christo, *ut omnes crederent per ipsum,* detentus autem in carcere et vinculis ab Herode, amplius praedicare non posset Christum, audita fama miraculorum Christi, summa usus prudentia Christum alia via praedicat. Sicut enim Deus finxit se nescire ubinam esset Adam post peccatum et Christus ubinam positus esset Lazarus defunctus, ita Ioannes fingit se nescire an Christus esset verus Messias a Deo in Lege et Prophetis promissus, ut sic Christum melius et discipulis suis et universo populo notificaret removeretque a se opinionem populi maximeque discipulorum, qui existimabant ipsum esse Messiam. Propterea ergo coelesti hac prudentia usus mittit duos discipulos ad Christum dicens: *Tu es qui venturus es?* graece est συ ει ο ερχομενος, *tu es ille venturus, an alium expectamus?* Messias, in Scripturis decantatissimus et ab universo populo expectatissimus, appellatur *ille venturus,* ille mittendus a Deo. Non poterat Ioannes, audita tam celebri fama miraculorum Christi, maxime fama suscitati filii viduae, ut Lucas 7 ait, Christum ignorare, quem in matris utero noverat et ante miracula coelestibus indiciis ac testimoniis certo certius agnoverat et populo indicaverat dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Neque enim, ut Tertullianus libro 4 *Contra Marcionem* somniavit, Spiritus Sanctus a Ioanne post Christi baptismum [2] discesserat, cum hodie a Christo Ioannes praedicetur propheta et plus quam propheta ac Angelus Domini; sed quia, audita fama miraculorum Christi, intellexerat quod Christus a populis nondum Messias haberetur, sed tantum, ut Lucas habet, *propheta magnus,* hac usus est Divini Spiritus arte ac si non certo sciret ipsum esse Messiam qui venturus esset. Sicut enim aurifex, licet sciat aurum esse optimum, tamen ut ab aliis magis cognoscatur facit eius periculum sub incude et in fornace, ita hodie Ioannes. Et hac legatione sua ad Christum duo facit: primo removet a se vulgi opinionem, cum omnes existimarent ipsum esse Messiam; deinde ostendit se, qui talis tantusque habebatur, talem tantamque de Christo existimationem habere, ut dicto ipsius standum iudi-

1) Codex fol. 11-12ᵃ. 2) Ms.: *Baptismus.*

caret, ita ut dicenti se Messiam esse omnino credendum sit. Talia, inquit, tantaque de te audio, ut te Messiam esse existimem, sed rei huius certitudinem a teipso habere cupio, propterea ad te legationem mitto.

Posset autem alius latere sensus. Cum enim sciret Ioannes Christum esse Messiam Salvatorem mundi, sed quod nonnisi per fidem salvandi essent homines a peccatis, nec tamen videret hunc effectum fidei, ut homines crederent in ipsum tot visis miraculis, adeo ut esset sicut rubus Moysi qui ardebat et non comburebatur, videbatur ignis et non consequebatur ignis effectus, quod mirabile visum fuit Moysi, ita etiam mirabatur Ioannes cur non crederet mundus in Christum ex tanta miraculorum operatione, ac sic admirans ad Christum miserit: Scio, Domine, Salvatorem te esse, nec video effectum salutis per fidem. Num aliquis alius est expectandus Salvator? Causam videtur quaerere cur mundus non credat ipsum esse Messiam.

*Ite, renunciate Ioanni quae audistis et vidistis.* Habet Lucas quod statim Christus, auditis discipulis Ioannis, *multos curavit a languoribus et plagis et spiritibus immundis et caecis multis donavit visum;* sic ait: *Quae audistis* prius et quae *vidistis* modo. Noluit Christus disertis verbis respondere Ioanni ad declinandam invidiam et occasionem persecutionis, sed ab operibus voluit agnosci sicut sol a radiis, arbor ab effectibus fructuum, sicut ait: *Opera quae ego facio, ipsa testimonium perhibent de me,* Ioannis 10; praestant autem opera verbis.

*Caeci vident, claudi ambulant,* etc. Alludit Dominus ad tria divina oracula in hac responsione. Unum est Isaiae 31: *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt,* etc. Sed plus dicit Dominus, nam in hoc vaticinio non fit mentio resurrectionis mortuorum, ita ut Christus multo plura praestiterit quam de eo fuerint praenunciata viceritque praesentia famam. Nisi forte allusit Dominus ad id quod dicitur Isaiae 26: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent,* ubi hebraice est una dictio, נבלתי, quae varie dispuncta significat vel cadavera mea, vel cadaver meum, et tunc adest[3] nota similitudinis: sicut cadaver meum resurgent. Mirum autem videtur quomodo dicat Dominus: *Mortui resurgunt,* cum tunc nonnisi unus tantum mortuus eo auctore resurrexerit; sed intelligendum est: Me auctore resurgere possunt. Sicut enim Christus illum unum, sic omnes poterit[4] suscitare.

Alterum vaticinium ad quod Dominus alludit est Isaiae 61: *Evangelizare pauperibus misit me.* Vaticinium autem illud ipsemet Christus Lucae 4 de seipso interpretatus fuit. Hic autem ait: *Pauperes evangelizantur,* idest beati praedicantur, quod instar miraculi est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum:* pauperibus per Evangelium datur bonum nuncium quod futuri sint reges in coelo.

Tertium tandem vaticinium est Isaiae 8, ubi Christus incredulis futurus praedicitur *in lapidem... offensionis et... petram scandali;* hinc ait: *Beatus... qui non fuerit scandalizatus in me.* Humilitas autem Christi multis Iudaeorum occasio scandali fuit, ut in Christum non crederent, quoniam Messiam in gloriam expectabant.

3) Ms.: *Deest* loco: *Adest.* 4) Ms.: *Potuit.*

Lapis enim offensionis et petra scandali dicitur quae humili loco posita in via, occasio est ut in eam impingant ambulantes, offendantur et cadant. Sic Dominus respondere videtur se esse quidem Messiam qui venturus est, sed non agnosci aut credi ab hominibus propter humilitatem, cum Messias ab omnibus expectaretur in gloria et maiestate.

*Illis autem abeuntibus.* Humiliaverat se Ioannes mittens ad Christum hanc legationem, et quidem publicam, cupiens amovere a se vulgi opinionem, et adeo se humiliaverat, ut de eo in populo potuerit oriri suspicio quod nec verus propheta esset qui Christum ignoraret, vel inconstantiae, cum Christum praedicasset. Quoniam vero *omnis... qui se humiliat, exaltabitur,* humiliatus Christi causa, exaltatur a Christo ac summis laudibus honoratur, adhuc vivens a Christo summo pontifice canonizatur et inter divos relatus, divorum maximus declaratus est, sed abeuntibus discipulis, ne in gratiam loqui videretur.

*Quid existis in desertum videre?* Legimus Matthaei 3, Marci 1 et Lucae 3 quod ad Ioannem exibant omnes ut baptizarentur ab eo; quoniam vero, audita legatione Ioannis, existimare potuissent turbae eum mutasse consilium et notam instabilitatis ei inurere, laudat eum Dominus a constantia tum in fide de Christo tum in praedicatione tum mentis proposito et perpetua vitae sanctitate, unde etiam a vitae sanctitate eum commendat, quod non fuerit homo mollibus vestitus. Sic ostendit Dominus Ioannem corde stabili et corpore castigato, sanctum corpore et spiritu, cumque periclitaretur fama Ioannis propter vincula, a Christo eximie asseritur: *Utique dico vobis et plus quam prophetam.* Existimo dictum hic Ioannem a Christo prophetam sicut Abraham dictus fuit a Deo propheta, *Genesi* 20, non quod futura praediceret, sed quod Dei Spiritu plenus tanquam amicus ac familiaris Dei esset; sicut et Christus saepe dictus est propheta, non quod futura praediceret, sed quod miraculis sanctitatem demonstraret, nam, suscitato filio viduae, dicebant: *Propheta magnus surrexit in nobis,* et satiatis turbis: *Hic est propheta qui venturus est in mundum.* Ita Ioannis sanctitatem et gratiam hic Dominus vere eximiam demonstrare videtur, qua ab Angelo praedictus fuit futurus *magnus coram Domino* et venturus *in spiritu et virtute Eliae,* ac propterea adiungit Dominus Malachiae oraculum: *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum.* Causam assignat Dominus quare Ioannes sit plus quam propheta: quoniam, inquit, Angelus.

## DOMINICA TERTIA ADVENTUS[1]

*Miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad Ioannem ut interrogarent eum: Tu quis es?* etc. In hodierno Evangelio proponit nobis Sancta Mater Ecclesia Ioannis Baptistae illustrissimum testimonium de Christo Domino nostro, de eius divinitate ac infinita, altissima ac divinissima dignitate, quae inde vel maxime elucet ex comparatione Ioannis ad Christum. Magna profecto dignitas Ioannis Baptistae ex admirabili vitae plane angelicae sanctitate, qua absque ullis miraculis – non enim miracula faciebat Ioannes sicut Moyses et Elias vel sicut Christus – tantam de se apud Iudaeos excitavit admirationem, tantam sui nominis per universam Iudaeam et Galilaeam opinionem, ut quasi ad coeleste oraculum vel divinum miraculum ex omni parte ad eum videndum et audiendum Iudaei confluerent ac tanquam Messiam venerarentur. Sic enim Lucas ait: *Cogitantibus omnibus... ne forte ipse esset Christus,* idest Messias.

Nec tantum coram populo, coram hominibus magnus erat Ioannes, et magnus adeo ut ad eum hodie pontifices et principes Iudaeorum honestissimam miserint legationem, sed ab Angelo Gabriele Angelorum principe et coryphaeo magnus praedicatus sit coram Domino: *Erit enim,* inquit, *magnus coram Domino et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae,* magnus adeo ut a Christo maximus sanctorum omnium declaratus sit, plus quam propheta: *Inter natos mulierum non surrexit maior* propheta *Ioanne Baptista. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Deus ipse Ioannem non solum Angelum vocat, sed Angelum suum peculiarissimum ac singularissimum. Sic fuit *magnus coram Domino,* magna stella coram sole, magnus princeps coram summo rege et imperatore, magnus Cardinalis coram Pontifice Maximo: *Erit enim magnus coram Domino.*

Sciebant omnes quod Messias futurus erat sol iustitiae: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae.* Ioannes autem stella erat in coelo tanta sanctitatis luce et splendore refulgens, ut ipsemet sol fere ab omnibus existimaretur: *Cogitantibus omnibus in cordibus suis ne forte ipse esset Christus.* O ineffabilem Ioannis magnitudinem et dignitatem! At vero ipsiusmet Ioannis testimonio talis et tanta est Christi dignitas et maiestas, ut omnis amplitudo Ioannis comparata magnitudini Christi nihil sit, veluti si magnitudo unius hominis magnitudini comparetur totius mundi, aut si lucerna accensa comparetur soli in meridie, claro et sereno coelo.

1) Codex fol. 33-34v.

Audite, quaeso, testimonium Ioannis: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamenti.* Talis, inquit, et tanta est Christi dignitas, ut ego nec dignus sim inter humillimos ac vilissimos ipsius servos computari, quoniam Messias Deus est, ego autem homo sum: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis.* Alludit Ioannes ad vaticinium Isaiae capite 45: *Tantum in te est Deus et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator: Deus absconditus,* arca et propitiatorium sub velo; Deus *qui posuit tenebras* paupertatis, humilitatis et mortalitatis *latibulum suum,* nam tenebra privatio luminis est; Deus qui apparuit in caligine.

Alludit et ad aliud eiusdem vaticinium capite 53: *Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor, et vidimus eum et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum. Brachium Domini* vocat Christum Isaias, idest virtutem Dei, sicut Paulus eum vocat *Dei virtutem et sapientiam;* sed brachium absconditum, nam: *Cui,* inquit, *revelatum est?* Ergo velatum erat. Sed quo velo? Utique humanitatis passibilis et mortalis, maxima in humilitate et paupertate. Hoc est: *Ascendet sicut radix de terra sitienti,* tota squalida; *non* erat *ei species neque decor* divinae maiestatis, unde quamvis, inquit, viderimus eum hominem factum, quia tamen non erat ei aspectus deitatis et gloriae maiestatis divinae, *desideravimus eum.* Sicut qui thesaurum quaerit in terra lapidum pretiosissimorum, si reperire contingat, sed impolitos lapides, videbit quidem thesaurum, sed adhuc desiderabit et quaeret ac si minime invenerit; sic ait: Quoniam *vidimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem,* et hac infirmitate carnis tanquam velo quasi absconditus vultus divinitatis eius, *unde nec reputavimus eum.*

Sic inquit Ioannes: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis,* quoniam *Deus absconditus* est et ignotus venit. Sed cum ego ex divina revelatione noverim eum in baptismo, quoniam cum prius ego quoque ignorarem eum, vidi Spiritum Sanctum descendentem super eum vocemque Dei de coelo audivi: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui,* dico quod cum ipse Filius sit Dei, ego autem servus, ipse tantum est me dignior et honoratior, ut nec dignus sim solvere corigiam calceamentorum eius.

Sic Ioannes, cognita Christi divinitate, altissime sentit, et merito, de Christi dignitate: infinitis, inquit, gradibus partibusque me dignior est, quoniam infinita est dignitas ipsius qui Deus est. O quam alte et quam vere philosophatur hodie Ioannes de Christo deque altissima eius dignitate ac maiestate!

Mundus hic est veluti scala illa quam in somnis vidit Iacob, in cuius summitate Deus residebat. Sunt multi rerum gradus, semper alter altero superior et maior, veluti in numerorum serie superior numerus semper est inferiore maior; est veluti statua Nabuchodonosor in somnis ostensa, quae superiores partes semper multo nobiliores habebat. Ita, inquam, in mundo hoc coelum multo est terra nobilius, angelica

autem natura supra coelum longe nobilior coelesti natura. Deus autem infinitis gradibus est omni angelica nobilitate ac dignitate superior, sicut infinitis partibus Deus maior est universo; Deus enim ter maximus multo maior est hoc macrocosmo, quam mundus hic magnus maximusque microcosmo homine. Qualis autem et quanta est magnitudo Dei, talis et tanta est eius nobilitas dignitasque. Christi autem dignitas aequalis est dignitati Dei, quoniam verus est Deus, Patri coaequalis, coaeternus et consubstantialis, unus Deus.

Cum igitur Ioannes infinitam hanc Christi dignitatem cognosceret, vere dixit: *Cuius ego non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamenti.* Infinitam hanc Christi dignitatem Paulus exaggeravit dicens: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.* Hoc est quod Ioannes ait: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis, cuius* tamen *non sum dignus,* quoniam *Deus exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium... et omnis lingua confiteatur,* idest laudet eum atque adoret omnis creatura, *quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris,* sedet ad dexteram Dei, aequalis Deo in gloria et maiestate. Dum ait Paulus quod *Deus exaltavit eum,* alludit ad id quod Isaias ait capite 52: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, elevabitur et sublimis erit valde.* Quam exaggerat Christi dignitatem! Dum vero ait: *Ut in nomine* eius *omne genu flectatur,* alludit ad locum eiusdem Isaiae capite 45: *In memetipso iuravi;*[2] *Egredietur de ore meo iustitiae verbum et non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu et iurabit omnis lingua,* sive, ut Paulus *ad Romanos* 14 ait: *Omnis lingua confitebitur Deo.*

O infinitam Christi dignitatem! Omnes Angeli Dei in coelo flexis genibus summa cum reverentia et humilitate Christum adorant iugiterque collaudant et quilibet Angelorum atque Sanctorum cum Ioanne dicit: *Cuius... non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamenti.* Sic Ioannes in spiritu Christum humillime adorabat, sic eum pura vivaque fide colebat. Iudaei vero minime colebant, quoniam minime agnoscebant: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis,* nam si cognovissent Dominum gloriae, non eum crucifixissent.

Utinam, fratres, non etiam nobis dicat hodie Ioannes: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis!* Nam quam ob causam omnes Angeli Dei in coelo omnesque Sancti in paradiso Christum flexis genibus adorant et laudant? Utique quia cognoscunt; sic caecus ille natus a Christo illuminatus, cum cognovisset eum esse Messiam, Filium Dei, *procidens adoravit eum.* Si rex per civitatem incedat incognitus, mirum non est si ut regiam maiestatem decet non honoratur; nemo est tamen qui eum cognoscat et non revereatur. De nobis autem conqueritur Deus dicens: *Filius honorat patrem suum et servus dominum suum; si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum?* Desiderabat Ioannes esse de numero humillimorum servorum Christi et indignum se existimabat,

2) Ms.: *Iuravit.*

ex interno enim lumine et vera cognitione humilitas oritur. Nunc autem ubi est haec humilitas? Vix reperitur qui Deo servire velit, nisi in sublimitate.

*Ego vox clamantis in deserto.* Duo cernimus in Ioanne sanctissimo Christi praecursore hodie: intellectum praeditum duplici cognitione et affectum duplici virtute ornatum. Intellectum praeditum cognitione Christi: *Qui post me venturus est, ante me factus est,* et cognitione sui ipsius: *Cuius ego non sum dignus; Confessus est et non negavit: Quia non sum ego Christus,* neque Elias, neque propheta, sed ego *vox clamantis,* etc. Affectum vero praeditum humilitate et caritate: humilitate erga seipsum in contemptum sui ipsius: *Cuius ego non sum dignus,* hinc recusat oblatum honorem: *Quia non sum ego Christus,* neque Elias, neque propheta; caritate erga Deum et proximum: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Ioannes ergo cognoscit seipsum et cognoscit Christum suo intellectu; affectu vero spernit seipsum et non desiderat nisi honorem Christi, ut Christus honoretur et glorificetur, hoc est enim: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* In hisce rebus principaliter consistit vita omnium Sanctorum. Sanctus Franciscus multoties totam insumebat noctem in exercitatione intellectus ut Deum cognosceret et seipsum dicendo: «Deus meus, Deus meus, qui es tu et quis sum ego? Deus meus, Deus meus, quis es tu et quis sum ego?» Sic proponitur nobis Ioannes exemplar et veluti idea virtutum ut divinas ipsius virtutes imitemur.

Notanda est Ioannis philosophia, haec enim vera philosophia est, cognitio sui ipsius et Dei. Cum de Deo loquitur, magnifice loquitur: *Medius... vestrum stetit quem vos nescitis,* Deus ignotus, qui videri non potest, qui incomprehensibilis natura est et si capi a nostris ingeniis posset, parva admodum res esset, Deus non esset; id tantum sufficiat quod *ante me factus est,* natura Dominus absolutissimus est. Sic Ioannes utranque complexus est theologiam, et mysticam et symbolicam; illa negat de Deo, est veluti sculptura, haec autem affirmat, veluti pictura. Cum vero de seipso loquitur, simili quodam modo loquitur, negando et affirmando: negando: *Quia non sum ego Christus,* non Elias, non propheta; affirmando: *Ego vox clamantis in deserto.*

Hominem se esse sciebat Ioannes. Sed in Divinis Litteris reperitur homo deificatus, Deo hypostatice, personaliter unitus, qualis Christus est; homo beatificatus et glorificatus, vita aeterna donatus, ut sunt Beati in patria, quorum symbolum extitit Elias igneo curru in coelum raptus; reperitur homo sanctificatus et in gratia, Spiritu Sancto plenus, confirmatus, quales habebantur antiquiores Prophetae, nam quisquis ea tempestate singulari sanctitate insignis erat, propheta dicebatur; et tandem homo passioni, morti, tempori voraci subiectus.

Videte quidnam de seipso sentiebat Ioannes: *Non sum ego Christus,* homo deificatus; non sum Elias, homo beatificatus; non sum propheta, homo sanctificatus. Non enim talem se existimabat Ioannes qualis vere erat, sed cum Dei et Christi sanctitatem prae oculis haberet, cuius comparatione omnis sanctitas evanescit, sicut omnis stellarum splendor coram sole, dixit se prophetam virum sanctificatum a Deo minime esse. Sicut Pythagoras noluit appellari sapiens, *sophos,* sed *philosophos,* amator sapientiae, sic Ioannes noluit appellari aut credi propheta, vir sanctus, sed ait: *Non sum,* ex magna animi humilitate atque modestia qua vere sic sentiebat. Sicut

enim potest esse ut mulier pulcherrima sit, sed quoniam nunquam contemplata est vultum suum in speculo, pulcritudinem suam ignorat, cum propriam faciem videre non possit, qualis fuit in mundi primordiis Eva, sic anima Ioannis ignorabat pulcritudinem suam, sicut Adam in paradiso nuditatem suam minime agnoscebat. Sicut Socrates philosophus, qui ab oraculo Apollinis sapientissimus hominum declaratus fuit, se minime sapientem esse dicebat, sed « hoc unum, inquiebat, scio, quod nihil scio », nihil se scire praesumebat, sic humillimus Ioannes nulla sanctitate praeditum se existimabat.

Sed quid tandem de seipso sentiebat? *Ego vox clamantis,* sonus qui brevissimo temporis spatio in momento transit. Homo sum, inquit, mortalis, homo nihili, nihil sum: *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit,*[3] *ipse se seducit.* Ex hac cognitione et meditatione Ioannes mundi spernebat honores carnisque refugiebat delicias ac voluptates, nam facile contemnit omnia qui semper cogitat se esse moriturum: *Ego vox clamantis in deserto.* Nihil Ioannes in mundo hoc desiderabat, quia nihil se esse existimabat. Qui enim existimat se aliquid esse, semper desiderat aliquid quod non habet, esse quod non est, semperque in infinitum humana desideria procedunt, desiderium abyssus est infinita. Vita autem hominis fulminis coruscatio [est], somnium, umbra, somnium umbrae; nunquam finem habet ambitio, nunquam avaritia, nunquam appetitus carnis et sensus animalis. Haec est autem malorum omnium origo, quia non cogitamus nos morituros esse, quod sumus fumus et umbra, sonus vocis brevissime transeuntis: *Ego vox clamantis in deserto.*

Sciendum est etiam quod saepe decipimur similitudine rerum. Erat Ioannes non Christus, sed Christo similis; non adamas, sed vitrum simile adamanti; non aurum, sed aurichalcum auro simile. Iudaei autem existimabant Ioannem esse Christum, quoniam nimio desiderio Christum auctorem omnium bonorum expectabant. Nos quidem omnes desideramus summum bonum, in quo felicitas nostra consistit et satietas omnium desideriorum cordis nostri; sed decipimur similitudine rerum existimantes reperiri posse felicitatem in rebus mundi huius, in divitiis, honoribus deliciisque.

3) Ms.: *Si.*

# IN DIE NATALIS DOMINI [1]

*Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : Quia natus est vobis hodie Salvator*, etc. Ineffabile mysterium ac divinissimum sacramentum nativitatis Christi ab Angelo, imo Angelorum duce et principe, hodie mundo praedicatur. Creatio universi ab homine Divino Spiritu afflato, ab ipso Moyse manifestata fuit mundo; at unigeniti Filii Dei incarnatio et nativitas, opus cum sit infinitis partibus maius, mundus ter maximus, ab Angelo manifestatur, et Angelo splendidissima luce tanquam sol fulgente: *Claritas Dei circumfulsit eos*, idest claritas maxima, lux supra modum splendidissima.

Saepe legimus Angelos apparuisse hominibus, sed nunquam tanto cum splendore et maiestate. Nova et mirabili luce apparet, quoniam nova et mirabilia sunt quae praedicat novus praedicator, quia novum gaudium nunciat: *Annuncio vobis gaudium magnum* quale nunquam fuit; annunciat rem novam, ait enim: *Novum creabit Dominus super terram : femina circumdabit virum ;* annunciat nativitatem novi hominis, *theanthropu*, Dei et hominis: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* Hinc novus homo Christus, quia Deus et homo, natus ex nova matre, ex intacta virgine: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium ; ecce Virgo praegnans et pariens filium, harah veioledeth ben. Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile?* ait Isaias 66 capite.

Hinc novo modo celebrat Sancta Ecclesia novam hanc solemnitatem celebrans tres Missas et tria Evangelia proponens. In primo videtur Deus humillimus, quasi purus homo; in tertio Deus altissimus, quasi solus Deus; in secundo, quod est quasi medium, videtur humilis Christus et sublimis, a pastoribus ut Deus et homo adoratus. In primo videtur homo sublimis et Deus humilis, nam agitur de principe romani imperii: *Exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis*, et Deus humilis forma servi indutus; in tertio videtur Deus sublimis, Dominus et conditor hominum; in secundo homo humilis adoratur ut Dominus Angelorum. In primo demonstratur temporalis et consubstantialis matri; in tertio coaeternus, consubstantialis et coaequalis Patri, nam hoc est quod ait: *In principio erat Verbum:* haec est aeternitas, *et Verbum erat apud Deum*: haec aequalitas, *et Deus erat Verbum :* haec substantia in secundo demonstratur homo natus in terra et Deus regnans in coelo. In primo

1) Codex fol. 39-40.

homo humilis exaltatur; in secundo Deus sublimis humiliatur: *Verbum caro factum est;* in secundo Christus natus creditur homo sublimis et Deus humilis, homo Deus et Deus homo. Angelica autem concio compendium totius Evangelii est. Hanc ergo, favente Deo, explicabimus.

*Evangelizo vobis gaudium magnum.* Aurea luce magna cum pompa indutus apparet Angelus hic ad annunciandam Christi nativitatem. In natali principis primogeniti et unici filii magni regis aut imperatoris in universo quidem regno, sed maxime in civitate metropoli, quae caput est regni, magna celebrantur festa summa cum laetitia et exultatione; omnes regni principes, magnates et nobiles optimis ac pretiosissimis vestibus induuntur. Haec ratio est tanti splendoris, quoniam natus est hodie unicus Filius summi imperatoris Dei. Hinc tripudiant magna cum exultatione Angeli laudantes Deum et dicentes: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*

Sed audiamus quidnam Angelus concionator dicat. *Evangelizo vobis gaudium magnum,* laetum do vobis nuncium, magnam vobis annuncio laetitiam. Sic ait Angelus, quoniam gaudium magnum fuit hodie in coelo coram Angelis Dei. Si enim tantopere Angeli salutem nostram desiderant ut, sicut Christus ait, *gaudium magnum* sit *coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente,* quale fuerit eorum gaudium hodie, cum natus est Salvator omnium hominum? Gaudium magnum omnium Patriarcharum et Prophetarum sanctorumque omnium, nam: *Abraham exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est.* Gaudium magnum Sanctissimae ac Beatissimae Virginis: *Mulier... cum peperit filium... non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Bone Deus, quale gaudium, qualem laetitiam sensit hodie in corde suo Virgo Sanctissima ac Beatissima? Peperit filium sine ullo dolore, filium pulcherrimum tanquam Angelum: *Speciosus forma prae filiis hominum; In quem desiderant Angeli respicere;* hinc accurrunt omnes Angeli, quia nil pulcrius unquam in paradiso viderunt. Quale gaudium cum sensit eum ab Angelis adoratum atque laudatum! cum sensit angelicam harmoniam: *Gloria in excelsis Deo!*

Omni genere musices usos esse hodie Angelos existimo: diatonica, chromatica, enharmonica; usos harmonia ionica ad iucunditatem, phrygia quae enthusiasmum, devotionem excitabat, et dorica quae animi gravitatem et compositionem inducebat et lydia ad divinum furorem rapiente animum mentemque quasi per raptum et extasim. Sic enim ait: *Laudate Dominum in sono tubae, laudate eum in psalterio et cithara; laudate eum in tympano et choro, laudate eum in chordis et organo; laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis; omnis spiritus laudet Dominum.*

Tandem gaudium magnum ipsiusmet Dei, cui ex dilectissima sponsa nascitur hodie dilectissimus filius: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te; Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quale gaudium divini cordis fuit hodie? Nam si *laetabitur Dominus in operibus suis,* quanto magis in Filio suo? *Vidit... Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona;* contemplabatur opera sua et gaudebat, quoniam *erant valde bona,* omni laude digna, *Dei* enim *perfecta sunt opera.* Hoc autem opus est omnium operum Dei sol inter astra, homo inter animalia, Deus inter Angelos. Non ob aliud Deus mundum hunc creavit, nisi ut splen-

deret in eo imago divinitatis, potentiae, sapientiae et bonitatis suae. Christus autem perfecta est Dei imago. Ita Paulus ait: *Qui cum sit splendor gloriae et figura*, idest character et imago *substantiae eius;* et alibi: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae*. Omnes creaturae umbrae sunt Dei, hinc de homine dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, hebraice est *bezalmenu, ad umbram nostram*. Solus Christus est perfecta naturalis et viva Dei imago.

Divus Paulus docet quod propter Christum Deus omnia fecit; ita enim *ad Colossenses* scribit: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant... ut sit in omnibus ipse primatum tenens*, idest princeps et monarcha. *In ipso*, inquit, *condita sunt omnia*, idest propter ipsum, ipsius causa, quod duplici similitudine declarat: imaginis et primogeniti filii regis et principis.

Si pictor vult in iconica tabula depingere regem aut imperatorem in maiestate, vel Papam in pontificali, non solam depingit imaginem, sed magnam pro viribus parat [2] tabulam aut telam, ut multis figuris possit principalem imaginem exornare, ut multo magis compareat. Voluit Deus statuere in terra hominem Christi imaginem; miris modis terram ornavit: posuit in coelo solem ut esset Christi imago, ornavit innumeris astris; paradisum creavit ut ibi imaginem suam statueret, ornavit innumeris Angelis infinita cum gloria; sic omnia creavit propter Christum. Nascitur regi filius, aedificat ei magnum palatium ex finissimis marmoribus, ad illius ornatum parat infinitam supellectilem, attalica, peripetasmata et peristrimata picturata, serico auroque contexta; praeparat ei nobilissimam curiam, innumeros aulicos, servos et servas, hortos, pomaria, labyrinthos aliaque id genus ad delicias et voluptatem pertinentia. Sed omnia fiunt propter filium, maxime si primogenitus sit et princeps regni. Sic Paulus ait facta esse omnia propter Christum. In Divinis Litteris propter arcam testamenti aedificatum fuit prius tabernaculum et postea templum immensis sumptibus. Arca autem Christi figura erat. Si igitur laetatus est Deus in operibus suis, multo magis in unigenito Filio suo.

*Ecce evangelizo vobis gaudium magnum*. Ita etiam Zacharias ait: *Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem: ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper. Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea. Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum*. Sed quaenam, quaeso, o sanctissime Angele, o splendidissime Dei praenuncie, quaenam tantae causa laetitiae? Quodnam magnum hoc gaudium? *Quia*, inquit, *natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus*.

Multas legimus in Divinis Litteris laetitias, multa gaudia. Abraham gavisus fuit vehementer quando a Deo promissus fuit ei filius, quando natus fuit Isaac, quando ablactatus fuit; Isaac quando pulcherrimam Rebeccam accepit uxorem; Iacob quando audivit quod Ioseph viveret et regnaret in terra Aegypti; universus populus Dei cum vidit Pharaonem et omnem exercitum ipsius submersum in mari Rubro; Bethsamitae magnum sensere gaudium cum viderunt arcam Domini reversam de terra Philisthaeo-

2) Ms.: *Parans*.

rum; David cum universo Israele cum adduxit arcam in Ierusalem; Salomon cum universo regno quando, templo aedificato, celebrans diem dedicationis introduxit arcam in templum et in sacratissimo oraculi loco eam collocavit. Sed omne aliud gaudium nihil est huic comparatum.

*Evangelizo vobis gaudium magnum.* Sensit gaudium magnum civitas Bethlehem cum ex Ruth natus fuit Obed, avus David regis, quasi praesagiens ex illo nasciturum talem ac tantum regem. Sed gaudium illud hodierni huius extitit typus, sicut David rex Christi figura fuit.

*Evangelizo vobis gaudium magnum... Quia natus est vobis hodie Salvator,* thesaurus, fons et origo omnium bonorum, sol perfectae felicitatis et aeternae beatitudinis. *Natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus,* verus Deus; venit in mundum pro salute vestra, ob nimium amorem, ex nimia erga vos caritate. *Natus est... Salvator, qui est Christus Dominus.* Quoniam obscurum quodammodo est quod Angelus dixit: *Natus est... Salvator,* accedit chorus Angelorum omnium et declarat dicens: *Gloria in excelsis Deo,* etc. Adam causa fuit perditionis et ruinae totius humani generis, quoniam peccando Deum inhonoravit, unde nos irae filios Deique inimicos constituit, statuque felicitatis amisso, in miseriarum pelagus diluviumque demersit. Sed bono, inquiunt Angeli, animo estote:[3] natus hic Deum adeo honorificabit et glorificabit, ut futurus sit ipsamet gloria Dei, unde restituet vobis amissam pacem amissamque felicitatem; hoc enim significat *eudochia,* bona voluntas, beneplacitum, bonum omne quod desiderari potest. Vel annunciant nobis natum esse largitorem gloriae et gratiae, quoniam tandem Deus in nobis sibi complacuit: *Sol et scutum Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus.* Hoc ergo est: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum.* Zacharias exultandum et iubilandum praecipit, quia Salvator venit pauper et humilis.

## IN DIE NATALIS DOMINI[1]

Non tot in magno hoc coeli theatro, pulcherrimo mundi spectaculo in serena nocte micantia astra resplendent, quot in sacratissima nocte natalis Domini resplenduere divina mysteria supercoelestiaque sacramenta potentiae, sapientiae, bonitatis, misericordiae, iustitiae et caritatis Dei erga nos, quoniam *sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,* sic enim *parvulus natus est nobis et filius datus est nobis,* etc. Quapropter cum multo impossibilius esset hominibus haec enarrare mysteria quam stellas coeli numerare, e coelo Dominus Angelum mittit ad hanc nativitatem Christi praedicandam: *Annuncio vobis gaudium magnum,* etc.; imo cum eo omnes paradisi spiritus beatos canentes et dicentes: *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Quapropter ego, qui non angelus, sed homo sum,

3) Ms.: *Sed bono inquiunt animo Angeli estote.*

1) Sermones sequentes in codice post festum Epiphaniae ponuntur, fol. 51-58.

nec homo magna vel sapientia vel eloquentia praeditus, sed vilissimus quidam homuncio in tenebris peccati et ignorantiae natus, homo impeditae linguae, polluti labii et immundi cordis, silere magis proposui quam de tanta solemnitate quicquam indigne loqui. Ne tamen in mensa tam lauta, tam sumptuosa, tam splendida ieiuni omnino maneamus, paucula quaedam de praesepio Salvatoris dicere statui.

Sicut circa sacrosanctam arcam Dei multa erant ornamenta cortinarum, superius propitiatorium divinum, a duobus lateribus Cherubim aurei, ita circa hoc sacrosanctum Domini praesepe multa video hodie. Video Sanctissimam Virginem, quae magno miraculo et natura mirante, ante partum, in partu et post partum virgo semper fuit; video Sanctissimum Ioseph, video pastores humiles Christum natum adorantes; a lateribus eius Angelos coelestes, quorum unus pastoribus nunciat Christi nativitatem dicens: *Annuncio vobis gaudium magnum*, etc., alios vero omnes cantantes et dicentes: *Gloria in excelsis Deo*, etc. Sicut enim duo illi cherubim omnes Angelos significabant assistentes et ministrantes, ita hodie omnes Angeli descenderunt de coelo ad Christum Dominum in praesepio natum adorandum; superius vero Pater una cum Spiritu Sancto assistebat ad videndum Christum dilectissimum Filium in mundo natum.

Quapropter dum sacrosanctam hodiernam solemnitatem contemplor, videre mihi videor summi cuiusdam regis apertum thesaurum, in quo omni ex parte mille ac mille aurea vasa daedala manu summa arte elaborata, pretiosissimis gemmis et margaritis ornata ut pulcrius nil oculis videri possit, adeo ut ingrediens quilibet magna admiratione et stupore victus nesciat quid magis laudet, ita plane hodie summus rex Deus divitiarum suarum thesauros aperuit. Thesaurus Dei est paradisus, thesaurus Dei Ecclesia, thesaurus Dei uterus Virginis. Aperit Deus coelum et omnes Angeli descendunt; aperit thesaurum Virginis et nascitur Christus verus Deus et homo.

Si humiles simplicesque pastores una cum Sancto Ioseph, Virginis et Christi pastore, contemplor, vasa quaedam pretiosissima video, omnium virtutum pretiosis lapidibus ornata. Si ad coelum converto oculos, video omnes Angelos, qui stellae sunt paradisi, coelestibus astris multo nobiliores quam sint astra terrenis lapidibus. Si iterum ad terram oculos demitto, mulierem illam video sole amictam, luna superiorem, stellis coronatam, Angelis multo nobiliorem, imo Angelorum Reginam et Dominam. Si iterum ad coelum converto, Patrem nati Christi intueor, summum Deum terrae, maris et coeli ac omnium quae coeli ambitu continentur regem ac Dominum. Si tandem in ipsum praesepe oculos figo, Deum simul hominemque intueor.

Haec autem omnia vincunt longeque omnes humani intellectus humanaeque eloquentiae vires exuperant. Quapropter ego, cum vere possim cum Moyse dicere: *Non sum eloquens*, imo cum Ieremia: *Nescio loqui*, ineffabilia et imperscrutabilia haec missa faciens, tantum de Domini praesepio sum verba facturus. Qui enim debilis sunt visus, opaciora magis umbrisque obtecta diligunt quam splendida nimis luce fulgentia, terram magis quam solem aspiciunt, quam nonnisi aquilini oculi aspicere possunt. Quod si ego coelum velim aspicere [2] Angelosque contemplari, stellas vi-

2) Ms.: *Aspire*.

debo sole lucidiores; si Deum, lux est inaccessibilis; si in praesepio Christum, sol est centies milliesque hoc sole lucidior; si Virginem Matrem, luna est sole amicta. Nihil ergo opacius, nihil hic reperio obscurius praesepio Salvatoris.

O sacrum praesepe! de te cum patriarcha Iacob dicere verissime potero: *Vere Dominus est in loco isto et ego nesciebam... Quam terribilis est... locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.*

## IN DIE NATALIS DOMINI

*Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator.* Coelestis Angelus, imo coelestium Angelorum princeps, nato Domino, de paradiso descendit empyreo ad manifestandam et praedicandam hominibus Christi nativitatem; non enim nisi angelicam tum mentem tum linguam requirit praedicatio talis et tanti mysterii, imo totius Evangelii annunciatio. Sic enim Ioannes in *Apocalypsi* ait: *Vidi Angelum volantem per medium coeli, habentem evangelium aeternum ut evangelizaret sedentibus super terram.*

Utinam, fratres, angelus ego essem gratia sicut Ioannes Baptista, cum natura esse non possim sicut Angelus hodierni mysterii praedicator! Sed *vir pollutus labiis ego eum,* homo peccator. Videns tamen quod Dominus hodie stabulum non abhorruit, nec vilibus pannis involvi et in praesepio collocari, venio ad annunciandam vobis Christi nativitatem, vel ad explicandam vobis angelicam concionem quam ad pastores habuit.

In angelica autem concione duo sunt quae videntur esse praecipua: gaudium magnum et magnum miraculum. Circa hoc mysterium et sacramentum nativitatis Christi gaudium magnum et universale: *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*; miraculum vero: *Hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum,* etc.

*Evangelizo vobis gaudium magnum* Dei et Angelorum omnium in paradiso. Laetatus enim fuit vehementer Abraham in nativitate unici filii sui Isaac; cum enim regi nascitur primogenitus filius, universa familia, universa civitas, regnum universum incredibili afficitur laetitia maximaque dantur laetitiae et exultationis signa. Gaudium magnum Virginis Sanctissimae et totius universalis Ecclesiae. Sara sterilis, cum magno omnium miraculo filium peperit, ingenti gaudio affecta ait: *Risum fecit mihi Dominus,* hinc natum filium risum sive gaudium appellavit et omnes, inquit, mulieres, *omnis qui audierit corridebit mihi,* congratulabitur mecum; sicut etiam Lia, cum natus fuit ei ex ancilla filius Aser, dixit: *Hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent* omnes generationes, *omnes mulieres.* Sic Maria: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.* Omnes mulieres Bethlehem congratulabantur Noemi, quando natus est ei Obed ex Ruth Moabitide. Gaudium universalis Ecclesiae:

*Quod erit omne populo, quia natus est vobis hodie Salvator.* Omnes Bethsamitae ingenti gaudio perfusi fuere videntes arcam Domini, in qua Domini gloria erat, venientem de terra Philisthiim in terram Israel. Sic ait: *Gaudium magnum,* quia Deus ipse ad vos venit homo factus.

*Evangelizo vobis gaudium magnum,* vobis hominibus, non daemonibus inimicis vestris; nam quando venit arca Dei in castra Israel ad salvandos eos, supra modum tristati fuere Philisthiim dicentes: *Venit Deus in castra... Vae nobis! Non enim fuit tanta exultatio heri et nudiustertius. Vae nobis! Quis nos liberabit de manu deorum sublimium istorum? Hi sunt dii qui percusserunt Aegyptum omni plaga.* Venit, inquiunt, Deus in castra, Deus, qui nos ex paradiso coelesti depulit, venit in mundum ut nos ex mundo eiciat et in infernum deiciat. Hinc ait: *Evangelizo vobis,* universae Ecclesiae fidelium, *gaudium magnum.* Isaias ait capite 66: *Laetamini cum Ierusalem et exultate in ea omnes qui diligitis eam; gaudete cum ea gaudio universi... ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis eius, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. Quia haec dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eum quasi fluvium pacis et quasi torrentem inundantem gloriam gentium.* Hoc est quod ait: *Natus est vobis Salvator,* Deus uberum, fluvius pacis, idest felicitatis, torrens totius gloriae desiderabilis, quia Christus est thesaurus bonorum omnium absconditus in agro, sed hodie ab hominibus inventus.

Capite 40 idem Vates ait: *Consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus noster, loquimini ad cor Ierusalem... quoniam completa est malitia*[1] *eius, dimissa est iniquitas ipsius... et revelabitur gloria Domini et videbit omnis caro pariter.* Hoc est quod ait: *Natus est vobis... Salvator,* iam revelata est gloria Domini, inventus est thesaurus paradisi in terra, placata est ira Dei contra homines, factus est Deus homo, sed infans, a quo nemo timere sibi potest, neminem enim laedere potest infans, nemini nocere.

Capite 35: *Laetabitur deserta et invia et exultabit solitudo et florebit quasi lilium; germinans germinabit et exultabit laetabunda et laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron; ipsi videbunt gloriam Dei et decorem Dei nostri... Dicite pusillanimis... Nolite timere, ecce Deus vester veniet, ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt, quia scissae sunt in deserto aquae et torrentes in solitudine.* Naturam humanam post peccatum appellat desertum et solitudinem, quae ante peccatum instar paradisi erat. Sed nunc, inquit, *gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron:* haec erant insigniora et gloriosiora loca totius terrae promissionis; pretiosiora bona paradisi data nunc sunt humanae naturae, mundo huic.

Sed quis natus?[2] *Deus ipse,* unigenitus Filius Dei: *Ecce Deus vester;* ultio veniet contra daemones et retributio bonorum. Quis non appetit, quis non laetatur de inimicorum ultione et de retributione bonorum? *Scissae sunt aquae in deserto:* alludit ad historiam petrae in deserto, sic nunc; unde alibi idem Vates ait: *Haurietis aquas*

1) Ms.: *Militia.* 2) Ms.: *Quem natum.*

*in gaudio de fontibus Salvatoris... Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel. Ecce Deus salvator meus, factus est mihi in salutem.*

Capite 11 idem Vates agens de Christi nativitate ait: *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus... et erit iustitia cingulum lumborum eius et fides cinctorium renum eius... In illa die erit radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit, menuhato cabod, mansio eius gloria. Et erit in die illa: adiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui... et levabit signum in nationes et congregabit profugos Israel et dispersos Iuda colliget a quattuor plagis terrae.* Quam manifeste dicit quod nasciturus erat Salvator! et quod secunda haec salus futura erat similis primae, cum Dominus liberavit atque salvavit populum suum a tyrannica captivitate Pharaonis, educens illum ex Aegypto per mare Rubrum, demerso ibi Pharaone cum universo exercitu suo! Quare tunc Moyses cum universo populo, visa tali tantaque salute, totus exultans cecinit canticum Domino: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem proiecit in mare... Iste Deus meus et glorificabo eum, Deus patris mei et exaltabo eum. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius; currus Pharaonis et exercitum eius proiecit in mare. Fortitudo mea et laus mea Dominus et factus est mihi in salutem.* Sic etiam Maria soror Moysi ducens choros mulierum cum tympanis exultans et laetabunda, Divino Spiritu afflata, ipsa quoque canebat. Hoc est quod ait Angelus: *Natus est vobis hodie Salvator,* sicut Moyses, sicut Iosue, sicut Samson, sicut Ioseph, sicut David, qui salvet vos ab omnibus inimicis vestris, imo ab omnibus malis corporalibus et spiritualibus, temporalibus et aeternis: *Salvum faciet populum suum a peccatis eorum:* restituet felicitatem perpetuam diaboli opera ob peccatum amissam.

Capite 9 agens similiter de nativitate Messiae ait: *Parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri saeculi, et pacis non erit finis super solium David et super regnum eius. Zelus Domini exercituum faciet hoc.* Sed ante haec verba, ait: *Laetabuntur coram te sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda, quando dividunt spolia.* Duplici, inquit, de causa laetari solent homines: vel ob copiam et abundantiam bonorum sicut in messe, in vindemia, cum fructus terrae uberrimos colligunt; vel ob liberationem a malis impendentibus vel praesentibus, sicut hoste superato, parta de inimicis victoria, liberati a captivitate: *Iugum enim oneris eius et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian,* quae quidem maxima fuit victoria et magno miraculo parta, cum per Gedeonem populus in libertatem assertus fuit a miserabili Madianitarum servitute, contra quos solus Gedeon cum trecentis tantum viris pugnavit eorumque potentissimum exercitum fudit copiasque innumerabiles ad nihilum redegit, sicque Hebraeorum populus liberatus fuit a gravissimo iugo durissimae servitutis.

Sed et aliam salutem commemorare videtur, quae Iudaeis incredibilem attulit laetitiam: *Quia omnis violenta praedatio cum tumultu,* hebraice *omnis bellator bellans cum tumultu, et vestimentum mixtum sanguine,* idest miles sanguinarius, *erit in combustionem et cibus ignis;* sic nanque divino miraculo exercitus Sennacherib per Angelum

coelesti igne consumptus fuit, dum civitatem Ierusalem gravissima obsidione premeret. Sic mirabilium victoriarum auctor in salutem nostram et hostium nostrorum perniciem hodie natus est nobis.

Sed quis etiam nesciat quod exaltatio et exhibitus honor magnam affert laetitiam? Iudaei incredibili gaudio affecti fuerunt videntes exaltationem Esther et Mardochaei, ex qua totius populi salus pependit, cum iniquissimus Aman omnium Iudaeorum perniciem machinatus fuisset. Sic ait: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon,* hebraice *vilis fuit terra Zabulon, et terra Nephtali; sed novissimo glorificavit viam maris trans Iordanem Galilaeae Gentium. Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, ambulantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis.* Humana natura ob peccatum primi hominis valde despecta videbatur et vilis in oculis Dei, sed tandem Deus summopere eam glorificavit, *non enim Angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit.* Sic videmus hodie reginam Esther et Mardochaeum principem exaltatos super omnes principes regnumque universum magni Assueri, Christum et Mariam exaltatos super omnes creaturas, super omnes etiam Angelorum ordines.

*Natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus,* ait hodie Angelorum princeps, cum quo *facta est... multitudo coelestis exercitus laudantium Deum et dicentium: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Exaltatio autem haec in salutem nostram facta est et in perniciem immanissimi hostis et crudelissimi inimici nostri Luciferi omniumque infernalium daemonum. Quare si tunc *Iudaeis nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium,* nil mirum si Angelus ait: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator.*

Sed quisnam et qualis est Salvator iste qui perpetuam nobis salutem aeternamque felicitatem allaturus est? *Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* Haeccine est, o Angele Dei, tantae causa laetitiae, tam ingentis gaudii? Infans pannis involutus et positus in praesepio, natus in stabulo? Hic, inquit, est *Salvator:* Moyses a matre positus in fiscella scirpea et expositus aquis; haec causa laetitiae est, infantis huius exigua parvitas, extrema paupertas, summa humilitas, tanta patientia, tam acerba malorum, incommodorum perpessio: *Zelus Domini exercituum faciet hoc; Sic... Deus dilexit mundum; Propter nimiam caritatem suam.* Hic, inquit, qui natus est, verus Deus omnipotens est: *Qui est Christus Dominus.* Non sicut Saul aut David *christus Domini,* sed *Christus Dominus,* Deus vivus et verus. Nam nonnisi Deo subiecti sunt Angeli coelestesque spiritus; cui subiecti sunt omnes Angeli, verus est Deus; huic autem infanti omnes Angeli subiecti sunt, omnes ad eum adorandum et laudandum venerunt; ergo verus est Deus: *Cum... introducit primogenitum suum in orbem terrae, dicit... Adorent eum omnes Angeli Dei.* Sic tanquam regem et Dominum suum hodie Angeli Christum natum adoraverunt divinitatem eius collaudantes: *Gloria in excelsis Deo.*

Neque enim ab habitu et indumentis rex iudicandus est, nam reges non semper purpura et aureis indumentis amicti incedunt, non semper coronam gestant in sacro capite, nec sceptrum in manu: rex Israel, mutato habitu ne agnosceretur, descendit in proelium contra regem Syriae. Cum rex venatum pergit, aliquando in silva solus pedes reperitur et vilibus pannis indutus, ita ut nullum praeseferat regiae maiestatis insigne; sic hodie Christus: *Natus est vobis... Salvator, qui est Christus Dominus,* Christus

rex Angelorum, Dominus universae creaturae. Sed tamen mutato habitu venit in mundum: *Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* En rex absque ullis insigniis regiae maiestatis, pauperrimus, humillimus, minimus, bonorum omnium egentissimus videtur. Sed quam ob causam? *Zelus Domini exercituum fecit hoc.* Zelus, amor ardentissimus, summus, in causa extitit huius novitatis, ut Deus sic parvus, humilis, pauper, despectus appareret in mundo: *Sic... Deus dilexit mundum; Deliciae meae esse cum filiis hominum.* Hinc vocatur *Emmanuel, nobiscum Deus, butyrum et mel comedens,* ut nobis totus dulcis et suavis esset instar lactis et mellis, quasi manna coeli; sicut enim manna de coelo descendit: *In illa die stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lac et per omnes rivos Iuda ibunt aquae et fons de domo Domini egredietur,* ait Ioel.

Hodie egressus est fluvius de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. Locus enim voluptatis est pectus et cor Dei, unde egreditur Christus sicut radius a sole: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius;* locus voluptatis paradisus Angelorum: *A summo coelo egressio eius,* sicut de primo ait: *Exivi a Patre et veni in mundum;* locus voluptatis et verus paradisus deliciarum est uterus Virginis, ex quo hodie egressus est nascens ad irrigandum paradisum Ecclesiae aquis coelestium gratiarum et divinarum consolationum. Hodie Deus omnes thesauros paradisi aperuit: *Qui enim proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

Sed quam vere dicere possumus hodie cum Hebraeis cum coeleste manna viderunt in terra: *Man hu, man hu? quid est hoc? quid est hoc?* Sapientissimus Salomon cum aedificasset templum illud magnificentissimum in Ierusalem, mirabatur quod Deus infinitae magnitudinis, maiestatis et gloriae veniret ad habitandum in eo: *Ergo ne putandum est quod vere Deus habitet super terram? Si enim coelum et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus ista quam aedificavi?* Iacob patriarcha miratus supra modum fuit eo quod viderit Deum supra scalam coelestem, ministrantibus Angelis. Intuebantur Cherubim divinum propitiatorium positum in terra super arcam in sancto sanctorum, quod auro totum fulgebat, mirantes divinam maiestatem cum hominibus in terra. Sed hoc miraculum est super omne miraculum: Deum verum hodie videre in stabulo, collocatum in praesepio, in infinita humilitate et paupertate, parvulum factum infantem et ubera sugentem.

Hoc autem evidens signum et argumentum est infiniti amoris Dei erga nos; sic dilexit mundum Deus! Qui invenit gratiam apud magnum principem, apud regem vel Pontificem, laetatur ac si magnum invenisset thesaurum, quoniam multa possunt principes, supra modum ditare et honorare possunt quos diligunt. Scimus quid Pharao egerit Ioseph, Nabuchodonosor Danieli, Assuerus Mardochaeo. Deus autem aeternus rex infinitae maiestatis, sic dilexit mundum. Ut rex amore capiatur pulcherrimae puellae, licet pauperrimae, adeoque eam adamet ut in uxorem ducat reginamque constituat, factum aliquando legimus, nam Assuerus id cum Esther egit hebraea; sed nondum factum legimus ut rex amoris vehementia eo devenerit ut ad pauperis puellae fortunam se demittere voluerit, ut eam sibi matrimonio copulare posset. Hic amor Dei nostri est erga nos, ut laboribus suis sponsam sibi acquireret, sicut Iacob laboribus

septem annorum veluti emit sibi in uxorem pulcherrimam Rachelem, quam summopere adamabat.

*Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum,* etc. Cum audissent sancti pastores ab Angelo felicissimum nuncium nativitatis Christi, veri Messiae, Salvatoris mundi, veluti si ingens thesaurus divinitus eis manifestatus fuisset, sic nullam interponentes moram ad eum inveniendum abierunt. Nam ingentem utique ac infinitum thesaurum totius gloriae Dei manifestavit eis Angelus nuncians eis Deum bonorum omnium fontem in terris natum.

Duo autem indicavit pastoribus Angelus, quae omnem excedunt mentis humanae captum, omnem admirationem: Deum humiliatum et hominem exaltatum; humiliatum Deum in terra infra homines, hominem autem exaltatum in coelo super Angelos: *Natus est vobis... Salvator... Christus Dominus... Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* Ostenditur nanque hodie Christus Dominus Angelorum et servus hominum, subiectus Caesari Augusto Romanorum imperatori, ipse quoque cum ceteris descriptus tanquam servus, sicut Paulus ait: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus... esse se aequalem Deo... semetipsum exinanivit formam servi accipiens;* sed tamen *Deus exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine* eius *omne genu flectatur,* etiam *coelestium.* Sic hodie, *cum introducit primogenitum suum in orbem terrae, dicit... Adorent eum omnes Angeli Dei.* Haec duo item Ioannes: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Sed prius ostendit altitudinem Verbi huius; nam ille est de quo scriptum est: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.* Quid altius? quid sublimius Deo? *Ascendet homo ad cor altum,* super omnes Angelos, supra Cherubim et Seraphim, *et exaltabitur Deus.* Infinita est altitudo Dei, scala numerorum ad eum non pervenit; quo altius ascenditur, eo sublimius elevatur. Homine autem quid humilius? Hebraice *Adam* dicitur a terra, ab humo, formatus de pulvere terrae primus homo ex quo omnes homines. Et tamen Deus hodie humiliatus infra homines cernitur servus hominum, sol per decem gradus retrogressus; lapis de monte altissimo abscissus in imam vallem, sed postea exaltatus crevit parvus lapis mundumque sua magnitudine implevit. Homo exaltatus est, ita ut ab omnibus Angelis tanquam verus Deus universorum Dominus humiliter adoretur. Natus est Christus Dominus, quem omnes Angeli adorantes, admirantes et collaudantes dicunt: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Dicere mihi videntur quod natus hodie Salvator sit ipsa Dei gloria in coelo et ipsa hominum pax in terra. Pacis autem nomine, hebraice *salom,* integritas, prosperitas, felicitas designatur, bonum omne quod desiderari potest, quae facit ut homo semper bono sit animo, nam hoc est graece *eudochia,* bona voluntas, bonus animus, animi iucunditas. Quare idem est ac pax iucundissima, notis omnibus desiderabilis et optatissima. Gloria Dei Christus est, illustrissimum opus Dei supra naturam, supra gratiam, supra gloriam, supra mundi creationem, supra Ecclesiam, supra paradisum.

*Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus.* Sanctissimus rex David deducens arcam Dei in Ierusa-

lem, incredibili laetitia affectus, coram arca totus exultans saltabat, regiae maiestatis et gravitatis oblitus, unde contemptus fuit a regina Michol filia regis Saul. Nec tantum saltabat, sed etiam canebat Dei laudes, praecipue vero *Psalmum* illum: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Cantate Domino et benedicite nomini eius; annunciate de die in diem salutare eius. Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius... Laetentur coeli et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo eius, orbis terrarum et qui habitant in eo.* Sed quaenam causa tanti gaudii, laetitiae et exultationis, o rex sanctissime? *Exultabunt,* inquit, *omnia ligna silvarum ante faciem Domini, quia venit, quoniam venit iudicare terram; iudicabit orbem terrarum in aequitate et populos in veritate sua*: proptor adventum, inquit, Domini in mundum, quem spiritu prophetico praevidebat in adventu arcae illius. Sed quisnam est iste Dominus? *Magnus Dominus et laudabilis nimis, terribilis est super omnes deos. Confessio,* idest *laus et pulcritudo in conspectu eius, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione: eius* Dominus, inquit, qui dignus est omni laude, omni honore, omni gloria ab omni creatura. Nec contentus hoc *Psalmo,* alium adhuc addidit huic similem: *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Salvavit sibi dextera eius et brachium sanctum eius. Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit gloriam suam. Recordatus est misericordiae suae et veritatis suae domui Israel. Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri. Iubilate Deo omnis terra, cantate et exultate et psallite. Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi, in tubis ductilibus et voce tubae corneae. Iubilate in conspectu regis Domini, moveatur mare et plenitudo eius, orbis terrarum et qui habitant in eo. Flumina plaudent manibus, simul montes exultabunt a conspectu Domini, quoniam venit iudicare terram.* O incredibilem laetitiam! *Cantate,* inquit, non canticum vetus quod M o y s e s cum universo populo cecinit post acceptum salutis beneficium, demerso Pharaone in mari Rubro, sed *canticum novum,* multo illustrius et gloriosius, *quia mirabilia fecit,* quia *notum fecit... salutare suum* et *revelavit gloriam suam, recordatus misericordiae suae et veritatis* promissorum suorum; unde *viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.*

Quibus locis hebraice semper est sanctissimum nomen *Iesus,* sicut et ibi: *Annunciate, evangelizate de die in diem salutare eius,* salutem eius, *Iesum eius,* quoniam Iesus non solum Salvator est, sed ipsa salus, sicut sol lux, ignis calor, mel ipsa videtur esse dulcedo; sic Christus *Salvator* dicitur et *salus,* sed salus Dei, idest salus maxima quae desiderari potest.

Sed *venit,* inquit, *iudicare terram: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras; Iudicabit pauperes populi et salvos faciet filios pauperum et humiliabit calumniatorem,* idest satanam, diabolum, antiquum serpentem, acerrimum humani generis hostem nostraeque perditionis primum auctorem.

Sed quoniam in utroque *Psalmo* Dei mirabilia canit: *Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius; Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit,* videamus, quaeso, haec mirabilia quae operatus est hodie. *Salvavit,* inquit, *sibi dextera eius et brachium sanctum eius, hosciah lo iemino;* Salvatorem instituit dextrum brachium sanctitatis suae, nam Deus sanctitas dicitur sicut rex maiestas, princeps altitudo, serenitas, sublimitas, Pontifex vero sanctitas. Quis est iste Salva-

tor qui natus est hodie? Dextera manus Dei, omnipotens brachium Dei vivi et veri. Sed etiam salvavit seipsum a morte, nam in mundum venit passibilis et mortalis. Hinc a Zacharia dicitur *zadik venoscah, iustus et salvatus:* a morte et ab inimicis suis salvatus est, sed nonnisi a seipso, cum sit dextera manus Dei, brachium omnipotentis Dei, per quod facta sunt omnia visibilia et invisibilia: *Verbum* enim *caro factum est. Verbum* autem quod *erat apud Deum et Deus erat,* ita ut omnia per ipsum facta sint. Haec sunt mirabilia, quod *Verbum caro factum est,* hinc ait: *Vocabitur nomen eius admirabilis, pele, miraculum.*

De Verbo hoc multa ostendit Ioannes: aeternitatem, quoniam *in principio erat;* nobilitatem et dignitatem Deo aequalem, quoniam *apud Deum;* naturam, quoniam *Deus erat;* omnipotentiam, quoniam per ipsum facta sunt omnia; bonitatem, quoniam *vita erat* conservans omnia; sapientiam, quoniam *lux hominum, lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum;* magnitudinem, quoniam *in mundo erat: Coelum et terram ego impleo, dicit Dominus; Coelum mihi sedes est; Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.*

Haec septem ostendit, sed nunc coniuncta cum septem oppositis. *Verbum caro factum est,* infans est modo natus: quomodo aeternus in stabulo collocatus? quomodo Deo dignitate et gloria aequalis? Corpus habet: quomodo Deus spiritus? Infans autem quid potest? quid novit? quam affert iucunditatem vel utilitatem? cuius magnitudinis est? Et tamen infans iste vivus ac verus Deus est: *Verbum caro factum est, natus est vobis... Dominus.* Hoc est quod hodie Angeli mirantur. Hinc, relicto paradiso, descendunt omnes ad spectaculum istud in stabulo, in bethlehemitico diversorio contemplandum, nam ipse est *in quem desiderant Angeli prospicere;* in paradiso nanque pulcrius et spectabilius Christo nihil est; ipse idea pulcritudinis, imo ipsamet summa pulcritudo: *Speciosus forma prae filiis hominum,* imo prae Angelis.

*Natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum,* etc. Quisnam sit Salvator iste nobis natus declarat Angelus, imo Angelorum princeps dicens: *Qui est Christus Dominus.* Super quae Angeli verba Ioannes hodie divinam quandam paraphrasim agit declarans quisnam sit iste Dominus natus, aperiens mysterium divinitatis Christi dum ait: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. In principio,* ante mundi constitutionem, ante cuiusvis rei creationem: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio; ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret.* Declarat Ioannes quidnam erat Dominus iste antequam hodie nasceretur, cum *Verbum caro factum est:* quod erat verus aeternusque Deus, unigenitus Filius Dei, in forma Dei aequalis Patri; quod rerum omnium conditor: *Hoc erat in principio apud Deum,* coaequalis Deo, *omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Nec tantum, inquit, Verbum istud caro factum creator est rerum omnium visibilium et invisibilium, sed etiam servator, sicut sol auctor diei et item servator, nam retrahente radios sole, perit dies. Hoc est quod ait: *In ipso vita erat.* Vitam appellat rerum omnium consistentiam ab ortu usque ad interitum; quare ipse est qui conservat lucem in sole, splendorem in stellis, lumen in luna, claritatem in coelo, calorem in igne, puritatem in aere, humorem in aqua, fecunditatem in terra: *In ipso vita erat,* ipse causa omnis vitae,

omnis boni in universa natura. Hominibus autem non tantum vitam dat, sed etiam intellectum, lumen cognitionis et scientiae tum naturalis tum supernaturalis, nam *erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sic erat in mundo conservans omnia sua praesentia et potentia, quia *mundus per ipsum factus est.* Sed tamen quia *mundus eum non cognovit, Verbum caro factum est,* carnem induit ut agnosceretur a nobis, quoniam: *Haec est... vita aeterna : ut cognoscant te Deum verum et quem misisti Iesum Christum.* Hoc est igitur quod ait: *Natus... est Christus Dominus,* naturalis utique Dominus rerum omnium, sicut sol veluti naturalis dominus est omnium stellarum.

Sed quaenam nobis tantae causa laetitiae? Quod natus hic *Dominus* est. Si regi Hispaniarum nascatur filius princeps et heres regni, laetantur Hispani, non Galli aut Germani, quoniam princeps natus non est eorum princeps. Sed hic natus princeps est omnium, hinc omnibus indicitur gaudium. Saepe autem in nativitate principis vel non verum est populi et regni gaudium, vel, si verum est, non est magnum; si autem magnum, non est omnium, neque enim omnes sperant magna se ab eo beneficia accepturos. Hic autem dicitur: *Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia,* inquit, *natus est vobis Salvator.*

Declarat haec Ioannes dicens quod *Verbum caro factum est et habitavit in nobis et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus... gratiam pro gratia, quoniam gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Causa, inquit, omnis infelicitatis malorumque omnium in mundo peccatum hominis extitit; nunc autem Filius Dei factus est homo, sicut primus ille homo perditor mundi; sed homo divina gloria plenus et etiam plenus gratia et sanctitate, sicut sol luce, hinc dicitur *Sol iustitiae.* Quare omnes accipere possumus de plenitudine gratiae ipsius, quoniam ipse auctor et fons est gratiae. Sic luminis sui communicatione expellens tenebras peccatorum nostrorum, beneficium salutis nobis confert: *Salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Quid autem sit Salvator, in evangelica historia declaratur, in qua ostenditur Christus caecorum illuminator, claudorum erector, leprosorum mundator, sanator infirmorum, mortuorum suscitator, daemonum expulsor, peccatorum condonator, liberator a periculis, famelicorum pastor, gratiae largitor et vitae ac felicitatis aeternae dator, humani generis perfectissimus reparator. Si vere intelligeremus, fratres, quidnam sit salus ista, iste Salvator, procul dubio cor nostrum ingenti gaudio et iubilatione exultaret. Sed ad hoc intelligendum scire opus esset quidnam peccatum sit, quid gratia, quid poena inferni, quid gloria paradisi, quid Deus ipse bonorum omnium infinitus thesaurus, nam Salvator iste vivus ac verus Deus est, aeternae vitae cum perpetua felicitate et gloria unicus ac perfectissimus largitor.

*Hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.* Ioannes in *Apocalypsi* ait magnum se vidisse miraculum in coelo: mulierem supra lunam constitutam, sole amictam, stellis coronatam, Filium Dei parientem, qui statim raptus fuit in paradisum ad Deum Patrem, super thronum ipsius collocatus. Sed cur, quaeso, non sic natus est hodie Dominus ex coelesti muliere, in coelo empyreo, inter Angelos spiritusque coelestes? Cur in terra, in stabulo, collocatus in praesepio? Cur

non natus cum gloria, sicut in transfiguratione apparuit resplendens sicut sol, sicut nunc sedet ad dexteram Dei sole multo splendidior, clarior, gloriosior imo mille solibus? Quia venit Salvator tanquam coelestis medicus ad curandas mundi totius infirmitates morbosque incurabiles: *Ipse... salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, a vitiis animi, unde oriuntur peccata. Nam vitium in mala voluntate est veluti mala arbor quae facit fructus malos, nec potest fructus bonos facere; malus thesaurus in corde, unde profertur omne malum, sicut Dominus ait: *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum.*

Scimus autem quod a medicis contraria contrariis curantur, calida frigidis, frigida calidis. Radix autem et prima omnium malorum origo superbia extitit, divinae gloriae cupiditas: *Eritis sicut dii.* Maxima igitur humilitate opus erat, ut sicut superbia mundum perdiderat, ita humilitas mundum salvaret. Venit Salvator ut ipse simul et medicus esset et salutare medicamentum. Si enim triplex est mundi infirmitas: concupiscentia carnis, idest voluptatum amor, concupiscentia oculorum, idest divitiarum cupiditas, fames insatiabilis, sitis inextinguibilis, et superbia vitae, ambitio et ardens honorum desiderium, en Christi humilitas, paupertas et acerba nimis vitae asperitas.

Oriuntur etiam peccata ex defectu caritatis erga Deum, ex defectu spei ac desiderii coelestium bonorum, ex defectu fidei et cognitionis Dei, maxime vero divinae bonitatis et immensae erga nos caritatis. Nam hinc ortum fuit originale peccatum; persuasit enim satanas Deum propterea interdixisse esum ligni scientiae hominibus ne essent Deo similes, eo quod non desideraret eorum gloriam et exaltationem, eorum perfectam felicitatem, eo quod non, ut par erat, eos diligeret. Sed ecce antidotum efficacissimum et saluberrimum contra mortiferum hoc antiqui serpentis venenum: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Si non agnoscebatur Deus quia invisibilis erat, ecce factus est visibilis homo; si terrebat hominem infinita maiestas, en eius infinita humilitas, infinita humanitas, infinita caritas: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri; Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, qui secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

Si lacrimae Ioseph fidem fecerunt apud fratres amoris et fraternae caritatis, iam placati animi, immemoris illatae iniuriae, cur non fidem faciant nobis divinae erga nos caritatis Christi Dei humanati lacrimae et passiones? Nostri enim causa in tanta venit humilitate, cum venire potuisset, sicut in fine mundi venturus expectatur, cum infinita gloria et maiestate: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo.* Hodie pati incipit ad satisfaciendum divinae iustitiae, ad solvenda debita nostrorum peccatorum. Si enim vagit Christus, si plorat, si lacrimatur in praesepio collocatus, pro nobis plorat, pro nobis lacrimatur. Si filia Pharaonis videns Moysen infantem pannis involutum et in fiscella positum mortique in flumine expositum, adeo dilexit eum ut in filium adoptaret, ea tantum ratione quod pulcher esset infans et pauper, en Deus amoris nostri cupidus talis pro nobis factus est puer, pulcher et pauper.

Venit in mundum Deus nudus, quoniam bonorum nostrorum non eget, sicut sol non eget extrinseco ornamento, nec aurum, quo cetera metalla ornantur, ornari aliquo

alio metallo potest; sed tamen propter nos. Sic venit ut esset nobis in exemplum, virgae ante oculos ovium Iacob.

## IN NATIVITATE DOMINI

*Impletum est tempus Mariae ut pareret; et peperit Filium suum primogenitum.* Diem celebramus ter quaterque sanctissimam, quae gaudium annunciavit universo mundo: *Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea.* Hinc Angelus: *Annuncio,* inquit, *vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Cum homini patrifamilias nascitur optatus filius, magna laetitia afficitur tota domus et familia. Cum natus fuit Noe, magna laetitia affectus pater ait: *Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum de terra, cui maledixit Dominus.* Cum in Bethlehem sancto viro Booz natus fuit ex Ruth sanctus Obed, avus David regis, magna laetitia perfusa fuit universa civitas; et Dominus ait quod *mulier cum pepererit filium, non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Maxime vero cum nascitur princeps primogenitus filius magni regis, totius regni naturalis heres, in universo regno ab omnibus magna signa dantur exultationis et laetitiae.

Hodie autem natus nobis est Christus unigenitus Filius Dei, iuxta quod Gabriel Angelus praedixerat Virgini: *Ecce concipies in utero et paries Filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur ; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.*

Sicut autem cum regi filius optatissimus nascitur, familia regis specialiter dat magna signa laetitiae, induuntur pretiosioribus vestimentis, canunt, exultant, ita plane, cum Angeli sint familiares et domestici servi summi regis Dei, cui hodie Filius natus est, dederunt haec signa laetitiae. Nam Angelus, qui Christi nativitatem pastoribus nunciavit, apparuit amictus claritate Dei, nam *claritas Dei circumfulsit illos.* Deinde omnes Angeli cum eo exultantes cecinerunt laudantes Deum et dicentes: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis,* idest in quibus sibi complacuit Deus.

In Sancta autem Ecclesia hodie fit veluti musicus concentus ex pluribus vocibus sibi mirifice consonantibus in laudem pueri huius nati. Nam L u c a s agit veluti bassum, dum ait quod Maria *peperit Filium suum primogenitum ;* Angelus vero altum agit, declarans quisnam sit iste Filius primogenitus: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus;* et cum Angelo etiam I s a i a s concinit: *Laetabuntur coram te sicut qui laetantur in messe, ut exultant victores, capta praeda, quando dividunt spolia... Parvulus enim natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur,* etc. P a u l u s hodie in *Epistolis* veluti tenorem agit declamando quis sit qui natus est: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri ; Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei ; Locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula. Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius, portans*

*omnia verbo virtutis suae*, etc., *tanto melior Angelis effectus quanto*, etc. Ioannes tandem agit supranum: Quis est qui natus est? *Verbum caro factum est et habitavit in nobis et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus... gratiam pro gratia.* Sed quid est istud Verbum? *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum*, etc. Quis est iste qui natus est? Angelus ait: *Salvator... Christus Dominus;* Paulus ait: *Gratia Salvatoris nostri Dei*, idest Deus Salvator noster, totus gratiosus; sic: *Benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei*, idest Deus Salvator noster, totus benignus, totus humanus. Bene *Christus*, idest rex, quia *factus est principatus super humerum eius*, quia *portat omnia verbo virtutis suae;* bene *Dominus*, quia *omnia per ipsum facta sunt, per quem fecit et saecula;* bene *Dominus*, quia *Deus, fortis*, quia *Verbum erat Deus*, quia *splendor gloriae et figura substantiae eius.*

Sed quid est *Salvator?* Dixerat Angelus Ioseph: *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* Paulus ait: *Purgationem peccatorum faciens*, quoniam *Agnus Dei* est *qui tollit peccata mundi.* Remota autem causa, removetur effectus, sicut in eclipsi lunae; causa autem omnis nostrae infelicitatis nonnisi peccatum fuit. Natus est ergo Salvator, idest *Sol iustitiae*, purgans fugansque omnes tenebras peccati.

Quid est *Salvator*? Salutem Angeli pacem interpretantur, idest felicitatem. Isaias ait quod puer iste, cum sit *Deus, fortis*, est *pater futuri saeculi*, hebraice *pater aeternitatis*, idest auctor vitae aeternae, sicut sol lucis et diei; quod est *princeps pacis*, cuius *pacis non erit finis*, idest auctor felicitatis aeternae, non quidem in terrestri paradiso, quam per peccatum Adami amisimus, sed in coelesti, quae gloria dicitur immarcescibilis, idest quae amitti non potest, sicut thesauri in coelo non consumuntur nec amitti possunt.

*Natus est vobis Salvator*, qui salvabit vos a diluvio peccati sicut Noe mundum salvavit, qui salvabit vos a fame et morte sicut Ioseph in Aegypto, qui salvabit vos a potestate diaboli sicut Moyses populum a potestate Pharaonis, qui salvabit vos ab inimicis sicut Iosue, Gedeon et Samson, qui salvabit vos a morte et Angelo percutiente sicut sanguis agni paschalis, salvabit vos a perditione sicut Iosue domum Rahab, salvabit vos ab inferno sicut Angelus Domini Loth ab incendio Pentapolis, qui introducet vos in terram promissionis sicut Iosue; *Salvator*, idest auctor omnium bonorum: *Gratiam et gloriam dabit Dominus;* qui cum sit Deus verus infinitae potentiae et bonitatis, potest et vult vos bonis omnibus ditare beareque.

## IN DIE CIRCUMCISIONIS DOMINI [1]

*Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo prius quam in utero,* etc. Princeps ille magnus populi Israel, cui sol et luna in coelo ad ipsius imperium obedivere, quoniam introducturus erat populum Dei in terram promissionis et Chananaeorum phalanges gentemque superaturus ac deleturus, voluit Deus ut *Iosue* appellaretur, qui prius *Oseas* dicebatur, ut in libro *Numerorum* legimus, capite 13: *Vocavit,* inquit, sive appellavit הושע *filium Nun* יהושע, addita littera prima, quae est prima littera nominis *tetragrammaton* ineffabilis, sicut nomini Abrahami Deus litteram addidit ה, quae similiter una est ex litteris eiusdem nominis. Et quidem Oseas interpretatur salus, quoniam salutem ac felicitatem Israeli allaturus erat. Sed quia non sine divini Numinis gratia et favore speciali, ideo addita est nomini prima littera, quae coniuncta cum illa, quae in priori nomine prima erat, ה, nomen Dei constituit, יה, quod unum est ex decem Dei nominibus, hac plane ratione, quoniam salus illa futura erat a Deo coelitus divinitusque collata.

Fuit autem Iosue in multis Christi Domini typus et figura expressa. Sicut enim Iosue a Deo electus fuit post Moysen princeps populi Dei, ita Christus post legem; ille a Deo in Iordane mirabiliter fuit exaltatus et per Iordanem introduxit populum in terram promissionis, quod Moyses praestare non potuit, ita et Christus in Iordane declaratus fuit Filius Dei et per Iordanem aperuit ianuam coeli; Iosue Chananaeos superavit et terram promissionis acquisivit, ita et Christus daemones vicit terramque viventium nobis acquisivit.

Sed specialiter ipso nomine Christum praefiguravit. Iosue nanque divina salus interpretatur, sic et Iesus: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Non interpretatur proprie salvator, nam hebraice salvator dicitur *mosciah,* sicut legimus *Deuteronomio* 28: *veen mosciah, non erit salvator; Iudicibus* 3: *Suscitavit eis moschiah, salvatorem; 1 Regum* 14: *Vivit Dominus, vivit Dominus mosciah Israel, salvator Israelis; 4 Regum* 13: *Dedit Dominus mosciah, salvatorem Israel;* sed *Iesuah* proprie dicitur salus, quasi Christus sit ipsamet salus, sicut sol lux mundi. Hoc est quod Simeon ait: *Viderunt oculi mei salutare tuum,* salutem tuam.

Salus dicitur Christus, sicut Ioannes de eo dixit quod sit lux et vita hominum;

1) Codex fol. 48-49.

Christus de seipso: *Ego sum lux mundi, Ego sum... veritas et vita, Ego sum resurrectio et vita.* Haec omnia intelligenda sunt utique secundum efficientiam, non secundum formam; sed ita loquitur Scriptura sicut de homine ingenuae et summae bonitatis et gratiae dicimus quod sit ipsa bonitas, ipsamet gratia. Sic Christus dicitur *salus,* unde ipse ait: *Quia salus ex Iudaeis est,* cum vellet dicere se esse Salvatorem mundi.

Quare divinum hoc nomen designat quod Christus sit ipsamet felicitas et beatitudo, ipsemet paradisus, fons vitae aeternae et thesaurus omnium bonorum Dei. Hinc Isaias multis nominibus divinum hoc circumscribit nomen: *Vocabitur nomen eius Emmanuel; Voca nomen eius accelera, spolia detrahe, festina praedari ; Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis, cuius pacis non erit finis.*

Haec omnia nomina virtutem huius nominis aperiunt, *quod est* nomen *super omne nomen,* Angelis, hominibus et daemonibus etiam venerandum et adorandum. Omnia nomina quae de Christo in Sacris Litteris utriusque Testamenti leguntur, non sunt nisi divini huius nominis declarationes, ad aperiendam ineffabilem ac plane infinitam ipsius virtutem. Nam sicut in radice virtute continentur omnes fructus arboris, in sole omnia coeli lumina, in auro omnium metallorum pretia, in unitate omnium numerorum species, in anima omnes vires et sensus corporis, sicut coelum supremum continet inferiora omnia corpora, sic divinum hoc nomen, *quod est super omne nomen: Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !*

In Sacris Litteris multis est epithetis ornatum. Nunc dicitur *mirabile : Quid quaeris nomen meum quod est admirabile ?* nunc *terribile : Sanctum et terribile nomen eius ;* nunc *imperscrutabile : Habens nomen quod nemo novit, nisi ipse ;* nunc *desiderabile : Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae tuae ;* nunc *magnum : Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus ;* nunc *laudabile: A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini ;* nunc *exaltatum : Laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius ;* nunc *sanctum : Fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen eius ;* nunc tandem *salvificum : Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit ; Non est aliud nomen in quo oporteat nos salvari,* nisi, etc.

*Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo,* utique Gabriele, Angelorum principe, qui Dei fortitudo interpretatur. Ad portandum enim hoc nomen, quod coelo augustius est, nonnisi fortitudo Dei requirebatur, videturque mihi Angelus divinum hoc portans nomen veluti Atlas coelum universum humeris sustinens. Magnum nomen quod a Deo est nominatum: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit ;* ab Angelo, imo principe Angelorum, Dei legato, Dei nuncio et ministro, Dei nomine manifestatum ac intimatum; a Maria regina coelorum impositum: *Vocabis nomen eius Iesum.* Magnum nomen Angelis adorandum, daemonibus tremendum, hominibus reverendum; ad cuius sonum Angeli genua flectunt, daemones contremiscunt, Deus laetatur; cuius virtute homines salvantur, orationes exaudiuntur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Magnum nomen, quod dignum est praemium laborum et meritorum Christi: *Propter quod... Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Magnum nomen gloriae Christi, titulus summi honoris, pro cuius digna consecutione et acquisitione Christus sanguinem fudit, nam propterea

in circumcisione hoc nomen accepit, sanguinis enim effusione mereri divinum hoc nomen voluit, quod nomen divinitatis est et summae gloriae: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere divinitatem et honorem et gloriam et benedictionem*, idest coli, adorari, glorificari, honorari, laudari ut verus Deus. Magnum nomen Deo acceptissimum, gratissimum instar odoris suavissimi, quoniam nomen est divinae clementiae, nomen heroicarum virtutum et victoriarum unici et dilectissimi Filii sui. Quid patri carius quam dilectissimi filii virtutes, honores, victorias, glorias audire?

Magnum nomen, Christi proprium, non metaphoricum, veluti cum appellatur *sol, lux, leo, agnus, vitis, petra*; proprium, non appellativum, sicut cum dicitur *Christus*, idest unctus tanquam rex, pontifex et propheta: *Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari;* sed proprium est, quod divinam humanamque naturam in Christo significat. Nam nomina propria ad naturas et proprietates rerum significandas apte imposita sunt, veluti definitiones rerum, rerum nanque naturas aperiunt; hinc Adam divina sapientia praeditus et summa rerum cognitione rebus nomina imposuit. Hac ratione Deus dicitur ineffabilis, quia definiri non potest, quia incomprehensibilis est.

Quoniam vero nomina sunt veluti imagines rerum in speculo et signa conceptuum qui sunt in animo, eatenus res nominamus quatenus cognoscimus; eatenus nominamus Deum quatenus cognoscimus Deum, *quem* tamen *nemo hominum vidit, sed nec videre potest.* Hinc in Divinis Litteris nunc legimus nullum esse Dei nomen. Sapientissimus Salomon ignorabat nomen Dei dicebatque: *Quod nomen eius et quod nomen filii eius, si nosti?* Moyses summus philosophus et theologus ignorabat nomen Dei et ab ipsomet Deo quaesivit proprium divinitatis nomen; cui Deus, ut insinuaret nullum se proprium habere nomen, dixit: *Ego sum qui sum, hoc nomen mihi est in aeternum*, dixitque se nec sanctissimis quidem Patriarchis nomen suum revelasse: *Habens nomen quod nemo novit, nisi ipse*, sicut Deus nonnisi a seipso comprehenditur et hanc ob causam dicitur eius nomen ineffabile.

Aliquando multa Dei nomina legimus in Scripturis, quia Deus eatenus nominatur quatenus cognoscitur. Non potest a nobis perfecte cognosci sicut est, quemadmodum ipse seipsum cognoscit; sicut autem perfecte eum cognoscere minime possumus, ita nec nominare. Quia vero de Deo multa vel per naturalem rationem et intellectum vel per fidem et revelationem in philosophia et theologia cognoscimus, sic multis nominibus divinitatem nominamus.

Inter multa autem nomina illud dicitur nobilius et excellentius quod iuxta nostrum dicendi et intelligendi modum excellentiorem in Deo proprietatem significat; sicut anima nostra multa habet nomina, multis cum sit virtutibus praedita, ipsa nanque corporis forma est, vita est, sensus est, spiritus est, ratio est, intellectus est, animus est, mens est; sed illud nobilius nomen est quod ipsius naturam altius ac nobilius exprimit. Sic dicitur hoc nomen *super omne nomen*, quia cum sit nomen vere perfectae aeternaeque salutis, nomen est infinitae Dei potentiae, sapientiae et bonitatis, nomen infinitae misericordiae, iustitiae et caritatis.

Fuit divinum hoc nomen revelatum Patriarchis: *Salutare tuum expectabo, Domine;* praenunciatum a Prophetis: *Rorate, coeli, desuper et nubes pluant iustum; aperiatur*

*terra et germinet Salvatorem et iustitia oriatur; Prope est salus mea ut veniat et iustitia mea ut reveletur:* salus et iustitia, quia *salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Fuit praedicatum ab Apostolis, cuius virtute innumera patrata fuere miracula: *In nomine meo daemonia eicient,* etc.; Isaias ait: *Propter Sion non tacebo, donec egrediatur ut splendor iustus eius et salvator eius ut lampas accendatur.* Semper iustus et Salvator. Desiderabat hoc nomen Regius Vates: *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Vox est magni desiderii: *Dic animae meae: Salus tua ego sum.* Hinc alius ille: *Exultabo in Deo Iesu meo;* et Isaias: *Ecce Deus salvator meus, Iesus meus, factus est mihi in salutem;* et Moyses in *Cantico: Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem, factus est mihi Iesus,* salvator, salus ipsa.

*Postquam completi sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus.* Circumcidi voluit hodie Dominus unigenitus Filius Dei, immaculatus agnus, thesaurus divinae puritatis, ut sanguis immaculatae circumcisionis ipsius esset nobis causa salutis, sicut fuit Hebraeis in Aegypto sanguis agni paschalis, et propterea in circumcisione vocatus est *Iesus,* Salvator, ipsa salus. Sicut efficax remedium contra perniciosum, antidotum potens contra letale venenum dici solet salus infirmi, qui illius beneficio consecutus est sanitatem: tale, dicimus, remedium fuit ipsius salus, sine illo mortuus fuisset; sic Christus Salvator, imo salus appellatur, quoniam ipsius purissimus ac sanctissimus sanguis optimum est remedium, efficacissimum ac potentissimum antidotum contra letale ac mortiferum venenum serpentis antiqui.

Et quidem quattuor ob causas specialiter circumcidi voluit Dominus: primo, ad ostendendam veritatem humanae naturae, verae carnis assumptae: *Verbum caro factum est;* secundo, ad honorandam legem; tertio, propter synagogam, et quarto, propter totius generis humani curationem et salutem.

Primo, inquam, ad manifestandam veritatem humanae naturae in Christo, ne diceret haereticus a satana seductus et obcaecatus Christum non verum fuisse hominem, non assumpsisse veram carnem. Fuit hodie circumcisio veluti lapis lydius quo probatur aurum. Christus nanque aurum [2] est optimum: *Caput eius,* inquit, idest Ecclesiae, quae corpus est Christi, *aurum optimum;* Beatissima Virgo Maria vena auri, terra illa Evilath, auri optimi ferax, quam fluvius Phison, fluvius Spiritus Sancti circumdedit. Probatum est hoc aurum hodie ad hunc lapidem, imo ad hanc fornacem divinae caritatis: *Ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur... in revelationem Iesu Christi.* Ex ardentissima nanque erga nos caritate Christus hodie habitum assumpsit formamque ac, ut ita dicam, larvam hominis peccatoris, *similitudinem carnis peccati,* sicut Iacob similitudinem Esau fratris assumpsit ad benedictionem a patre percipiendam. Circumcisio nanque remedium erat, medicina ad curandum originale peccatum, antidotum contra venenum serpentis antiqui. Sumpsit Christi caritas amaram hanc potionem, sicut nutrix ad tenerum infantem curandum a mortali infirmitate.

Secundo, ad honorandam legem, quia lex iusta et bona et mandatum sanctum.

2) Ms.: *Aurum* bis ponitur.

Data fuit lex a Deo in remedium contra peccatum; sicut ars medicinae a peritissimo protomedico ad curandum genus omne morborum, sed cuius praecepta sint gravia ac difficilia, medelae et potiones valde amarae et asperae, igne et ferro rebusque amarissimis iubet curari morbos, ita ut licet viderent homines multos esse curatos et pristinae sanitati restitutos praeceptis et remediis artis illius, tamen quoniam dulcia sunt amica naturae, multi horrebant artis illius praecepta ob nimiam severitatem. Quod advertens unicus filius summi illius medici, ipse quoque medicinae peritissimus, patri aequalis, infirmum se fingit et ad patris artem honorandam praeceptis artis illius vult curari. Expertus autem severitatem nimiamque medicaminum amaritudinem dicat patri: Pater, praecepta quidem traditae artis bona sunt, sed nimium severa et aspera; ego ipse experimento probavi. Tunc pater filio committit ut ipse sua sapientia corrigat. Sic Christus, cum antiquam legem a Patre latam facto honorasset, accepta a Patre facultate, legis severitatem mutavit in Evangelii suavitatem: *Iugum... meum suave est et onus meum leve;* sed prius servare ipse voluit gravitatem et severitatem legis illius. Sic ad divinam legem honorandam, legem servare voluit eique seipsum subicere quodammodo voluit, sicut Paulus [ait] quod Christus factus est sub lege, sed tamen *ut eos qui sub lege erant redimeret*, imo ut legem ipsam veluti in seipso sepeliret. Nam ut Paulus ait: *Finis... legis Christus*, quod veluti epitaphium est super gloriosum hoc legis antiquae sepulcrum. Legem Christus veneratus fuit ad Patris honorem tanquam optimus filius patris amantissimus et obsequentissimus.

Tertio, circumcidi voluit Christus ne eum tanquam incircumcisum respueret iudaeus, sed sicut Sichem captus Dinae amore circumcidi voluit, licet non teneretur lege; sic Christus.

Quarto tandem, ad humani generis corpus curandum, sicut aliquando fit cauterium in capite pro totius corporis salute. Infirmatus fuit homo in paradiso comedens de fructu vetito, dum in horto deliciarum ambularet pro solatio, captus pulcritudine et suavitate arboris illius. Ad curandam autem illam infirmitatem multa adhibita fuere remedia in lege naturae a Patriarchis et in lege Moysi a Prophetis, sed nihil profuit, quoadusque deventum fuit ad remedium istud; unde Paulus: *Circumcisi estis circumcisione non manu facta, in expoliatione corporis carnis vestrae, in circumcisione Christi.* Sic Christus factus est nobis causa salutis.

Sed dicere etiam possumus Christum circumcisum esse in exemplum, ut nos quoque circumcidamur in spiritu. Mulier gentilis ducenda in uxorem ab hebraeo, circumcidenda erat quodam modo. In nobis autem in primis circumcidenda est carnis concupiscentia. Perniciosiori malo in primis adhibetur remedium a peritissimis medicis, cum infirmus curandus illis est qui multis laborat languoribus et doloribus; sic Christus coelestis medicus cum mundo egit, quem totum invenit in malitia positum. Sed perniciosior morbus est carnis concupiscentia; hinc ante omnia huic morbo remedium adhibet, quoniam sciebat morbum hunc causam fuisse perditionis mundi in diluvio, perditionis Pentapolis, sceleratissimarum illarum quinque civitatum, perditionis totius fere tribus Beniamin, perditionis civitatis Sichem, sentinam et cloacam omnium ma-

lorum. Hic morbus Salomonem ad dementiam usque perduxit, Davidem naufragare fecit, ubi periisset nisi in poenitentiae tabula salvatus fuisset. Privat nos bonis omnibus sicut Ruben: *Effusus es sicut aqua... quia ascendisti cubile patris tui.* Ad hunc curandum morbum Christus hodie sanguinem fudit, ut sanguinis sui humore infernalem hunc ignem extingueret; pro huius peccati poenitentia et satisfactione acerbum hunc dolorem sustinere hodie voluit.

## IN DIE CIRCUMCISIONIS DOMINI [1]

*Postquam impleti sunt dies... ut circumcideretur puer, vocatum est*, etc. Duo praecipua mysteria habemus in hodierno Evangelio: alterum quidem circumcisionis, alterum vero impositionis nominis Iesu; unum est mysterium humilitatis Christi, alterum gloriae; humilitatis, de qua Paulus: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam*, etc.; gloriae, de qua idem: *Propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Primum mysterium declarat Christum esse verum hominem, secundum vero esse etiam verum Deum, qui *Salvator est omnium hominum.*

Abraham in die circumcisionis suae vocatus fuit divinitus hoc nomine, et simul etiam referunt Sacrae Litterae circumcisionem et nomen Isaac: *Vocavit... Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac, et circumcidit eum octavo die, sicut praeceperat Dominus.*

De circumcisione multa dicenda sunt tum quoad historiam tum quoad mysterium et tum in genere tum etiam in persona Christi, quare voluerit circumcidi, si unum praenotemus, quod semper una cum humilitate coniuncta est exaltatio. Sicut enim statim ut natus fuit Christus et positus in praesepio summa cum humilitate, statim ab Angelo summa cum gloria honoratus et a coelesti exercitu adoratus fuit, et sicut cum in baptismo Christus semetipsum humiliavit, statim eum Pater exaltavit, aperto coelo mittens Spiritum Sanctum super eum et dicens: *Hic est Filius meus dilectus*, et sicut humilitatem summam passionis statim secuta fuit summa gloria resurrectionis, ita nunc videmus humiliatum Christum circumcisione et exaltatum divini nominis impositione: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen; Quod vocatum est ab Angelo prius quam in utero conciperetur*, cum ait: *Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen eius Iesum*, dictum fuit ab Angelo Virgini. Post conceptionem autem similiter ab Angelo Ioseph ante nativitatem: *Pariet... filium et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Non solum autem praedictionem, sed etiam praefigurationem divini huius nominis in Sacris Litteris legimus. Nam quod spectat ad substantiam huius nominis,

1) Hoc fragmentum in codice fol. 64 ponitur.

Iosue, Hebraeorum post Moysen summus imperator, Iesus Iosedech summus sacerdos, Eliseus, Isaias et Oseas hoc nomine in figuram Christi sunt appellati, omnes enim a ישע, quod est salutare, appellati sunt.

Sed quoad praedictionem mirabile est. Nam saepe in Divinis Litteris vaticinia de Christo quomodo appellandus foret legimus. Apud Isaiam quidem capite 7: *Vocabitur nomen eius Emmanuel;* et capite 8: *Voca nomen eius accelera, spolia detrahe, festina praedari;* et 9 capite: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis;* et apud Ieremiam: *Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.* Et tamen nullo horum nominum appellatus est, sed *Iesus*, de quo quidem nomine ne verbum quidem, altum silentium.

Sed illa nomina naturae et substantiae sunt, hoc autem personae, virtute continens omnia illa nomina. Quid enim *Salvator* est nisi debellator satanae, spoliator inferni, mortis devictor, destructor peccati, auctor naturae, fons gratiae et largitor gloriae, idest vitae et felicitatis aeternae? Ad haec autem praestanda plane infinita opus est virtute, nec nisi divina potentia, sapientia et bonitate. Propterea ad declarandam nominis huius divinam virtutem tot opus fuit nominibus; imo omnia opera quae Christus gessit, sive miracula sint, sive beneficia vel corporalia vel spiritualia, sive in vita, sive in passione et morte, sive post suam resurrectionem, divini huius nominis virtutem declararunt et quid nomen *Iesus* significet aperuerunt.

Quod autem ad circumcisionem spectat, videndum quid praecepit Deus quoad historiam, quid significet quoad mysterium, et tandem cur Christus Dominus noster voluerit circumcidi.

## IN DIE EPIPHANIAE DOMINI[1]

*Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudae in diebus Herodis regis, ecce Magi venerunt ab oriente.* Habemus hodie primitias Gentium, prima semina Christi fidelium; fructus autem primitivi natura similes sunt reliquis et in seminibus continetur naturalis proprietas arborum fructuumque. Pastores primitiae fuerunt Iudaeorum, Magi primitiae Gentium. Designarunt pastores quod ex Iudaeis Christi fidem suscepturi erant pastores et humiles, sed qui futuri erant animarum pastores, quales fuerunt Apostoli; ex gentilibus vero multi sapientissimi et nobilissimi viri, summi principes, capita coronata, potentissimi reges, sicut hodie a Magis Christus divinos accepit honores, honestissima munera. Sicut enim cum regi natus est unicus filius, princeps et heres unicus regni, veniunt non solum ex vicinis civitatibus, sed etiam ex longinquis provinciis regi principique subiectis, nobilissimi ac illustrissimi legati ad natum principem honorandum ac munerandum, ad insinuandam animi sinceram devotionem, aliquando etiam ad praestandum fidei et obedientiae perpetuae iuramentum, sic factum est hodie.

Cum enim Deus rex universi sit, unicus imperator, absolutissimus monarcha, natus est ei filius primogenitus, unicus regni princeps, totius imperii legitimus ac naturalis heres. Habet autem Deus tria regna: regnum gloriae quod est paradisus, regnum gratiae quod est Ecclesia, regnum naturae quod est mundus. Ex regno gloriae venerunt Angeli, ex regno Ecclesiae venerunt de vicino pastores et de longinquo Magi, ex regno naturae venit stella mirabilis. Sic agnitus est Christus naturalis princeps et rex verus universi, non usurpator regni sicut Herodes, non ab hominibus electus sicut Caesar Augustus, qui tunc romanum regebat imperium, sed rex naturalis: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* Hinc David una cum nativitate Christi regnum coniunxit: *Dominus dixit ad me: Filius meus est tu, ego hodie genui te. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Sic Isaias: *Parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius.* Sic Ieremias: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum et regnabit rex.* Sic Angelus ad pastores: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Za-

1) Codex fol. 50.

charias propheta: *Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem.* Ecce gaugium magnum. Sed quam ob causam? Quia: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator. Venit: Exivi a Patre et veni in mundum.* Sed quomodo venit? *Rex: Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* Imo rex coelorum: *Vidimus enim stellam eius in oriente et venimus adorare eum,* cui tanquam regi gloriae et paradisi obtulerunt aurum, tanquam principi et hierarchae Ecclesiae obtulerunt incensum summo sacerdoti et pontifici, tanquam naturae Domino obtulerunt myrrham, quae corpora a corruptione praeservat atque integra et incorrupta conservat: *Invenerunt puerum... et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.*

Cum rex David constituere voluit Salomonem filium suum regem super Israel, tres viros vocavit: Sadoch sacerdotem, Nathan prophetam et Banaiam filium Ioiadae, iussitque ut Salomonem regem ungerent adorarentque, quos universus postea populus imitatus fuit. Christus est verus Salomon filius David: *Dabit illi Dominus... regnum David patris sui et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.* Vocavit David tres illos viros nobilissimos et illustrissimos, sic Deus hodie. Nam tres fuisse Magos testatur Leo Papa sermone 5 *De Epiphania* et Divus Augustinus sermone 1 de eadem solemnitate, multique Sanctorum Patrum testantur hos Magos reges fuisse, vel saltem illustrissimos principes ac sapientissimos viros. Sic declaratur hodie Christus *Rex regum et Dominus dominantium, princeps regum terrae.* Cupiebat synagoga principem ac rectorem habere regem, hinc Samueli dixit: *Da nobis regem.* En dat Deus rectorem Ecclesiae principem nobilissimum, adoratum a regibus, regem mirabilem sicut Salomon admirationi erat cunctis regibus, qui Ierosolymam veniebant ad videndum eum eumque munerandum, sicut fecit regina Saba.

Sed quoniam, uti diximus, Magi hi prima fuerunt semina fidelium Christi, quae hodie iacta in terram – *Procidentes adoraverunt eum,* – in magnam segetem excreverunt – *Messis quidem multa,* – videamus in eis quales nos esse oporteat, cum sint ipsi formae archetypae ac, ut ita dicam, prima exemplaria Christianorum. Erant hi Magi, idest sapientes, naturales philosophi, coeli contemplatores et rerum terrenarum contemptores. Peregrinationem sanctam susceperunt, nam: *Venimus,* inquiunt, *adorare eum:* non videre eum, sed *adorare eum.* Responderunt divinae vocationi, obedivere internis inspirationibus, ductum coelestis stellae secuti fuerunt.

Venerunt ab oriente, ubi commissum fuit primum peccatum ad suggestionem satanae, ubi effusus primo fuit sanguis humanus in terram, ubi luxuria ad summum excrevit, quae fuit causa diluvii, ubi primo tyrannis orta fuit per Nembrod, ubi turris superbiae fuit aedificata. Sic discedendum est ab omni iniquitate; nam templum Dei, quod Christi figura erat – *Solvite templum hoc,* – respiciebat ad orientem, quoniam tunc Deus puniendam iniquitatem respiciebat; nam ad hoc venit Christus; nunc autem templa ad occidentem respiciunt, quoniam proiecit Deus post tergum peccata nostra. Et nos igitur vertamus terga iniquitati.

Venerunt Ierosolymam, in sanctam civitatem, ubi erat templum Dei, sed nonnisi Christum quaerebant: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus enim,* etc. O felices qui sic Christum quaerunt! Nam ad stellae ductum *intrantes domum invenerunt puerum... et procidentes adoraverunt eum,* sicut faciunt Angeli in coelo, sicut viginti quattuor se-

niores, *et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera.* Haec pietas est verorum Christi fidelium, offerre Christo omnia: aurum, temporalia bona; thus, odoratum bonum, etiam nomen et famam propter Christum contemnere, et tandem vitam ipsam, sicut innumeri Martyres fecerunt: omnia bona sua Christo obtulerunt. Quod si aliud nobis non est, offeramus Christo aurum amoris et caritatis, incensum odoratissimum orationis et devotionis, myrrham poenitentiae et mortificationis. Nam ex auro thus et myrrha pendent, ex amore et caritate in Deum pia et devota oratio carnisque mortificatio ac crucifixio cum vitiis et concupiscentiis suis. Nam cum in Iordane descendisset Spiritus Sanctus super Christum, expulit eum in desertum, ubi ieiunavit et oravit, sicut ait: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Qui autem spiritum Christi habet – nam: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis; Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra,* – hic spiritus ducet, aget nos in desertum: *Qui spiritu Dei aguntur,* sicut navis in mari secundo navigans vento, *hi sunt filii Dei; Si... spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Sic stella, coelestis spiritus afflatus et inspiratio, Magos ducit ad Christum adorandum et sacris homagiis munerandum.

Chrysostomus homilia 24 in *1 ad Corinthios* docet sic adorandum nobis esse Christum in altari sicut adoratus fuit a Magis in praesepio in ulnis Virginis, hic autem in manu sacerdotis, agens de vera atque reali summi regis Christi praesentia in Divinissimo altaris Sacramento. Habemus igitur quem cum Magis procidentes in sacram Ecclesiae domum ingressi pie et humiliter adoremus.

Habemus in hodierno Evangelio exaltationem humilitatis Christi: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum.* Humiliavit se Christus nascens in praesepio, exaltatus fuit adoratus ab Angelis; humiliavit se volens circumcidi quasi [2] homo peccator, exaltatus fuit a Deo adoratus a Magis sapientissimis regibus. Sic *qui se humiliat exaltabitur.* Humilis Ioseph vidit in somnis se adoratum a sole et luna et stellis undecim in signum futurae ipsius gloriae; sic et Christus, nam hodierna adoratio specimen quoddam fuit futurae gloriae et exaltationis Christi: *Adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.*

Hodie Christo desponsata Ecclesia est: *Simile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Abraham patriarcha volens filium suum matrimonio copulare, misit Eliezer servum suum, oeconomum domus suae, in longinquas regiones ad quaerendam sponsam filio suo. Abiit autem ille, quaesivit, invenit ornatamque ad Isaac adduxit pulcherrimam Rebeccam. [3] Sic Deus ut unigenito Filio suo sponsam quaereret, in longinquis regionibus orientis misit coelestem stellam, imo in ea Angelum principem paradisi, imo Spiritum Sanctum. Ecce sponsa, Sancta Ecclesia, fidelium multitudo, quae ornata venit ad Christum sicut Rebecca ad Isaac.

Mirum tamen est quomodo Deus vix nato Christo desponsat ei Ecclesiam; vix natum matrimonio iungit, quod principes minime agere consueverunt. Sed non est Deus sicut mundi principes, nec Filius eius sicut filii principum; Christus enim natus est homo perfectus, sicut Adam formatus a Deo fuit, quem Deus vix formatum cum

2) Ms.: *Qui* loco: *Quasi.* 3) Ms.: *Rachelem.*

Eva matrimonio copulavit: *Novum creavit Dominus super terram: femina circumdabit virum.* Natus fuit Christus sponsus: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius.* Et quidem si principes certi essent de futuris eventibus, possent filios in aetate tenera maritare, ut amor inter coniuges multo esset solidior multoque firmioribus radicibus, ut simul ab infantia enutriti sese diligerent, non solum sicut sponsus et sponsa, sed etiam sicut frater et soror. Deus autem certissimus cum sit de futuris eventibus sicut de praesentibus, Filium suum puerum voluit Ecclesiae desponsare, ut Ecclesia non tantum sponsa, sed etiam soror Christi esset.

Sed ubi sunt sponsi et sponsae ornamenta? Sponsa quidem ornata venit, sicut Rebecca, auro, myrrha et thure, plena ornamentis et odoramentis; sponsus autem sine ullis ornamentis videtur, sed quoniam seipso ornatissimus est: *Speciosus forma prae filiis hominum,* quoniam sicut sol, qui sponsus naturae est, nullo alio indiget ornamento, seipso pulcherrimus est, idea pulcritudinis est, sedes amoris. Sed si extrinsecus quaeritur ornamentum, quodnam maius aut divinius ornamentum Maria? Ipsa templum divinitatis, palatium summi regis, palatium simul et thronus Salomonis: *Intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius,* invenerunt thesauros paradisi, thesauros gloriae Dei. Sit igitur, fratres, anima nostra Christi sponsa, cum virtutum ornamentis ornet se, ut placeat oculis Christi, sicut Esther ornavit se, etc.

## IN EPIPHANIA DOMINI [1]

*Ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est?* etc. Magna plane est hodierna solemnitas, magna etiam hodierni Evangelii sacramenta tum quoad historiam tum quoad mysteria. Quoad historiam, veniunt ab oriente Magi ad Christum adorandum et munerandum, sicut venit regina Austri Ierosolymam ad Salomonem honorandum simul et munerandum, nam attulit ei munera pretiosissima et regia maiestate digna.

Quoniam autem festum est honoris et gloriae Christi, hodie enim manifestatur gloria Christi et humilitas eius divinitus exaltatur, videndum est quis adoratur, a quibus et quomodo ac tandem quis fructus adorationis huius. Adoratur ille qui in praesepio adoratus fuit a pastoribus, adoratus ab Angelis; ille cui astra deserviunt, quem praedixere Prophetae: *Et tu, Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel, et egressus eius a diebus aeternitatis.* Adoratur qui natus est rex Iudaeorum, non electus, non factus, sed natus rex, et ille rex Iudaeorum, ille tantopere expectatus in Divinisque Litteris tantopere celebratus et decantatus: *Suscitabo David germen iustum et regnabit rex et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra... et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.*

1) Hoc fragmentum in codice ponitur ultimo folio 65.

## FERIA SECUNDA POST PASCHA [1]

...quietis cum Patre et igne Patris et Filii haec omnia in unica illa Sacrarum Scripturarum prima dictione quam Christus de seipso fuit interpretatus: *Ego principium. O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius !* In Scripturis Sacris plane verum in hoc principio est dictum illud sapientum, quod principia sunt minima quantitate et maxima virtute; continet nanque principium istud omnem Sacrarum Scripturarum virtutem. Haec enim sunt quae Scripturae omnes de Christo testificantur.

Primo nanque hic videmus duas Christi naturas, divinam et humanam in una persona Filii Dei, cum ait Filium Dei in carne venturum. Hoc est quod Scripturae demonstrant in omnibus visionibus sanctorum Patriarcharum et Prophetarum; non enim apparebat illis Deus in propria essentia, quia sic *Deum nemo vidit unquam,* sed in forma humana, sicut Ezechiel ait: *chemareh adam, sicut visio hominis.* Quaecunque autem Scripturae dicunt de natura divina, virtutibus et operationibus, omnia dicunt de Christo, quia verus Deus; omnia item quae de iustis et sanctis hominibus, Patriarchis, Prophetis et regibus, de illorum iustitia, sanctitate, sapientia et fortitudine, omnia de Christo Filio Dei, qui futurus erat homo sanctissimus super omnes homines, vere Sanctus Sanctorum.

Quicquid Scripturae dicunt de mundi creatione, omnia dicunt de Christo, quia ipse est principium creationis magni hominis quantum ad divinam naturam, in genere causae exemplaris, efficientis et finalis: *Quod factum est, in ipso vita erat, omnia per ipsum facta sunt ; Quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula ;* quoad humanam vero, quia *ipse est primogenitus omnis creaturae,* et in eo omnis creata perfectio continetur in omni statu naturae, gratiae et gloriae. Ita Paulus ait: *Anachephaleosaste ta panta en to Christo, ta en tis uranis che ta epi tis ghis panta en auto : Instaurare,* sive et melius ac significantius, uti in graeco, *compendio colligere omnia in ipso sive quae in coelis sive quae in terris.*

Quicquid item Scripturae de Ecclesia Dei, sive militanti in terris sive triumphanti in coelis, omnia de Christo, quia ipse est creator thalami desiderii, creator et sponsus utriusque Ecclesiae, utriusque paradisi. [2] Hoc aperit Sacrarum Scripturarum myste-

1) Quae sequuntur fragmenta sunt Feriae Secundae post Pascha, quae in codice fol. 17-19 sine ulla inscriptione inveniuntur. 2) Ms.: *Paradisus.*

ria: paradisi[3] terrestris, tabernaculi Moysi, templi Salomonis, templi et civitatis Ezechielis et Ioannis in *Apocalypsi*.

Item, sicut Christus *finis* est *legis ad iustitiam omni credenti*, ita et fundamentum est, quia universa lex divinae innititur auctoritati, quia Deus legis dator fuit. Dabat autem Deus legem Moysi facie ad faciem cum eo loquens, ergo in humana figura Moysi apparebat, ergo Christus legem dabat. Item, quia si Christus non futurus fuisset, Deus non creasset mundum, hinc Sapiens ait: *zadik iesod holam: Iustus fundamentum mundi*, ita nec legem dedisset; ideo semini Abrahae dedit legem, quia ex illo nasciturus erat Christus. Ipse item Christus magister et auctor divinissimae legis evangelicae fuit.

Haec autem Christo secundum divinam naturam praecipue conveniunt: esse Filium Dei unigenitum, creatorem mundi, aedificatorem utriusque Ecclesiae, fundamentum legis et auctorem Evangelii; secundum humanitatem vero cetera Christo conveniunt: pauper forma,[4] hoc est quod Apostolus ait: *Cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit formam servi accipiens;* carne purus, quia de Spiritu Sancto conceptus; inimicus fetoris sive peccati, quia *Agnus Dei... qui tollit peccata mundi*, uti sol tenebras, ideo *Sol iustitiae;* princeps fortis et rectus, hoc est quod Isaias de eo ait: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis;* caput domus beatitudinis, hoc est quod Paulus: *Quem constituit caput super omnem Ecclesiam et super omnem principatum et potestatem*, hinc dictus est in Scripturis *Rex gloriae*.

Fuit tamen semper Christus etiam in mundo hoc una cum Patre et Spiritu Sancto, qui procedit a Patre et Filio, quia indivisus est Deus. Sic Christus hodie *incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant*, quod *oportuit pati Christum et resurgere a mortuis et ita intrare in gloriam suam.* Haec luce clarius continentur in principii nostri mysteriis: *Oportuit Christum pati et resurgere a mortuis et ita intrare in gloriam suam.* Christus significat personam divinam in duabus naturis existentem, et ecce filium ponam in carne, Filius Dei, Verbum Dei; filium ponam in carne: *Verbum caro factum est:* ecce persona Christi. Hunc Christum quia oportuit pati, ideo venit pauper forma, nam si regem gloriae cognovissent, inquit Paulus, *nunquam crucifixissent*, hoc est si Christus in forma gloriae venisset, sicut nunc regnat in coelo et veniet ad iudicandum. Sed quare *oportuit pati ?* Quia mundus carne et inimicus peccati. Duae sunt hae rationes passionis Christi. Altera quia Deus voluit Christum inimicum peccati pati ad destruendum peccatum, *sine sanguinis* autem *effusione non fit remissio;* sed Deus non immunda animalia, sed munda volebat sibi offerri sacrificia pro peccato; solus autem Christus mundus carne, de Spiritu Sancto conceptus, hinc Abrahae praecepit ut innocentem Isaac in holocaustum offerret. Altera ratio est ob quam impii Iudaei voluerunt Christum occidere, quia inimicus peccati; inter inimicos vero semper est bellum et certationis conflictus; diabolus autem, mundus et caro servi peccati pugnant pro peccato, hinc omnes iusti amici Dei et ini-

3) Ms.: *Paradisus.*

4) Ex interpretatione cabalistica vocis: בראשית, iam allata in *Quadrag. Secundo*, part. 1, pag. 504.

mici peccati multas passi sunt persecutiones, passiones et mortes. Quia vero Christus inimicus peccati pugnabat contra diabolum et mundum ad destruendum peccatum, hinc Christus a diabolo, veluti Iob, et a mundanis Iudaeis, veluti Abel a Cain et Ioseph a fratribus, persecutiones mortales passus fuit semper. Sic *oportuit pati Christum*, quia mundus carne et inimicus peccati, *et ita intrare in gloriam suam*. Sic Christus in resurrectione creatus est princeps fortis et caput beatitudinis, hoc est Rex gloriae.

Divinus Moyses cum tabulis legis refactis veniens ad populum velo operuit faciem suam, quae tanquam luna plena resplendebat sicque operta [5] facie divinam legem populo Dei declaravit, siquidem *Deuteronomium* legis paraphrastica quaedam declaratio est. Sic Christus hodie post resurrectionem suam rediens ad nos cum carne sua, cui descriptum fuit divinum Verbum digito Dei, sicut lex divina in tabulis illis, per redivivam resurrectionem reintegrata, cooperuit faciem suam, quae sicut sol splendebat, velo peregrini aspectus, sicque in forma peregrini apparens duobus istis discipulis divinam legem illis declaravit: *Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant.*

Ubi videre mihi videor cum divino vati Ezechieli divinitus *aperti sunt coeli et vidit visiones Dei.* Hic enim Christus Deus est, Divinae Scripturae sunt coeli, de quibus R e g i u s V a t e s ait: *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annunciat firmamentum;* postmodum enim parabolam suam declarans ait: *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis... praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

Discipuli hi sancti sunt sicut Ezechiel, mysteria quae his Christus ostendit visiones sunt Dei. Vidit ibi Ezechiel supra coelum Deum in humana forma, in specie quasi ignis, et infra firmamentum animal quadriforme cum quattuor rotis, unumquodque enim animal iuxta se rotam habebat; quod quidem significat quod Christus futurus erat Deus et homo, et homo perfectus in omnibus quattuor statibus naturae humanae: innocentiae, gratiae, poenitentiae et gloriae. Haec omnia mysteria declarabat hodie his discipulis Dominus: quod Christus non tantum futurus erat homo innocens ut Adam, leo fortis ut David rex Israel, aquila volans ut Elias qui in coelum evolavit raptus in igneo curru, sed etiam vitulus Deo in sacrificium immolatus ut Isaac.

*In margine.*

Quattuor capita significant quattuor principalia Christi mysteria: nativitatem, passionem, resurrectionem et ascensionem in coelum, sicut et S a l o m o n ait: *Tria mihi difficilia sunt*, etc.

*Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* Ascendit Christus in coelum tanquam aquila, sed faciem aquilae praecedebat facies leonis et vituli, leonis in resur-

5) Ms.: *Opera* loco: *Operta.*

rectione et vituli in passione. Hinc facies leonis erat a dextris, facies autem vituli a sinistris; dextera autem et sinistra gloriam et poenam significant: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* Sic gens hebraea, populus electus prius multa passus est in deserto, postea ingressus est in terram promissionis; sic summus sacerdos prius offerebat sacrificium, postea ingrediebatur in sancta sanctorum; sic David prius multas persecutiones passus est, deinde coronatus fuit rex Israel; prius cum gigante in certamen descendit et post victoriam cum gloria et triumpho susceptus in Ierusalem fuit; Ioseph prius a fratribus venditus et multa passus, deinde in gloriam regni assumptus fuit; prius Moyses et Aaron mortui sunt, deinde Iosue in terram promissionis ingressus est; Moyses prius tabulas confregit, deinde gloria vultus donatus est.

Videre etiam mihi videor agnum illum tanquam occisum, quem Divus Ioannes in throno Dei in medio vigintiquattuor seniorum et quattuor animalium vidit habentem oculos septem et cornua septem, qui de dextera sedentis super thronum accepit librum signatum septem sigillis, quem nulla creatura potuit aperire, solutisque sigillis facillime aperuit. Sunt autem septem de quibus praecipue loquuntur Divinae Scripturae difficillima intellectu: essentia divina, persona Christi, dignitas naturae humanae, culpa peccati, poena inferni, gratia Spiritus Sancti et gloria paradisi. Siquidem Divina Scriptura est liber iste signatus, ait enim Isaias: *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras dicent: Lege istum, et respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras diceturque ei: Lege, et respondebit: Nescio litteras.* Liber signatus est Divina Scriptura, sic enim Angelus Danieli ait: *Tu autem, Daniel, claude sermones et signa librum usque ad tempus statutum.* Liber signatus ob mysteriorum difficultatem; eunuchus enim Candacis reginae Aethiopum legebat Isaiam prophetam, sed non intelligebat. Est enim Divina Scriptura ad instar scripturae illius divinitus factae in aula regis Babylonis, quam nullus sapiens Chaldaeorum potuit interpretari, nisi Daniel Spiritu Sancto plenus.

Loquitur autem de his septem Divina Scriptura semper sub variis hieroglyphicis obscurisque mysteriis: de primo in figura trium Angelorum qui Abrahae apparuerunt, in figura trium Patriarcharum, in figura Dei in medio duorum seraphim; de secundo in figura Dei multoties visi in humana forma, in figura Isaac, in figura Salomonis, in figura arcae et summi sacerdotis; de tertio in figura imaginis et similitudinis divinae; de quarto, quam Deo peccatum displiceat, in figura diluvii; de quinto in figura incendii Pentapolis; de sexto, quam Deo placeat virtus, in figura Noe et electione sanctorum Patriarcharum; de septimo in figura terrae promissionis. Sed intelligere in Scripturis Divinis qualis quantaque sit Dei caritas, scientia et iustitia, personae Christi potentia, sapientia et bonitas, naturae humanae dignitas, quam Deo displiceant vitia et peccata, quam placeant virtutes et gratia, quibus poenis peccata puniat, quibus praemiis virtutes remuneret, nisi quis aspiciat in Christum crucifixum et resuscitatum, intelligere nunquam valebit. Hinc ait: *Oportuit pati Christum et resurgere a mortuis et ita intrare in gloriam suam.* Revelat hodie Christus sanctum sanctorum, quod semper velatum manebat. Christus est utique Sanctus Sanctorum sub velamine figurarum Legis et Prophetarum absconditus, ipse est Moyses velatus, qui hodie velamen a facie sua aufert vultumque suum ostendit sole splendidiorem.

*Aliud fragmentum.*

Sicut apparuere Abrahae tres Angeli in specie trium virorum, Gedeoni Angelus in humana specie, Manue item Angelus in hominis forma, et sicut Deus ipse saepe visus est sanctis Patriarchis atque Prophetis humana forma specieque indutus, ita hodie Christus duobus hisce discipulis sub specie hominis peregrini apparet.

*Aliud fragmentum.*

Sanctus Ioseph a carcere eductus factusque gloriosus princeps totius Aegypti, statim oblitus est omnium laborum anteactae vitae, hinc primogenito filio nomen posuit Manasses dicens: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum et domus patris mei.* Sic et Christus hodie oblitus videtur omnium passionum suarum post resurrectionem suam, hinc adiungens se hodie his discipulis et dicens: *Qui sunt hi sermones ?* etc., illique dixissent: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem et non cognovisti quae facta sunt in ea his diebus ? ipse vero quasi omnium oblitus ait: Quae? De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens,* etc.; oblitus videtur Dominus passionis, crucifixionis et mortis, ac si haec somnia quaedam fuissent, quorum non recordatur homo a somno evigilans, sicut non recordabatur Nabuchodonosor somnii statuae quam viderat et homo esuriens post splendidas epulas non recordatur amplius perpessae famis et sitiens optimo inebriatus vino non recordatur sitis. Ita profecto beatus quisque ingressus in gloriam Dei non recordatur amplius passionum et laborum praesentis vitae.

# INDEX
# SYNTHETICO-ANALYTICUS

# INDEX SYNTHETICO-ANALYTICUS

## ADVENTUS PRIMUS


### DOMINICA PRIMA

I. Agitur in hodierno Evangelio de fine mundi. — II. Aristoteles negat hanc veritatem, quia ratio humana non capit mundi ortum nec interitum. — III. Deus mundum destruet ad ostensionem iustitiae suae, iterum aedificabit ad gloriam electorum. — IV. Deus mundum destruet in vindictam peccati, sed magnificentius illum renovabit. — V. Christus signa denunciat finem mundi praecurrentia ut homines convertantur. — VI. Terribilis admodum erit aspectus iudicis, Christus enim mittetur a Patre ad puniendum peccatum. — VII. Sicut Christus misericordissimus apparuit in primo adventu, ita in secundo severissimus apparebit. — VIII. Soli iusti diem illum possunt cum exultatione expectare. Pie ergo vivamus . . . . . . . . . Pag. 1-14

### DOMINICA SECUNDA

I. Ioannes mittit discipulos ad Christum. Adimpletur hodie vaticinium Malachiae. — II. Ex admiratione loqui videtur Ioannes, quia tot visis Christi miraculis, homines in eum non credebant. — III. Legatio Ioannis veluti petitio videtur ut Christus seipsum mundo manifestaret. — IV. Hac legatione alludit etiam ad multa mysteria et vaticinia de Christo Salvatore a Patriarchis et Prophetis expectato. — V. Consonanter Christus respondet ostendens se omnium bonorum largitorem esse. — VI. Ostenditur hodie divina Christi scientia et Ioannis sapientia, humilitas et zelus ut Christus agnosceretur. — VII. Christus vere est desiderium omnium hominum . . . . . Pag. 15-24

### II. Alia homilia

I. Ioannes proponitur hodie perfectum exemplar hominis christiani poenitentia et sanctitate. — II. In sua responsione Christus se ostendit spiritu Dei plenum. — III. Simulat Ioannes ignorantiam, ut Christus verus Messias agnosceretur. — IV. Multi sunt mali principes Herodi similes. — V. Sua responsione exaltat Christus Ioannis inconcussam virtutem. Ioannes terminus fuit inter Vetus et Novum Testamentum . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 25-29

### DOMINICA TERTIA

I. Ostenditur hodie infinita Christi excellentia. — II. Magnus videbatur Ioannes, sed Christo comparatus nihil erat, quod Ioannes bene noverat. — III. Omnes creaturae mancipia vilissima sunt Deo compositae. Hoc testatur Ioannes declarans se indignum Christi servum esse. — IV. Difficile admodum est noscere seipsum et Deum cognoscere, ideo mundus magis quam Deus aestimatur. —

V. Praedixit Isaias humilem Christi adventum, sed simul declarat infinitam eius magnitudinem, potentiam et sapientiam. — VI. Ioannes exemplar est verae humilitatis, quam Deus semper exaltat . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 30-38

II. Alia homilia

I. Nihili pendit Ioannes maximum honorem sibi exhibitum, quia ab humanis affectibus longe distabat. — II. A Iudaeis tentatus Ioannes maximo studio removere conatur opinionem ne ipse putaretur Messias. — III. *Tu quis es?* Hac eadem interrogatione quisque in districto examine divini iudicii adorietur. — IV. Via coeli arcta valde et difficillima est. — V. Sua responsione ostendit Ioannes maximam humilitatem et ardentissimum animi desiderium Christo serviendi. — VI. Christus est ante omnia et omnia in ipso constant . . . . . . . . Pag. 39-44

DOMINICA QUARTA

I. Duo proponuntur in hodierno Evangelio: magnus praedicator, Ioannes, et magna eius concio. — II. Magnus Ioannes testimonio Dei et Prophetarum, generis nobilitate et vitae sanctitate, praedicat populo gloriam Dei humanati, — III. voce potentissima et terrifica. — IV. Spiritu Sancto plenus et divina sapientia donatus praedicat Dei adventum et gloriam regni coelestis, — V. vere dignus legatus pro tanta legatione. — VI. Praedicat causam et finem adventus Filii Dei, — VII. poenitentiam et aeternam salutem . . . . . . . . . . . . . . Pag. 45-52

II. Alia homilia

I. Missus fuit Ioannes ad parandam viam Domini poenitentia et spe regni coelestis. — II. Vera poenitentia est omnia vitia radicitus in animo destruere et virtutes plantare. — III. Vera poenitentia mentem abstrahit a terrenis cogitationibus eamque in Deum dirigit . . . . Pag. 53-57

DOMINICA SEPTUAGESIMAE

I. Ostendit hodie Christus gloriam regni coelestis et viam qua ad illam pervenitur. — II. Bona opera ex fide et caritate necessaria sunt ad salutem. — III. Dei servum otium maxime dedecet. — IV. Parabola hodierna multa mysteria continet de Deo, de paradiso, de Ecclesia, de mundo. — V. Deus in creatione nihil voluit otiosum esse; debet ergo homo quoque pro anima sua instanter operari, quia fides sine operibus non sufficit ad salutem . . . . . . . . Pag. 58-65

II. Alia homilia

I. Quinque mysteria docet hodiernum Evangelium. — II. Ostenduntur effectus divinae praedestinationis, idest vocatio, iustificatio et glorificatio. — III. Vinea haec fidem et gratiam in anima significat, cultura vineae sanctam vitam, merces vero aeternam felicitatem. — IV. Declinandum est a malo et bonum faciendum cum magno spiritus fervore. — V. Gravis est carni labor iste, sed spes praemii incitare debet. — VI. Primo laborandum est in vinea animae nostrae, ut postea aeterna gloria perfruamur. — VII. Radix meriti est bona voluntas, Deus enim magis cor respicit quam opus. — VIII. Ostenditur in hac parabola magnum Dei desiderium virtutis nostrae. — IX. Proponuntur hodie in praemium virtutis utilitas et honor. Deus maxime otium abominatur. — X. Otium omnium vitiorum fomentum est; studendum ergo est bonis operibus. — XI. Satanas etiam operarios invitat ad vineam suam, — XII. et multos magnis promissionibus pertrahit; sed mendax est felicitas quam promittit. — XIII. Cultura vineae Dei significat exercitium virtutis, cui praemium promittitur etiam in praesenti . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 65-80

III. Alia homilia.

I. Vinea haec fidem significat, quam homo excolere debet. — II. Deus vult ut homines operentur declinando a malo et bonum faciendo. — III. Vitia extinguenda sunt et virtutes plantandae. — IV. Vita christiana consistit in maxima vitae puritate. — V. Cultura haec hodie maxime desideratur, desunt enim opera bona, quae necessaria sunt ad salutem . . . . . . Pag. 81-88

DOMINICA SEXAGESIMAE

I. Sub hac parabola abscondit Christus sapientiam suam. — II. Declarat autem virtutem divini verbi, quod potentia, sapientia, bonitate et fecunditate virtutum Dei quaedam similitudo est, sicut significatur a Regio Vate. — III. Et tamen divinum hoc semen fructus multos non producit, quia vel non auditur, vel male auditur verbum Dei. — IV. Verbum Dei semen est in corde hominis seminatum; fructum dabit, dummodo cor sit bene dispositum. — V. Deus etiam in hoc mundo virtutem praemiat . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 89-99

II. Alia homilia

I. Deus nequit esse causa malorum, sed aliquos excaecare dicitur quia permittit eos excaecari. — II. Etiam satanas semen suum seminat. Ad salutem consequendam bona opera requiruntur. — III. Terra bona significat cor bonum audiens et retinens verbum Dei . . . . . . Pag. 99-104

III. Alia homilia

I. Continetur in hac parabola sacramentum salutis humanae. — II. Tres sunt status fidelium in Ecclesia designati per fructum trigesimum, sexagesimum et centesimum. — III. Dividit Dominus agrum in duas partes: bonam et malam, ad designandos electos et reprobos. — IV. Semen fidem designat praedicatam, ager autem cor hominis conservans hoc semen ut fructificet. — V. Ab effectibus ostendit Dominus divinam verbi Dei virtutem in triplici statu Ecclesiae . . . Pag. 104-113

DOMINICA QUINQUAGESIMAE

I. Hodiernum Evangelium duplex mysterium proponit: passionis et resurrectionis Christi. — II. In coelo duplex erit felicitas: corporis et animae. — III. Gloria coelestis est perfectio absolutissima animae quoad omnes potentias et corporis quoad omnes sensus. — IV. Via quae ducit ad hanc gloriam caritas est, quae importat poenitentiam et observantiam divinae legis. — V. Pro hac gloria Christus vitam suam prodegit et passiones omnes libentissime sustinuit . . . . Pag. 114-124

II. Alia homilia

I. Caecitas figurat ignorantiam Dei et divinorum. — II. Duplex est caecitas spiritualis: cordis defectu caritatis et mentis cupiditate carnali. Caecus illuminatus designat animam fidei lumine illustratam. — III. Nos ipsos inspicere debemus in quonam statu huius caeci inveniamur. Soli caritate praediti salvabuntur. — IV. Iericho mundum figurat quatenus mundus Dei provedentiam declarat. Pag. 124-129

III. Alia homilia

I. Iericho mundum figurat, Ierusalem paradisum. — II. Via ad coelum caritas est et patientia in tribulationibus. — III. Ad hanc viam currendam requiritur animus fervens, bonitatis amantissimus et quae sunt mundi contemnens. — IV. Mundana felicitas vana et fallax est. — V. Mundus in maligno positus est, ideo anathematizatus a Deo. — VI. Maxima est mundi paupertas, misera eius felicitas,

fugacissima eius gloria. — VII. Quo magis animus mundo adhaeret, eo magis a Deo elongatur. — VIII. Mundana felicitas multorum est causa malorum. — IX. In coelo quaerenda sunt vera bona quae cor humanum perfecte satisfacere possunt. — X. Luna figura Ecclesiae et synagogae, figura etiam vanitatis bonorum mundi; sol hieroglyphicum Dei, qui fons est omnis bonitatis. — XI. Exemplo suo Christus nos movet ad temporalium contemptum et ad aeternorum bonorum desiderium. Ad hoc cogitatio mortis etiam animum movet. — XII. Duplex est terminus peregrinationis nostrae: Ierusalem, cuius via est caritas, vel Babylon, cuius via est cupiditas . Pag. 129-146

# ADVENTUS SECUNDUS

## DOMINICA PRIMA

I. Mundus finem aliquando habiturus est. — II. Articulus hic principalissimus est inter duodecim articulos fidei, quia omnes continet. — III. Mysterium hoc supra cetera praedicatur in Veteri Testamento et in Novo. — IV. Christus signa enunciat universale iudicium praecessura. — V. Erunt signa irae et vindictae Dei, ideo terribilia et horribilia. — VI. Ostendent haec signa Dei furorem in impios, cordis eius dolorem et maximum odium peccati. — VII. Sol dividens hebdomadam in septem dies mystice significat in septima mundi aetate eventurum iudicium. — VIII. Idem mysterium significatur per duodecim menses quibus annus completur. — IX. Regius Vates docet quid timendum sit in die iudicii, idest sola iniquitas et peccatum. — X. Adventum Christi iudicis describunt sacri Vates Daniel et Ezechiel; — XI. sed clarius ipse Christus in hodierno Evangelio. — XII. Adventus Christi iudicis iustis iucundissimus erit, quia ipsis expectanda praemia sunt. — XIII. Signa a Christo enunciata brevi temporis intervallo iudicium praecedent. — XIV. Prophetice loquitur Christus, sed absoluta certitudine. — XV. Diem iudicii se nescire dicit quatenus homo, ad compescendam hominum curiositatem. — XVI. Faciet Deus universale iudicium ad ostendendam iustitiam suam impios damnando et iustos praemiando. — XVII. Docet Divus Paulus, cui consonat Isaias, quid nobis faciendum sit ut divinum iudicium non timeamus. — XVIII. Credentes praecipue iudicabuntur de malis operibus et de bonis omissis vel male factis. — XIX. Nihil ergo nobis timendum erit, si boni fuerimus, ved de peccatis poenitentiam egerimus . . Pag. 147-180

### II. Alia homilia

I. Divinum iudicium valde terribile erit. — II. Malum reprobis superventurum in die iudicii maximum erit; — III. damnabuntur enim aeternis poenis in igne intensissimo, inextinguibili, sine ullo penitus levamine. — IV. Merito ergo timendus est ille iudicii dies; — V. valde etiam timenda divina iustitia et vita sancte instituenda. — VI. In die illa maxima apparebit severitas iustitiae, clarissime turpitudo vitii cognoscetur, in conspectu totius mundi conscientia revelabitur . . . Pag. 180-188

### III. Alia homilia

I. Dies iudicii appellatur ab Isaia annus placabilis et dies ultionis. — II. Describunt Prophetae extremam mundi ruinam, et Ioannes apostolus depingit iudicem venientem cum misericordia et iustitia. — III. Pauci erunt tunc salvandi, multi vero damnandi. — IV. Triplici ex capite multi damnabuntur: ob peccata commissionis, omissionis et ob opera bona male facta. — V. Ecclesia duos Christi adventus simul coniungit, ut spem et timorem concipiamus. — VI. Tria attributa Dei specialiter apparebunt in die iudicii: potentia, sapientia et iustitia. — VII. Primus Christi adventus fuit in humilitate, secundus erit in maiestate et gloria . . . . . . . . . . . . Pag. 189-198

DOMINICA SECUNDA

I. Ioannes discipulos suos hodie ad Christum mittit ad eorum salutem et ipsius Christi gloriam. — II. Christus et Ioannes se mutuo hodie laudant. — III. Multis modis Ioannes Christum laudaverat, — IV. sed videns se nihil profecisse ut discipuli in Christum crederent, mittit ad eum duos ex ipsis quandam ignorantiam fingens. — V. Ioannes Messiam iam advenisse certissime noverat, sed fingit se nescire, — VI. et discipulos ad Christum mittit ut illius opera videntes credant, et ut ipse quoque maiore lumine illustraretur, — VII. forte admirans quomodo populi non crederent, tot signis visis. — VIII. Huic legationi Christus opera ostendendo respondet, quae invictissime probant ipsum verum Messiam esse. — IX. Sua responsione Christus tangit etiam mysterium divinae praedestinationis. — X. Signum praedestinationis est paupertas affectu et effectu. — XI. Christum melius cognoscere debemus ut eum magis diligamus et imitemur. — XII. Christus Ioannem laudat primo de virtutibus, — XIII. secundo de vitae austeritate, — XIV. tertio de Divini Spiritus plenitudine et quarto de gratia et coelesti conversatione. — XV. Haec maxima Ioannis gloria fuit, laudari a Christo. In his quattuor laudibus consistit evangelica philosophia. — XVI. A Ioanne discenda est patientia in adversis. — XVII. Multi scandalum patiuntur videntes infortunia bonorum et prosperitatem iniquorum, sed finis inspiciendus est. — XVIII. Ioannes discipulos ad Christum mittit ut ipsi in Christum credant, Christus vero opera exhibendo ostendit se verum Deum esse — XIX. et magnum illum prophetam in Lege promissum et Messiam. — XX. Insuper duplicem laudem Ioanni tribuit, sicut duplicem laudem ab eo acceperat. — XXI. Deus iustis mala immittit, quia virtus in tribulatione perficitur. — XXII. Mala conscientia infernus vivus est, iusti autem animus paradisus. — XXIII. Christus Ioanni respondens ostendit suam sapientiam, prudentiam, humilitatem et caritatem. — XXIV. Verus christianus ab operibus cognoscendus est, maxime ab humilitate. — XXV. Deus iustos humiliat in terra ut exaltet in coelo . . Pag. 199-244

DOMINICA TERTIA

I. Interrogatur Ioannes an ipse esset Messias, talis enim populo videbatur, — II. quia simillimus Christo fuit et omnes sciebant iam tempus appropinquasse adventus Messiae. — III. Ioannes autem constantissime fatetur se Messiam non esse, renuens falsam populi existimationem et tantum honorem sibi delatum. — IV. Quattuor sunt gradus humilitatis, in quibus Ioannes perfectissimum se ostendit. — V. Ioannes propheta non fuit quoad miraculorum operationem et futurorum praedictionem. — VI. Sua responsione Ioannes arguit interrogantium ignorantiam circa personam et duplicem adventum Messiae in mundum. — VII. Elucet Ioannis mansuetudo in perferenda Iudaeorum obiurgatione; — VIII. elucet etiam eius divina sapientia in sua responsione, — IX. ostendit enim Christum vere esse auctorem naturae, gratiae et gloriae. — X. Infinita distantia est inter Christum et omnes creaturas. — XI. Ostenditur etiam Ioannes summus theologus tum in mysticatum in symbolica theologia. — XII. Divina mysteria solis humilibus patent . Pag. 245-262

II. Alia homilia

I. Iudaei interrogant Ioannem an ipse Christus esset, ut populus arbitrabatur; — II. non interrogant Christum, quia pauper et communis homo videbatur. — III. Sapientissime respondet Ioannes declarans Christi divinitatem. — IV. Omnium praestantissima est cognitio sui ipsius et Christi; sed cognitio Christi quaerenda est cum pietate et humilitate. — V. Tanta cum diligentia adnotantur huius legationis circumstantiae, ad innuenda multa mysteria. — VI. Duplex transitus populi per mare Rubrum et per Iordanem significat duplicem baptismum, Ioannis et Christi, et duplicem legem, Moysi et Christi . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 266-282

III. Alia homilia

I. Proponitur testimonium Ioannis de divinitate Christi. — II. Magnum ostenditur hoc testimonium ex triplici capite. — III. Sed tali tantoque testimonio Ioannes nihil profecit. — IV. Multi sunt his Iudaeorum legatis simillimi. — V. Elucet in Ioanne humilitas, mortificatio et mundi contemptus . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 282-286

DOMINICA QUARTA

I. Maximam felicitatem hodie nobis praedicat Ioannes. — II. Magnum est munus praedicationis, ad quod exercendum Christus ipse venit in mundum. — III. Meminit Evangelista romanae monarchiae; — IV. notat etiam subiectionem Iudaeae romano imperio, signum enim adventus Messiae erat abrogatio dignitatis regalis et sacerdotalis a tribu Iuda. — V. Describit locum praedicationis Ioannis, quod non vacat mysterio; — VI. describit personam missam ad praedicandum, — VII. modum quo ad praedicandum venit, et quidnam praedicaverit. — VIII. Vera poenitentia quam Ioannes praedicat significat animi tristitiam ob patrata scelera et septem actus comprehendit; — IX. significat etiam veram conversionem ad Deum, vitam immaculatam et sinceram pietatem. — X. Via qua Deus ad nos venit et nos ad Deum imus amor est, sed ad hoc humilianda est superbia nostra et ad normam Christi vita moderanda. — XI. Secundum quod Ioannes praedicat est regnum coelorum, ad quod possidendum peccatores ad poenitentiam excitat. — XII. Tertium quod praedicat Christus est, ad hoc enim missus fuit. — XIII. Loquitur hodiernum Evangelium de regno terreno et de coelesti. — XIV. Maxima insania est regni coelestis aeternam et infinitam gloriam contemnere eique bona vilissima regni terreni praeferre. — XV. Ad reparandam ruinam peccati venit Christus infinita potentia, sapientia, iustitia et bonitate armatus. — XVI. Non vult Christus electos suos ab infirmitatibus corporalibus in hoc mundo liberare ut maius meritum habeant in coelo . . . . . . . . . . . . Pag. 287-319

II. Alia homilia

I. Tempus describitur praedicationis Ioannis. — II. Magna res est sancta praedicatio, ad hoc enim Christus missus fuit in mundum. — III. Describitur etiam Ioannis persona, genus, aetas, vita et munus. — IV. Ioannes poenitentiam praedicabat. — V. Praedicatores verbi Dei similes Ioanni esse oportet. — VI. Describitur romanum imperium ad ostendendam perversitatem in mundo regnantem cum venit Christus. Vox dicitur Ioannes, quia Christum annunciavit. Ut via bona sit quattuor requiruntur . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 319-326

III. Alia homilia

I. Ioannes tria praedicabat: Christum, poenitentiam et regnum coelorum. — II. Deus quod promittit servat, imo maiora dat; satanas autem magna promittit et nihil attendit. — III. Plana, recta et facilis est via legis evangelicae quam Ioannes praeparare monet. — IV. Poenitentia purificat animam et dignam reddit Dei habitationem. — V. Deus poenitentiam requirit ut iustam peccati punitionem. — VI. Duae sunt praecipuae partes poenitentiae: dolor et propositum. — VII. De duobus regnis loquitur hodiernum Evangelium: de terreno et de coelesti. — VIII. Maxima sunt bona quibus veri servi Dei etiam in hoc mundo fruuntur . . . Pag. 326-340

IN DIE NATALIS DOMINI

I. Novum et inauditum miraculum hodie celebratur: nativitas Christi. — II. Homines ad inusitata spectacula facillime pertrahuntur; sic diabolus inventionibus suis mundum decepit; — III. sic etiam Deus ad hominem salvandum hac mirabili inventione usus est, ut Deus fieret homo pauper et mortalis . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 341-344

II. ALIA HOMILIA

I. Fideles hodie invitantur ad contemplandum Deum hominem natum in humili praesepio. — II. Mira dicit Angelus hoc spectaculum depingens. — III. Homo ab amore Dei exaltatus est usque ad aequalitatem Dei. — IV. Tale spectaculum infinitae caritatis contemplari debemus, ut amore in Deum ardentissimo accendamur . . . . . . . . . . . . Pag. 344-349

III. ALIA HOMILIA

I. Hodie nos omnes gaudere oportet, — II. nascitur enim Salvator et recreator mundi. — III. Qui nascitur est Verbum Dei internum, omnipotens, substantia et persona divina, quod ex nihilo omnia creavit. *Verbum* dicit divinitatem, *caro* humanitatem, *factum* utriusque unionem. — IV. Potuisset carnem beatam sumere, sed elegit paupertatem et poenas, divinitatem autem miraculis ostendit. — V. Gratia Christi perficit voluntatem, veritas intellectum; ipse enim auctor est omnis veritatis, gratiae et gloriae. — VI. Nativitas Christi ostendit infinitam caritatem qua Deus dilexit mundum . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 349-362

IV. ALIA HOMILIA

I. Lapis parvus excisus sine manibus de monte, qui statuam Nabuchodonosor percussit et ad nihilum redegit, figurabat regnum Christi universale et aeternum. — II. Omnia ostendunt hodie parvitatem et magnitudinem Christi. — III. Angelus Christi nativitatem annuncians, appellat eum absolute Salvatorem et Dominum. —IV. Nulla creatura explicare potest generationem Christi; — V. vere ineffabile mysterium et omnino incomprehensibile. — VI. Nativitas Christi magnum miraculum fuit ex parte geniti, ex parte generantis et ex parte generationis. — VII. Modus etiam quo Christus nasci voluit mirabilis est. — VIII. Concipi voluit in Galilaea, nasci in Iudaea, in Bethlehem, in stabulo, collocari in praesepio: omnia haec ineffabilia mysteria continent. — IX. Non minor est gloria Christi in praesepio quam in coelo. — X. Nasci voluit parvus et occultus ut fides maius haberet meritum in credendo et caritas maius exemplum ad imitandum. — XI. A Christo in praesepio discitur vanitas temporalium bonorum et pretiositas coelestium. — XII. Deus in hunc mundum personaliter venire voluit, ut suo nos moveret exemplo. — XIII. Vere gaudium magnum Christi nativitas mundo attulit. — XIV. Tria specialia argumenta laetitiae Angelus praedicat. Christi humilitas vera exaltatio est. — XV. Hodiernum gaudium cecinit Regius Vates, designans Christum paupertate et humilitate mundum salvaturum. — XVI. In nativitate Christi elucet Dei sapientia, bonitas, iustitia, misericordia et caritas. — XVII. Multis de causis Christus reclinari in praesepio voluit. — XVIII. Ostenditur hodie Dei humiliatio et hominis exaltatio. Deus creare nequit aliud opus humana Christi nativitate perfectius. — XIX. In praeparanda sacratissima Christi humanitate Deus septem potissime egit. — XX. Christus in mundum venit ut ad contemptum mundi suo exemplo nos moveret . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 362-399

DIES CIRCUMCISIONIS DOMINI

I. Agitur hodie de Christi circumcisione et de impositione nominis Iesu. — II. Deus dedit Abrahae circumcisionem ut esset sacramentum Veteris Legis. — III. Christus circumcidi voluit in signum caritatis, humilitatis, obedientiae, in signum etiam verae carnis assumptae. — IV. Praesignavit circumcisio nullam in Christo fore concupiscentiam; — V. designat etiam ablationem omnium imperfectionum animae et corporis post resurrectionem. — VI. Quadruplex circumcisio legitur: carnis, cordis, labiorum et aurium . . . . . . . . . . . Pag. 400-409

II. Alia homilia

I. Christus in circumcisione sua seipsum Patri in sacrificium obtulit. — II. Circumcisus fuit Christus in loco in quo natus est, calendis Ianuarii. — III. Multis de causis circumcidi voluit. — IV. Vocatur *Iesus*, nomen quod Deum et hominem significat, nomen ineffabile, continens omnia nomina quae Christo competunt. — V. Vocatur *Iesus*, quia Dominus et Salvator hominum et Angelorum. — VI. Vocatur *Iesus*, non *Emmanuel*, quia hoc nomen in illo continetur. — VII. Hoc nomen est veluti compendium omnium Dei et Christi nominum, ideo vere adorandum . Pag. 409-418

III. Alia homilia

I. Quattuor mysteria de Christo continet hodiernum Evangelium. — II. Circumcisio typus fuit passionis Christi. — III. Circumciditur Christus ut nobis acquirat possessionem salutis aeternae. — IV. Nomen *Iesus* omnia Dei nomina continet; *Christus* est nomen dignitatis, *Iesus* personae, quod significat Deum Salvatorem . . . . . . . . . . . . Pag. 418-424

IV. Alia homilia

I. Elucet in omnibus Christi mysteriis humilitas et gloria; — II. hodie elucet etiam Christi humilitas dum circumciditur, gloria dum *Salvator* appellatur. — III. Ad imitationem Christi nos quoque circumcidi oportet in spiritu. — IV. Principes primo et patresfamilias necesse est ut seipsos et subditos circumcidant ab omni vitio . . . . . . . . . . . Pag. 424-429

V. Alia homilia

I. Nomen *Iesus* omnia Dei nomina continet et declarat divinam potentiam, — II. divinam sapientiam, — III. divinam caritatem. — IV. Nomen vere ineffabile ab omnibus creaturis adorandum. Pag. 429-434

DIES EPIPHANIAE DOMINI

I. Hodie Magi ad Christum adorandum cum muneribus veniunt. — II. Non constat an Magi isti reges fuerint, sed certe viri honorabiles erant. — III. Haec vox: magi, male audit, sed significat etiam viros sapientes. — IV. Evangelium innuit hos Magos sapientes et pios fuisse. Ignoratur eorum patria, nomen et numerus. — V. Venerunt Ierosolymam, quia metropolis regni erat. — VI. Nato Christo, orta fuit nova stella, sed cuius naturae fuerit exploratum non est. — VII. Turbatur Herodes audiens novum regem natum esse, sed larva falsae pietatis hypocrisim operit. — VIII. Magi stella duce Christum inveniunt, adorant et mysticis muneribus honorant. Pag. 435-447

II. Alia homilia

I. Stella Christum Magis manifestat. — II. Mirabilis et magna valde est hodierna Christi manifestatio. — III. Magi isti significant futuram Gentium conversionem ad fidem Christi. — IV. Magi viri nobilissimi, sapientissimi et ditissimi Christum adorant tanquam regem, sacerdotem et Deum in carne mortali; — V. docent autem quid nobis agendum sit ut Christo placeamus. — VI. In muneribus quae ipsi Christo offerunt cernitur perfecta eorum fides . . . . Pag. 448-456

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM

I. Duo maxime admiranda Christi miracula proponuntur hodie. — II. Cernitur in leproso magna fides et humilitas; sed maior fides et humilitas centurionis. — III. Magna fuit fides synagogae, sed maius lumen fidei Ecclesiae. — IV. Sancta fuit fides synagogae quoad legem, sed sanctissima fides Ecclesiae. — V. Magna fuit fides synagogae quoad iudicialia legis, quoad martyria,

miracula et numerum sanctorum sed maxima fides Ecclesiae. — VI. Magna fuit fides synagogae quoad doctores et doctrinam, sed maxima fides Ecclesiae. — VII. Magna fuit fides synagogae quoad effectus, sed maxima fides Ecclesiae. — VIII. Magna fides synagogae quoad scopum, sed maxima fides Ecclesiae; — IX. Ideo Christus fidem centurionis fidei leprosi praefert. Laudando fidem centurionis Christus tangit mysterium electionis et reprobationis . . . Pag. 457-467

DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM

I. Docet hodie Christus Deum esse auctorem bonorum, — II. satanam autem auctorem malorum. — III. Satanas malus creatus non fuit, sed mala sua voluntate malus factus est ob invidiam contra Christum. — IV. Triplex est peccati causa: humana negligentia, satanica malitia et concupiscentia. — V. Ostendit etiam Christus triplicem statum electorum et tria genera virtutum. — VI. Omnis homo vel triticum Christi est, vel zizania diaboli . . . . . . . Pag. 468-477

II. Alia homilia

I. Misteria huius parabolae Christus ipse explicavit. — II. Parabola haec veluti compendium est totius theologiae. — III. Docet Dominus malos de mundo omnino tollendos non esse; hoc ipsemet faciet in die iudicii . . . . . . . . . . . . . . Pag. 477-482

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM

I. Hac parabola Christus designatur, qui minimus et maximus describitur in S. Scriptura. — II. Granum sinapis figurat etiam Ecclesiam, — III. quemlibet fidelem et legem evangelicam, — IV. virtutem et gratiam, gloriam et praemium, — V. poenam inferni et peccatum; — VI. figurat etiam sanctam cogitationem, quae est principium salutis; — VII. figurat tandem verbum Dei. — VIII. Hac parabola ostendit etiam Dominus discrimen inter opera Dei et mundi. — IX. Mysteria fidei humanis rationibus demonstrari nequeunt. Ostendit Christus se unicum Ecclesiae fundamentum esse . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 483-493

# APPENDIX

Dominica Prima Adventus
Silva Isagogica . . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 495-498
Silva Exegetica . . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 498-501
Silva Dogmatica . . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 501-506
Silva Paraenetica . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 506-509
II. Alia Homilia . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 510-511
III. Alia Homilia . . . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 512-515
Dominica Secunda Adventus . . . . . . . . . . . . . Pag. 516-518
Dominica Tertia Adventus . . . . . . . . . . . . . . Pag. 519-523
In Die Natalis Domini . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 524-527
In Die Natalis Domini . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 527-529
In Die Natalis Domini . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 529-539
In Nativitate Domini . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 539-540
In Die Circumcisionis Domini . . . . . . . . . . . . Pag. 541-546
In Die Circumcisionis Domini . . . . . . . . . . . . Pag. 546-547
In Die Epiphaniae Domini . . . . . . . . . . . . . Pag. 548-551
In Ephiphania Domini . . . . . . . . . . . . . . . Pag. 551
Feria Secunda Post Pascha . . . . . . . . . . . . . Pag. 552-556

# INDEX ALPHABETICUS
## NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM


### A

**Aaron** adiutor Moysi 210, eius virga floruit et amygdalas produxit 89, summus pontifex constitutus 321. 351, singulis diebus aureum candelabrum concinnabat 429.

**Abdias** propheta de fine mundi vaticinatur 8.

**Abel** frater Cain vanitas interpretatur 142, sanctus 146, pastor 366, invidia occisus 202-203. 351.

**Abiathar** adiuvit partes Adoniae contra Salomonem 176.

**Abigal** requisita in uxorem Davidis, in ancillam se obtulit 265.

**Abimelech** ambivit principatum 252, contra Sichimitas pugnavit 385.

**Abiu** obtulit ignem profanum 184.

**Abner** Asaelem percussit 157.

**Abraham** nomen eius a Deo mutatum 400. 423, iussu Dei egreditur de Ur Chaldaeorum 114. 120, finxit quod Sara soror illius esset 207. 255, plures reges superavit 73. 436, Deum appellavit iudicem universae terrae 129. 156, ante circumcisionem iustificatus 403, pater populi electi 485, Angelos vidit 101. 262, altare aedificavit Domino in Bethel 86, maxime lactatus accepta promissione filii 350, circumcidit seipsum et familiam suam 400, cum centum esset annorum genuit Isaac 277, duos filios habuit 470, eiecit de domo sua ancillam et filium 175, Isaac constituit unicum heredem suum 308, obedientissimus 351, obtulit filium in holocaustum 221. 361, delectatus agricultura 83, valde magnificatus 73, dives sed sanctus 215. 228.

**Absalom** pulcherrimus 119. 247. 441, occidit Amnon 444, summe afflictus quia consuetudine patris privatus 174, ambivit regnum 252.

**Achan** accepit de spoliis Iericho et periit 126. 135. 309.

**Achaz** odio habebat Michaeam 219.

**Achitophel** optimus consiliarius 384.

**Adam** formatus perfectus aetate virili 372-373. 380. 410, plenus scientia 438, animalibus nomina imposuit 456, illius causa mundus formatus 203, totius mundi dominus constitutus, contentus non fuit 314. 337, a diabolo tentatus superbia 314, in tentatione cecidit 251, ambivit similitudinem Dei 374. 421, post peccatum timuit 10. 176. 181. 184, excusando peccatum suum magis peccavit 302, a paradiso eiectus 227. 319, acquisivit sibi mille poenas 316, et mundum perdidit 316. 381. 490, in ipso omnes peccaverunt 469. Vide *Homo*.

**Adonias** pulcherrimus 247, Salomonis aemulus 176, ambivit regnum 252.

**Aegyptus** designabatur mundus per cor in medio ignitorum carbonum 121, animalia adorabat 56, Deum Eneph appellabat 179, irridebat Hebraeos Deo servire volentes 96, in tenebris mersa 151. 210, exterrita signis Moysi 154, Aegyptii persequentes Hebraeos 464, in mari Rubro submersi fuerunt 175. 444.

**Aelianus** refert Aristotelem pharmacopolam egisse et Alexandri paedagogum fuisse 4.

**Aer** purus signum iucundi temporis 176.

**Aetas** septem sunt Ecclesiae aetates 158, et iuxta alium sensum duodecim 159. 161.

**Alexander** rex Darium vicit et mundum sub-

iugavit 291, optaturum se dixit Diogenem esse, ni Alexander esset 39, Alexandriam condidit 92.

**Aman** valde ab Assuero honoratus 143, pene exanimatus cernens iram regis 12, in patibulo suspensus 51. 143.

**Amor** accenditur amore nil suavius amore 51, 348, dulces reddit labores 133, via est qua Deus ad nos venit 305-306, amor Dei fons est omnium bonorum 133, ex amore proprio omnia vitia oriuntur 381. 472.

**Amos** propheta dixit se prophetam non esse 254, docet malum odio prosequendum esse, bonum autem diligendum 86, de finali iudicio vaticinatur 152. 190. 194, comminatur odium Dei in hypocritas 195.

**Angelus** Angeli ministri et servi Dei sunt 75. 479, tres sunt hierarchiae Angelorum 108, peccaverunt 308, de paradiso eiecti fuerunt 41, boni salvati meritis Christi 415, saepe hominibus visi 312. 353, nonnunquam praedicatores egerunt 289, Christum in praesepio adorarunt 346. 392; Angelus voluit occidere Moysen 408. 421, percussit Pentapolim, Aegyptum, exercitum Sennacherib 479, nunciavit nativitatem Samsonis parentibus eius 368, nativitatem Christi pastoribus 341. 344. 365. 392.

**Anima** quaedam pictura Dei est 224, habitaculum Christi in nobis 333, peccatrix coram Deo mortua est 129.

**Anna** prophetissa ardentissimis desideriis Messiam expectabat 16. 149.

**Aod** bidexter occidit Eglon 238.

**Apelles** summus pictor 224.

**Apollinaris** docebat corpus Christi fuisse divinitati consubstantiale 412.

**Apostoli** dicuntur fundamenta Ecclesiae 493 et columnae 219, omnia reliquerunt pro Christi amore 252, cognoverunt Christum Messiam esse in eius transfiguratione 254, poenitentiam praedicabant 334, eorum nomina scripta in fundamentis coelestis Ierusalem 493.

**Arca** Noe tribus partibus distincta, figura mundi 5. 177, in ipsa animalia munda et immunda servata 108.

— foederis posita in sancto sanctorum 378. 381, in medio duorum cherubim 273, velo operta 264. 283, in medio populi stabat 12, servabantur in ipsa duae tabulae legis, vas mannae et virga Aaron 89. 360. 379. 432, peregrinando in deserto duodecim tribubus Israel comitata incedebat 129, veniens in castra Philisthaeos exterruit 387, deiecit in terram Dagon manibus pedibusque truncatum 335, Bethsamitas percussit 13.

**Argus** centoculus designat coelum stellatum 106 et mundum 179.

**Aristoteles** homo vitiosus et tardae disciplinae 2-3, ab Ocello Lucano suam philosophiam desumpsit 4, docet mundi aeternitatem 3.

**Asael** cursor velocissimus 69.

**Assuerus** delectabatur agricultura 83, magnum convivium fecit 229. 231. 314, adamavit Esther 349.

**Athenaeus** Aristotelem appellat dirum pharmacopolam 4.

**Augustinus S.** tenet Annam et Caipham simul fuisse summos sacerdotes 295.

**Azarias** coarguit Oziam regem 219.

## B

**Balaam** aramaeus magus a Balac accersitus ad maledicendum populum Dei 440, ab asina redargutus 342, de Christi adventu vaticinatur 292. 448, sed non expressit locum ubi Christus nasciturus esset 440.

**Balthassar** manum scribentem in pariete vidit et exterritus fuit 196-197.

**Basilius S.** tenet Magos evangelicos malis artibus addictos fuisse 439.

**Beda S.** tenet Annam et Caipham annuatim summum pontificatum gessisse 295, cibum Ioannis locustas et mel fuisse 439.

**Beniamim** ultimus et dilectissimus filius Iacob 148.

**Beseleel** divina sapientia repletus 258.

**Bethabara** locus transitus interpretatur 276. 280.

**Bethania** locus navis interpretatur 276. 280.

**Boetius** citatus 17.

**Bonum** obiectum voluntatis 480, triplicis generis: gloriae, gratiae et naturae 135; bona terrena indigna sunt quae dentur in praemium virtutis 236, saturare nequeunt animum humanum 220, plena curis sunt 315, imperfectissima 135, ipsissima vanitas 237, sunt impedimento virtuti 318, magno cum labore acquiruntur et cum dolore amittuntur 247. 339,

**Briareus** centimanus solem designat 106.

## C

**Caelius Ludovicus** duplicem statuit magiae speciem 439.

**Cain** Abelem persecutus 218. 235, reprobatus a Deo 466, civitatem sibi aedificavit 121. 146. 453.

**Candelabrum** cum septem lucernis in sanctuario 49.

**Caritas** regina virtutum 107, via ducens ad coelum 146, probatur tentationibus 130, perfectissima si non quaerat quae sua sunt 236, diligit etiam inimicum 121.

**Caro** ad malum semper proclivis 475, carnis concupiscentia fundamentum omnium vitiorum 222, viguit etiam in sanctis 406, sensui carnis grave est spiritui operam dare 70, carnis mortificatio initium est vitae christianae 225 et ostendit verum in Deum amorem 222.

**Cato Dionysius** citatus 174.

**Cherub** plenitudo scientiae interpretatur 23, circa divinum propitiatorium collocati 23-24. 384.

**Christus** Filius Dei, vivus et verus Deus homo factus 21. 355. 370. 419, Deo aequalis 30, Verbum Dei internum, substantia et persona 35. 355, primogenitus et unigenitus Filius Dei 358, generatio eius ineffabilis 369-373, habet duas naturas 255, tres substantias 446, carnem et animam 356-357. 367. Sanctus Sanctorum 23. 358, Sol iustitiae 23. 158. 411, in ipso inhabitat plenitudo divinitatis 390, infinita gratia et sanctitate praeditus 116. 274, auctor omnis gratiae et veritatis 360. Figuratus per lapidem Danielis 319. 362. 364. 458. 483, multis hieroglyphicis designatus 20. 204. 351-352. 367, promissus et revelatus 20, ardentissimis desideriis expectatus 21, apparuit Moysi in rubo 413, Patriarchis et Prophetis in forma humana 343. Futurus rex et sacerdos 278, et propheta 367, venturus in fine regni Iudaeorum 319, incarnatus opera totius Trinitatis 357, natus media nocte, in stabulo 365, de Virgine purissima 366, calendis Ianuarii 410, in eius nativitate nova stella oritur 441, circumcisus ubi natus 403-404. 410-412, Iesus a Deo vocatus 400. 415. 417-418, vere et absolute Salvator 366. 450, nomen hoc continet omnia nomina divinitatis 422-423, sic nominatur quatenus Deus et homo 414, Christus nomen dignitatis, Iesus personae 423; non ostendebat gloriam suam 138; solus immunis a concupiscentia 406, a conceptione sua visione beatifica fruebatur 377. 403, reputari voluit peccator 425, servus naturae fuit 426, mortuo Herode venit ex Aegypto in terram Israel 85, pauper et humilis 228. 265. 357, dum baptizatur descendit super eum Spiritus S. 402, tentari voluit a satana 426, post baptismum praedicare coepit 141, triginta annos habens 107. 295, venit ad praedicandum verbum Dei 289, praedicavit poenitentiam 120. 334, humilitatem commendat 38, maximam requirit puritatem 85, in tres classes distinxit Ecclesiam 106, christianam vitam aedificio comparat 224-225, dat signa hominis christiani 26, maledicit arbori infructuosae 60, ostendit bona opera necessaria esse ad salutem 58, viam coeli arctam dicit 42; vaticinium Isaiae de seipso interpretatur 189, affert vaticinium Malachiae de Ioanne Bap. 16. 23. 254-255, veram fidem comparat grano sinapis 487. 493, verbum Dei thesauro 112, docet quo modo perveniendum sit ad sempiternos honores 74, etiam in hoc mundo praemium virtutis ostendit 80, tribulationes viam coeli dicit 120. 133; de fine mundi vaticinatur 5. 147, de terribili divino iudicio 10. 150-151. 156. 169. 171. 189, dicit Angelos latere diem iudicii 172. 207.

Miraculis ostendit se verum Deum esse et Messiam 21. 211. 239. 431, panes multiplicavit 338, solo verbo expellebat daemonia, curabat languores 431; transfiguratus apparuit 106. 168. 216. 359. 484; exceptus cum triumpho in Ierusalem sedens super asinam 333. 376. 388.

Maximo desiderio tenebatur patiendi 392, elegit mundi mala 123. 142. 224. 427, tanquam scelerosus occiditur 427, resurrexit corpore et anima gloriosus 116, clausis ostiis ad Apostolos ingreditur 364. Duplex eius adventus 256, veniet iterum ad iudicandum 191, constitutus iudex 174. Est caput Ecclesiae 407, quae est eius corpus mysticum 427. Gratia Capitis influit in omnes electos 358.

**Chusai** finxit se servum Absalonis ut David morem gereret 426.

**Cicero** affert Epicurum quaerentem ad quid Deus viperas fecerit 144, dixit magiam apud Persas scientiam esse 438.

**Circumcisio** est praecisio pellis genitalis membri 406, a Deo praecepta Abrahae et Iosue 400. 428, fieri debebat octavo die a nativitate 410, delebat peccatum originale et conferebat gratiam 401-402. 412, erat signum fidei et spei 403, typus passionis Christi 420. 427. Quadruplex circumcisio: carnis, cordis, labiorum, aurium 408.

**Claudianus** citatus 385.

**Clavius Christophorus** refert novam stellam apparuisse anno 1572 in Europa 442.

**Clemens Alexandrinus** tenet Magos evangelicos sic appellatos propter sapientiam 439.

**Columna** nubis diu et ignis noctu in deserto 13. 29. 186. 200. 435, Aegyptiis obscura, Hebraeis lucida 186.

**Conscientia** mala vivus infernus est 238.

**Cor** humanum infinitae capacitatis est 141, soli Deo patet 431, radix est omnium malorum 408.

**Corinthus** regio montibus et vallibus constans 56.

**Crux** Christi ad diem iudicii 166, demonstrabit quanto odio Deus prosequatur peccatum 187.

**Chrysostomus Io. S.** pro Bethania legit Bethabaram 276, tenet Magos evangelicos sic dictos esse propter sapientiam 439.

**Cyrillus Alexandrinus S.** episcopus tenet Magos evangelicos sic dictos esse propter sapientiam 439.

**Cyrus** palatium construxit magnificentissimum 397.

## D

**Daniel** propheta appellatus princeps magorum 437, in lacum leonum missus 202. 243, inde ereptus illaesus 224. 237. 340, mysteria coelestia revelatione cognovit 351, de Christo vaticinatus 203. 396, praedicit tempus adventus Messiae 248, per lapidem statuam diruentem Christum interpretatur 51. 325. 362-363, Deum describit 150 et Christum venientem ad iudicium 164-165. 256. 343, hierophyphice describit quattuor monarchias 292. 320, dicit Deum tempora mutare et regna transferre 307.

**Darius** edictum promulgavit ut omnes Deum Danielis timerent 418. 438, ab Alexandro victus 291.

**David** natus pauper, in Bethlehem 357. 367. 375. 445, humilis pastor 366, minimus inter fratres 37, unctus rex 456, leonem et ursum superavit 340, Goliath vicit 222, stultum se finxit coram rege Achis 205. 393, cum triginta annos haberet regnare coepit 107. 296; rex gloriosus 351 et potentissimus 441, humiliavit se coram arca 37; adamavit Bethsabee 349, otio adulter et homicida 76, Uriam occidit 100, peccavit sed poenitentia sanctificatus fuit, 121. 300. 302-303. 331; fugit a facie Absalom 385, distribuit vices sacerdotum 295, accepit exemplar templi 397, omnia praeparavit pro illius constructione 396, vidit Angelum armatum contra Ierusalem 181-182, senex constituit Salomonem regem 346.

Spiritum S. petebat 28, Deum appellat solem et scutum 143, iudicem terrae 150. 153, solum Deum dicit posse caecos illuminare 18, laetificare corda 141, verbum Dei ignitum appellat 94, potentiam vocis Dei canit 46-47. 385; legem Dei celebrat 91-95, vitam iusti cursum appellat 85, verum iustum arbori comparat 218. 455, enumerat bona servorum Dei 339, agit de praemiis virtutis 79-80, docet veram iustitiam 83, quam dicit viam salutis 59, poenitentiam viam coeli 120, veram humilitatem depingit 38, deplorat multitudinem impiorum 474, nominat tres status fidelium in Ecclesia 100; coelos dicit annunciare gloriam Dei 42, graphice describit coelestem Ierusalem 116-117. Synagogam vineam appellat 485, de vocatione Gentium vaticinatur 437; diem malam dicit diem iudicii 163. Scandalizari videtur de divina providentia 27. 228, vanitatem vitae humanae deflet 54. Singularis figura Christi 368.

**Democritus** natum se dixit videndi solis causa 142.

**Deus** ens primum 41. 170, aeternus 357, sibi sufficiens 361. 377, spiritus purissimus 369, invisibilis corporeis oculis 311, omnipotens 195, solus novit secreta cordium 129. 413, immensus 74. 264, solus seipsum capit 207. 369, inhabitat mundum, Ecclesiam, paradisum 64, non potest per causam cognosci 414, seipsum solum necessario amat 361. Dicitur ignis 18, Pater luminum 143, mundus ter maximus 61, decem praecipua eius nomina 91. 414. 422. 430.

Creavit Angelos primo die 188, mundum ex nihilo 486, in tenebris 104. 140. 477, et ornavit 71, a minimis incepit 491, magnus in magnis, sed non parvus in parvis 493, potuisset facere mundum meliorem 395, omnia creavit propter hominem 82, in sabbato quievit 70.

Dedit homini paradisum terrestrem 64-65. 75-76. 82. 377. 456. Visus Iacob in summitate scalae 30, apparuit Moysi 18. 33. 141. 413, Iosue 33, saepe apparuit Patriarchis et Prophetis 20. 73. 205. 274. 312, multis modis eis locutus est 368, mutavit nomen Abrahae et dedit circumcisionem 86. 401. 405, promisit illi maximas benedictiones 170. 217. Misit Moysen ad liberandum populum 248, magnamque virtutem illi contulit 209. 272, dedit ei exemplar

tabernaculi 20. 204. 267, dedit legem inter fulgura et tonitrua 47. 73. 153. 166. 208. 289. 348. 353, in duabus tabulis 89. Voluit ut sibi offerrentur sacrificia 85. 421, prohibuit cultum astrorum 136, mandavit everti civitatem idololatram 6, cuncta spolia Iericho voluit sibi consecrata 127. 135, iussit Sauli ut Amalec destrueret 174.

Acerrimus osor peccati 308, multas vindictas de peccatoribus sumpsit 156. 167. 173, mala immittit in vindictam peccati 98, misit diluvium, subvertit Pentapolim, Ierosolymam destruxit 185. 301.

Salvator omnium 432, omnes salvare vult 101. 155. 188. 342 sed neminem cogit 101, maximo tenetur virtutis desiderio 73. 236, et bonorum operum 75, virtutem etiam in hoc mundo remunerat 98; summopere delectatur humilitate 82. 265. 274-275. 365, quam semper exaltat 37. 285; laudavit obedientiam Abrahae 218; requirit a nobis verum amorem 133, vitam duram 78, condignam poenitentiam 334-335, respicit cor magis quam opus 72.

Ipsissima bonitas 116. 156. 470, fons omnis boni 117. 143. 469, non potest esse causa malorum 100, maxime cupit bona sua nobis largiri 74, diligit naturam universam 117, supra condignum virtutem coronat 217, magna promittit, maiora dat 328, malos patitur in hoc mundo 479. 481, permittit multos excaecari 101, mundanis dat bona mundana 308, concedit peccatori spatium poenitentiae 308, variis modis electos tentat 250, malis eos afficit 229. 236, aliquando etiam bonis terrenis eos remunerat 224. Nil voluit otiosum in mundo 63. 75, vult ut omnes laborent 329.

Promisit Messiam 48. Mundum destruet 5. 147, faciet universale iudicium 173-174.

**Diabolus** bonus creatus 470. 479, invidia et ambitione peccavit 346. 396. 471, semper simiam Dei agit 78, auctor malorum 469, saepe transfigurat se in angelum lucis 444, omnes novit artes nocendi 474, sub variis formis hominibus apparuit 342, semper seminavit zizania in mundo 482, tentavit Adam et Evam in paradiso 77. 337. 342, et Iob 78, et Christum in deserto 77, 314. Gigas fortissimus 431, mundum decepit et ad idololatriam perduxit 342, ligatus ab Angelo 28. Magna promittit et nihil attendit 328.

**Diana** alata fingebatur in curru tracto a cervis albis 137, venatrix 139, eius templum magnificentissimum 397.

**Diogenes Cynicus** Alexandrum Magnum ne respicere quidem dignatus est 39.

— **Laertius** refert philosophiam Aegyptiorum tradere mundi genituram et interitum 2, Aristotelem a Theocrito hominem vacuae mentis appellatum esse 4.

**Dionysius S.** dicit Deum ex vi caritatis aliquando extra se fieri 348.

**Dives** difficile salvatur 43.

## E

**Ecclesia** supra Christum fundata 493, est vestis Christi 85, regnum Dei 105, a minimo incepit 485, consistit in fide, spe et caritate 67, figuratur per terrestrem paradisum 218, per scalam Iacob 30, comparatur agro 105, dicitur vinea Dei 62. 67, mons et collis 83, Sacramenta eius conferunt gratiam 462, tres sunt status fidelium in Ecclesia 106-107, septem et duodecim eiusdem aetates 158-161.

**Electus** quivis est templum Dei 31, malis afficitur in hoc mundo sed exaltabitur in coelo 237. 318, minimus in hoc saeculo, maximus erit in futuro 486, triplex status electorum 475.

**Elias** oratione mortuum suscitavit 211, cucurrit ante Achab 256, a Iezabele persecutus 218, fugiens Angelum vidit 122, et Deum in monte Horeb 14. 156, et faciem suam operuit 207, zelantissimus divini honoris 322, servos Ochoziae igne de coelo combussit 323, coelum clausit 140, pallio suo divisit aquas 267. 309, in coelum raptus igneo curru 130. 225. 233. 309. 351, in fine mundi iterum venturus 50. 157.

**Eliseus** propheta duplici spiritu Eliae repletus 289. 351, salubres effecit aquas Iericho 127, et dulce pulmentum amarissimum 53, non cognovit mortem filii sunamitidis 171, oratione eum suscitavit 211.

**Enoch** Deo placuit 203. 351, in coelum raptus fuit 131, in fine mundi iterum venturus 50. 157.

**Ephraim** frugifer interpretatur 228, praepositus maiori Manasse 247. 459.

**Epiphanius S.** pro Bethania legit Bethabaram 237, dicit Christum circumcisum fuisse in spelunca ubi natus fuit 410, Magos evangelicos ex Magodia Arabiae venisse 450.

**Equus** animal generosum et disciplinabile, albus est nigro docilior 131.

**Esau** propter ientaculum primogenituram vendidit

136. 421, benedictionem patris amisit 175. 182, sed tandem a patre et ipse benedictus 465, persequebatur Iacob 235. 471, figura reproborum 14. 232. 457. 466.

**Esther** ex humili loco in reginam assumpta 350.

**Euripides** solem appellat lampadem Dei 142.

**Ezechias** rex dives 215, sed sanctus 351. 441, destruxit idola 428-429, elatus est excipiens legatos regis Babylonis 39. 251. 385.

**Ezechiel** propheta trigesimo aetatis suae anno prophetare coepit 45. 107. 296, exprobrat iniquitates Ierusalem 76, vidit animalia coelestia semper in motu 64. 111. 323, et templum 100. 108, et gloriam Domini supra illud 200. 311. 343, et Angelum cum calamo mensorio 232, librum accepit comedendum 95. 193, hieroglyphice describit quattuor monarchias 292, animal vidit plenum oculis 118, cum quattuor faciebus 419. 432, arguit prophetas insipientes 324, de die iudicii vaticinatur 152-153. 164-165, Messiam pastorem appellat 366, vidit electos signatos in fronte signo thau 376.

## F

**Felicitas** summum bonum 315, innatum cordis nostri desiderium 140 ab omnibus expetita 68.

— mundana instabilis, brevissima et fallax 133-134. 136. 143-144, multorum malorum causa 139, a minima molestia ad nihilum reducitur 143.

**Fides** est donum Dei 81, ab ipso plantata in anima nostra 67; fides synagogae imperfecta, Ecclesiae perfectissima 462, fides synagogae sanctificabat populum 464; sine operibus et caritate nil prodest 60. 77, omnes scientiae ancillantur fidei 463, mysteria fidei, humanis rationibus demonstrari nequeunt 492, sed meditanda sunt 186, ad perficiendam fidem requiritur gratia 455. Defecit in Oriente, in Africa et in Germania 162.

**Finis** movet animum ad operandum 115.

**Funambulus** per tentam funem turrim D. Marci ascendit 42-43.

## G

**Gedeon** fortis contra Baal 351, singulariter a Deo dilectus 423, destruxit altare Baal 86, contra Madianitas pugnavit eosque vicit 385-386, et populum ab inimicis liberavit 367.

**Gladius** David, quo Goliath occidit, servatus in templo 166.

**Gratia** manere non potest cum peccato 309. 359, secum affert omnes virtutes 381, post gratiam sequitur gloria 74, ad merita vitae aeternae requiritur gratia simul cum natura 81.

## H

**Habacuc** scandalizari videtur de impiorum prosperitate 174. 228, Deum Iesum suum vocat 416.

**Haeretici** semper loquuntur de fide et semper sunt sine fide 87.

— Pelagiani asserebant ad merita vitae aeternae sufficere naturam 81.

**Hebraei** vocati filii Dei 47. 482, gens sancta 401-402, populus electus 178, multa passi a Pharaone 227, salvati a plagis Aegypti 337. 444, liberati a servitute 42. 56, salvati in mari Rubro 278. 444; in deserto quadraginta annis errantes 281, adoraverunt vitulum aureum 237. 481, construxerunt tabernaculum Domino et legem acceperunt 56. 120. 154-155. 181, pasti manna 56, farinam Aegypti concupierunt 314, et perierunt 78. 482; triginta diebus fleverunt mortem Aaron et Moysi 107; transierunt Iordanem sicco pede 278, iussi sunt circumcidi et Iericho destrure 55. 86, defuncto Iosue in idololatriam lapsi 120, iussi destruere idola 355; semper Spiritui S. rebelles 18, Deum simul cum Baal colebant 335, territi signis Samuelis 154-155; valde afflicti a Gentibus 291. 434, captivi in Babylone 388.

Offensi praedicatione Ioannis Bapt. 270, legatos ad eum miserunt 33. 39-40. 266-267; existimabant prophetam in Lege promissum alium esse a Messia 232, expectabant Messiam in gloria 36. 212. 217, quarto millenario creationis 297, non eum putabant verum Deum fore 256; Christum contemnebant 19. 216. 242, Caesarem illi praetulerunt 325, ad nihilum a Romanis redacti 291. 293, in mundo relicti in testimonium fidei christianae 240. Theologi hebraei universam theologiam decem nominibus comprehendunt 91.

**Herodes** Ascalonita turbatur audiens natum esse novum regem 443; turbationem operit larva pietatis 444-445, innocentes occidit 293.

— Antipas filius Herodis Ascalonitae 293, perdidit synedrium 295, adulter et homicida sacrilegus 307, propter Herodiadem persequeba-

tur Ioannem 28, misit eum in carcerem 218. 235, et occidit 219.

**Hieronymus S.** refert triplex fuisse magorum genus 450, tenet Magos evangelicos malis artibus deditos fuisse 439, testatur Lybiae populos locustis vesci 298.

**Homerus** cecinit mundi genituram 2, finxit catenam auream a Iove in terram demissam 42.

**Homo** ab igne appellatus 130, creatura Dei 379, ultimo omnium creatus 418, iustus conditus 479 et in magna gloria 31, ad imaginem et similitudinem Dei 71, positus in paradiso 124. Compendium mundi 5. 418, magnum miraculum 372; carne et spiritu constat 25. 56. 136. Peccavit superbia 374, post peccatum vestimenta quaesivit 373, de paradiso eiectus 41. 164. 366. 402, ob peccatum mortalis factus 5. 7, servus naturae et diaboli 426.
Septem aetates habet 5. 158, naturaliter novitatum amator 342, felicitatem desiderat 21, vitam, voluptates, divitias, honores 392. 396.
— christianus in S. Litteris appellatur arbor 60, templum est Spiritus S. 26, quo magis Deum cognoscit, eo magis novit seipsum 266.
Nullus homo sua sorte contentus 134.

**Horatius Flaccus** citatus 472.

## I

**Iacob** patriarcha a Deo dilectus 351, praelatus maiori Esau 459, et Israel appellatus 423, pater synagogae 485, finxit se Esau ad consequendam benedictionem 205. 374, benedicitur a patre 465, Deum vidit in summitate scalae 203. 309. 378. 492, et Angelos ascendentes et descendentes 34. 58, erexit lapidem in titulum 363, in Mesopotamiam peregrinatus 492, multis annis Labano servivit libenter pro Rachele 56. 133, ponebat virgas diversicolores coram ovibus 383. 393, multa cum familia in patriam reversus 492, dives sed sanctus 215. 228, timuit audiens quod Esau armatus veniret 181, cum Angelo luctavit 434, super omnes filios dilexit Ioseph et Beniamim 73, novit futuram gloriam Ioseph 229, valde laetatus audiens quod Ioseph viveret 229 et misit ei munera 445, ab eo invitatus in Aegyptum abiit 145, moriturus filios benedixit 175, praetulit Ephraim maiori Manasse 466, de Christo vaticinatus 21. 284, figura electorum 14. 45. 232.

**Iacobus** apostolus divitem flori foeni comparat 54, bona opera necessaria docet ad salutem 60.

**Iahel** Sisaram occidit 222. 475.

**Idololatria** fornicatio et adulterium dicitur 250.

**Ieremias** propheta in utero materno sanctificatus 288, a Deo missus ad praedicandum 55 ineptum se declarat 34, persecutus a Sedecia 235, in vincula coniectus praedicabat 39. 216, praedixit captivitatem babylonicam 248, et multa mala Babyloni comminatur 9, monet fugere de medio Babylonis 133, de Messia vaticinatur 203 et de die indicii 150. 190, dicit iustis non esse timendum 175; vidit duos calathos ficuum 10. 180, ollam succensam et virgam vigilantem 175; iussus librum comedere 184, de incircumcisione aurium et cordis loquitur 408, terram nihil 39, verbum Domini ignem et malleum appellat 84. 94; virum iustum arbori comparat 218, designat in quo consistat vita spiritualis 84, monet ut aspiciatur quaenam via bona sit 332, scandalizari videtur de prosperitate impiorum 174. 228.

**Iericho** interpretatur odor eius 128 et luna 133, urbs notissima in S. Litteris 127, sita in regione Galilaeae 133, divino miraculo capta 127. 135, funditus eversa 6. 142, cum interminatione divinae maledictionis ne unquam reaedificaretur 55. 124. 136. 309, metalla in ea reperta in thesauris Domini reposita fuerunt 142, habitatio eius bona sed aquae pessimae 144, sanatae ab Eliseo 180. 309, figura mundi et reproborum 124. 130.

**Ierusalem** visio duplicis pacis interpretatur 49. 115-116, civitas montana 115, tribus partibus distincta 8. 177, duodecim portas habebat 148, sedes regis et summi sacerdotis 294, per Chaldaeos combusta 8, per Romanos ad nihilum redacta 177. 292, civitas Dei appellata 8, figura paradisi 124. 130 et mundi 177.

**Ignatius S.** Martyr tenet Magos evangelicos malis artibus deditos fuisse 439.

**Infernus** sedes omnium malorum 466, in centro terrae 183, aeternus 183. 192, duplex eius poena: sensus et damni 174. 183. 466, ignis poena maxima 183, per fornacem Babylonis figuratus 191.

**Intellectus** obiectum eius verum 480, naturaliter quaerit scientiam rerum 273, Deus posuit in intellectu semina scientiarum 93.

**Ioab** nunciavit David fusionem exercitus Absalom 69, occidit Abner et Amasa 444, adiuvit partes Adoniae 176.

**Ioannes S.** apostolus et evangelista ab aeterna generatione Verbi exorditur Evangelium suum 290, docet divinitatem Christi 90. 283. 352. 359. 396. 420, Ioannem Baptistam dicit a Deo missum ad praedicandum 289. 326, affert testimonium Ioannis Bap. de Christo 259-260. 277. 283, agit de legatione Iudaeorum ad Ioannem Bap. 270. 277; librum comedendum accepit 95. 193, vidit serpentem cum septem capitibus 162 et librum signatum sigillis septem 104. 291, vidit Christum indutum veste aspersa sanguine 412, loquitur de proximo fine mundi 171, Christum iudicem describit 191-192, et terrorem impiorum in die iudicii 167, loquitur de coelesti Ierusalem 116, de gloria paradisi 118. 169, musicam in coelo audivit 272, et turbam magnam vidit 403 et electos signatos signo thau 376 et vigintiquattuor seniores coram Christo 262. 455; verbum Dei gladium appellat 84, cavendum monet ab amore mundi 135.

— **Baptista S.** gratia interpretatur 25. 256. 278. 297, de tribu Levi 248. 268, ab Angelo praenunciatus 254, a Prophetis praevisus 223, in Elia praefiguratus 224, coelitus nomen accepit 423, miraculo natus 50. 269. 283. 323, ex matris utero Spiritu S. plenus 25. 50. 219. 224. 283. 297. 424, annis triginta in solitudine mansit 50, poenitentissimus 220. 269. 297-298, forte raptus sicut Paulus in coelum fuit 308, triginta annorum aetate praedicare coepit 45. 295, missus a Deo ad Christum ostendendum 289. 326. 354, ut Hebraeos converteret 29. 47. 49, baptizabat in Bethania 267, praedicator regni coelorum 46. 48. 224 et poenitentiae 52. 120. 300, typus veri praedicatoris 323-324, argutus a Iudaeis patienter fert 247. 258, laudatus a Prophetis, a Christo, a Spiritu S. 31. 46. 50. 284, appellatus plus quam propheta 23. 30. 217. 223. 354 et Angelus 199. 217. 237, maior Elia 26, Christo simillimus 247, pro Messia habitus 23. 40. 223. 238. 246. 270. 283, in magnis honoribus nihil elatus 39, ne per prophetam quidem voluit teneri 251. 265. 271, declarat se indignum Christi servum 33-34. 279. 299, exemplar humilitatis 38. 265. 285; mittit discipulos suos ad Christum 19. 23. 199. 210, ignorantiam simulans 28. 202 ut Christum provocet ad se manifestandum 231. 233, multis laudibus Christum effert 201-202. 217; arguebat vitam Pharisaeorum 270, coarguit Herodem 219. 244, persecutus et in vincula coniectus 15. 27. 216 et occisus 258. Typus Legis 207. 281, princeps Sanctorum Veteris Testamenti 31, terminus inter Vetus et Novum Testamentum 29, exemplar christiani 25.

**Iob** simplex et rectus 86, in tribulationibus Deo coniunctus 138, patientissimus 95, in prosperis et adversis stabilis 219. 238, in omnibus angustiis non peccavit 79; sapientiam omnibus thesauris praeferendam dicit 95, cultum astrorum maximam iniquitatem vocat 136, scandalizari videtur de impiorum prosperitate 174. 228, in bona conscientia non putabat se iustificatum 184. 197.

**Ioel** propheta malam conscientiam dicit fetere 129, hieroglyphice describit quattuor monarchias 291, et terribilem diem iudicii 150. 152-153. 190-191, docet quaenam sit vera poenitentia 304.

**Ionas** in navi periclitans 215 dormiebat 236, excidium Ninivitis interminat 171.

**Iordanis** ex duobus fontibus originem trahit 278, aquae eius steterunt arca transeunte 278, 309, figura Baptismi 427.

**Iosephus Flavius** agit de successione Herodis Ascalonitae 293, de Valerio Grato quod summa facilitate pontifices Iudaeorum amovebat 294, refert Herodem perdidisse synedrium 295.

**Ioseph** patriarcha venditus a fratribus 176 ob invidiam 202, tentatus 250, pati maluit infamiam quam peccare 426, persecutus et in vincula coniectus 15, multa passus 145. 216. 243, in carcere a pincerna Pharaoni notificatus 48, cum triginta annorum esset aperuit divina mysteria, 15. 107. 296, habitus princeps sapientum 437, a Pharaone ad principatum evectus 176. 244. 483, salvavit Aegyptum 48. 101. 310. 367. 434, voluit ut fratres ad eum ducerent Beniamim 274.

**Iosias** rex dives et sanctus 215. 441, idola destruxit 351. 428.

**Iosue** dux populi 351, praedicavit felicitatem terrae promissionis 308, vidit Angelum 141. 262. 279, transmisit Iordanem et venit Iericho 141. 210. 278. 297. 384, populum circumcidit 407. 410. 427, fugam dissimulavit 205, a Gabaonitis deceptus 171, stare fecit in coelo solem et lunam 152, Chananaeos destruxit 429, unum et triginta reges occidit 346, in duas partes populum divisit ad benedicendum et maledicendum 108. 175, exprobravit Israelitis eorum ignaviam 60, figura Christi 427.

**Isaac** nativitas eius causa magnae laetitiae 423, nomen ei a Deo impositum 400. 423, circumcisus 400, praelatus maiori 459. 471, seminavit in Geraris 105, persecutus a Palaestinis 202, ab Ismaele 218, sed salvatus 434, dives sed sanctus 215. 228, deceptus a Iacob 171. 175, figura electorum 457.

**Isaias** summus propheta 368, missus a Deo ad praedicandum 100. 134, pollutum labiis se dixit 409, seraphico ministerio purgatus 14. 44. 288. 368-369, Seraphim vidit circa thronum Dei 16. 30. 43. 75. 173. 200. 217. 396, vaticinatur de Ioanne Baptista 36-37. 46-49. 223, et de Christo 26. 128. 189. 203. 211-212. 345-346, vocat eum Emmanuelem 416, ineffabilem dicit generationem eius 368-372, Christum dicit percussum a Deo 100, vidit in spiritu gloriam eius 148. 168. 265. 318, populum arguit quaerentem praedicatores adulantes 322, loquitur de excaecatione populi 100, exprobrat Iudaeos in idololatriam lapsos 136, praedixit destructionem Babylonis 8-9, direptionem synagogae 87. 177-178. 348, de divino iudicio verba facit 7. 150. 152-153. 172. 190. 296, de recreatione mundi 148, de conversione Gentium 440, Deum in impios terribilem praedicat 174, magna promittit fidelibus 97, mundum somnio comparat 134. 265. 318, vitam humanam flori foeni 54, veram iustitiam docet 69. 84-85. 179. 304, Ezechiae mortem praedicit 171, solem retrocedere fecit 152, Deum Iesum suum appellat 415. 424.

**Isidorus Hispalensis S.** episcopus dicit mel quo vescebatur Ioannes Bap. fuisse ab agrestibus apibus confectum 298.

— **Pelusiota S.** dicit cibum Ioannis fuisse summitates quorundam herbarum 298.

**Ismael** a Deo reprobatus 466, Isaac persequebatur 218. 235 ob invidiam 471, figura reproborum 457.

**Iudas S.** apostolus affert Enoch. de iudicio finali loquentem 11-12.

**Iudicium** valde timetur apparatus humani iudicii 181.

— finale dicitur dies ultionis 150. 191, erit tempus iustitiae exercendae 185, ostendet potentiam, sapientiam et iustitiam Dei 197, revelabit conscientias 187. Fideles praecipue iudicabuntur 178.

**Iustinus S.** Martyr tenet Magos evangelicos malis artibus addictos fuisse 439.

**Iustus** dicitur columna domus Domini 219, fundamentum mundi 480.

## L

**Leo S.** Papa tenet Magos evangelicos sapientes fuisse 439.

**Lex** a Deo data 95. 486, in deserto 286. 296, in duabus tabulis 83. 330, repositis in arca 83. 89, continet praecepta positiva et negativa 83. 313, appellatur scientia et intelligentia 93, via coeli est 121 et salutis 329, decem nominibus collaudata a Regio Vate 91-95; lex Moysi lex timoris 330; promittebat aliquid a magis sciscitari 437, continebat 613 praecepta 330, de sacrificiis 221. 421, de primitivis 409, de primogenitis Domino offerendis 410, prohibebat servatoribus bona temporalia 320. 330; non consulebat statum perfectionis 428, transitura 281. 283, imperfecta 461, admodum difficilis servatu 330. Lex Christi lex amoris 330, consistit praecipue in fide et caritate 481, duo tantum praecepta continet 330, perfectissima 401, facilis servatu 330.

**Linus** cecinit mundi genituram 2.

**Loth** compulsus exire de Sodomis 133, de incendio liberatus 224. 366. 434, uxor eius in statuam salis conversa 55.

**Lucanus** citatus 3.

**Lucas S.** evangelista narrat nativitatem Ioannis Bap. 46, affert testimonium eius de Christo 33. 259, interpretatur vaticinium Isaiae 40. 53, Dominum affert de die iudicii loquentem 153, miracula operantem 19-20. 210, terrorem Felicis narrat praedicante Paulo de iudicio 197.

**Lucretius** citatus 2.

**Luna** astrum infirmissimum 134, quando eclipsatur 137, a sole recipit omne lumen 139. 313, dicta a pythagoricis terrestre coelum 142, uno mense peragit cursum suum 144, multorum malorum causa 139, in S. Litteris multa significat 141, figura mundi et stultitiae hieroglyphicum 136. 142, figura Ecclesiae 158.

**Lux** laetificat 139, symbolum bonitatis 43. 134. 143. 466.

## M

**Magus** haec vox male audit 437-438, significat etiam sapientem 437, triplex magorum genus 438. 450. Magi venerunt ad Christum adorandum 435. 445. 452, stellae ducatu 442. 453, forte astrologi erant 440. 450, reges vel viri honorabiles 436 vel sacerdotes gentiles 449, Christum honorant tanquam Deum Sacerdotem et ho-

: minem 446, forte divinitus admoniti 448. Sacerdotes Persarum magi erant 449.

**Malachias** propheta vaticinatur de die iudicii 203, de adventu Eliae 254, de Ioanne Baptista 223. 326, de Messia 203, Christum et Ioannem Bap. Angelos appellat 16. 20. 46.

**Manasses** oblivio interpretatur 228, postpositus minori 247. 459. — rex secum magos habebat 437.

**Manichaeus** asserit corpus Christi phantasticum fuisse 412.

**Manna** cibus suavissimus 90, de coelo pluit 64. 95. 140. 352, instar seminis coriandri 482.

**Marcus S.** evangelista a Baptistae praedicatione exorditur Evangelium 289-290, affert illius testimonium de Christo 32-33. 259. Dominum adducit loquentem de fructu divini verbi 98. 106. 111, de die iudicii 153, refert historiam illuminationis caeci 132, de caecitate discipulorum cordis loquitur 125.

**Maria B. Virgo** nobilissima natura, gratia et gloria 363, ab Angelo nuncium incarnationis 369, virgo permanens concepit et peperit accepit Christum summo cum gaudio 350. 363. 372, cognovit voluntatem Christi ut in praesepio collocaretur 392, conservabat in corde suo quae de Christo audiebat 109.

— **Magdalena** attulit vas unguenti odoratissimi ad Christum 128, poenitentia sanctificata 120. 300, contemplativos designat 159.

**Matthaeus S.** apostolus et evangelista a temporali nativitate Christi Evangelium exorditur 290, excellentiam nominis Iesu manifestat 423, ostendit Magos astronomia praestasse 439, Baptistam praedicantem affert 289. 300. 322 eiusque testimonium de Christo 32-33, vaticinium Isaiae de excaecatione populi 100, Christum loquentem de fructu divini verbi 98. 106 et de die iudicii 153. 165.

**Medusa** homines in saxa convertebat 77.

**Mercurius Trismegistus** docet mundi genituram 2.

**Michaeas** propheta Christum in gloria vidit 168. 203. — alius propheta vaticinatur de Christi nativitate 444, misericordiam et pietatem commendat 447.

**Moyses** natus occulte servatur 380, clausus in scirpea fiscella 264, a filia Pharaonis in filium adoptatus 348; fugit in terram Madian 27, humilis pastor 483, pascens gregem in deserto 296, vidit rubum ardentem 17. 209 et operuit faciem suam 33. 207, missus ad Pharaonem 34, renuebat 252. 299. 408, vicit magos Pharaonis 491, virga flagellavit Aegyptum 13. 211, populum liberavit 209. 367, oratione vicit Amalecitas 85, Deum vidit in humana specie 21 et petiit nomen eius 213. 230, accepit legem a Deo 261, ieiunavit quadraginta diebus 33, velata facie ad populum loquebatur 89. 208. 264. 381; legislator divinus 351, mirabili sapientia praeditus 258 et sanctitate 119, destruxit vitulum aureum 428, percussit idololatras 167. 481, manus graves habebat 330, moriturus benedixit tribus Israel 175, defunctus prope Iordanem 282, monet servare legem Dei 111, quam sapientiam et intelligentiam appellat 93, legem igneam 94; Deum introducit creantem coelum et terram 63, luminaria 31. 151. 158, de paradiso terrestri loquitur 67-68. 81, Deum fontem bonorum ostendit 468, bonitatem operum eius proclamat 134, monet ut opera bona bene fiant 178, virtutis praemium sabbatum vocat 70, docet Deum puros condidisse parentes nostros 469, maximo virtutis desiderio teneri 73, de Messia vaticinatur 189.

**Mulier** sterilis in lege maledicta 60. 184, post partum immunda quadraginta diebus 184.

— thecuitis sapienter David allocuta 233.

**Mundus** factus ex nihilo 354, solo verbo Dei 288, septem diebus completus 5, tribus partibus constat 5. 134. 177, per Pan et Argum designatus 179, septem aetates habet 5, interiturus 148, totus comburetur 177. 179, completo numero electorum 185; dextera mundi pars est unde motus incipit 453; bonus quia a Deo, malus quia in maligno positus 127. 135, nihili facit virtutem 488, carni paradisus est, spiritui desertum 42, homini iusto carcer 243, plenus desideriis 135, otia sectatur 76, fallacem nitorem exhibet 220, eius bona vanissima 63. 123. 134. 142, semper mutabilis 133, stultorum cavea 136, in mundo nulla vera consolatio 134, non tolerat praedicatores severos 322-323, designatus per Pentapolim, Aegyptum, Babylonem, Iericho et lunam 133-134. 136. 143.

**Musaeus** cecinit mundi genituram 2.

## N

**Naaman** syrus mundatus a lepra 267.

**Nabuchodonosor** in somnis vidit statuam et arborem 5. 99. 123. 135. 225. 292. 352. 483-484. 491, quattuor monarchias figurantes 362-363; in superbiam elatus 215. 240, Deum

contempsit 489, adorari mandavit statuam suam 237, in bestiam mutatus 393. Conversus prohibuit ne quis nomen Dei blasphemaret 434.

**Nathan** propheta consulit David ut templum Domini aedificet 171, multa illi comminatur ob peccatum 171.

**Ninivitae** pessimi coram Domino 128, poenitentiam egerunt 121. 300-301.

**Noe** iustus et perfectus 86. 203, construxit arcam 477, in qua salvatur ipse 224. 366 cum familia sua 99. 434, obtulit sacrificium Deo gratum 128, delectatus agricultura 83, maledixit Cham 175, ab ipso genus humanum fluxit 351. 381.

**Nomen** repraesentat quod voce significatur 422, a Deo alicui impositum signum singularis gratiae 423.

**Numerus** tricenarius est poenitentiae 107.

## O

**Ooliab** divina sapientia repletus 258.

**Origenes** pro Bethania legit Bethabaram 276, tenet Magos evangelicos malis artibus addictos fuisse 439.

**Orphaeus** cecinit mundi genituram 2, solem appellat coeli oculum 142.

**Oseas** propheta Israelem dicit terram aratro sulcandam 97.

**Ovidius Naso** citatus 2. 76. 490.

**Otium** effeminatos facit 60-61, vitiorum fomentum 76, nidus et habitatio daemonum 88, reddit corpus cacochymum 88, causa ruinae Pentapolis, Davidis, Salomonis 88.

## P

**Paradisus** terrestris describitur 60. 225.

— coelestis opus perfectissimum Dei 119, ibi omne bonum 466, gloria aeterna animae et corporis 116. 118-119, ubi Deus facie ad faciem videtur 377, quisque electus divina perfectione praeditus erit 119; figuratus per Ierusalem 115-116, est fructus passionis Christi 122. Via ad paradisum virtus est 132.

**Paulus S.** apostolus a Christo percussus et vocatus 12, nil laesus a vipera 340, salvus a naufragio 215, concupiscentiae legem sentiebat 226. 400. 469, castigabat corpus suum 78, constans in adversis 238, indignatus maxime videns honores divinos sibi tribui 249, bona mundi nihili faciebat 236. 453, non putabat se iustificatum ex bona conscientia 184, raptus ad tertium coelum 145. 308, cupiebat mortem 25. 243.

De ingratitudine Hebraeorum loquitur 78, affert Isaiam de excaecatione populi loquentem 100, Deum dicit velle omnium salutem 99, ignobilia eligere 485; Apostolos columnas Ecclesiae vocat 29, vult quinque verba in Ecclesia loqui 65, philosophiam humanam fallacem appellat 1, de efficacia verbi Dei loquitur 110, quod gladium vocat 94, concupiscentiam radicem dicit omnium malorum 214. 222, agit de effectibus praedestinationis 58. 60. 213, de vocatione ad gratiam 74, ad sanctitatem 59, de necessitate bonorum operum 60. 65. 87, de caritate 106-107, quam unicam viam salutis dicit 128. 305.

Deum exinanitum admiratur 347. 425. 484. Christum dicit factum sub lege 420. 426, verum Deum 396. 431, per quem omnia creata 44. 353, seipsum dedisse pro Ecclesia 87. 407, lapidem offensionis appellat 212, sanguinem eius pretium magnum 422, nomen Iesu exaltat 429-434.

Agit de finali iudicio 152, de proximo fine mundi 170, de antichristo 161, de resurrectione mortuorum 160; arguit homines seipsos amantes 121, monet expurgare vitia 84, mortificare corpus 221, abicere opera tenebrarum 176. 178, non contemnere bonitatem Dei 196, adolescentiores viduas devitare 61; de circumcisione spirituali loquitur 408, de mercede vitae carnalis et spiritualis 78. 87, de vera vita christiana 56. 68-69. 83-85. 447, virtutis praemium bravium vocat et coronam 70. 72. 75, veram poenitentiam definit 301-303, requirit magnum spiritus fervorem 61. 69, ostendit magnam mercedem tribulationum 64. 487, naturam arbori silvestri comparat 428; asserit aliqua Angelos latere 207, multa dicit de gloria coelesti 118.

**Peccatum** gravissimum crimen 488, dignum aeterna morte 480, est quaedam idololatria 335, est amor nimius terrenorum 405-406, venenum mortiferum 399, causa omnium malorum 214, hominem facit similem iumentis 393, est debitum insolvibile 306, ad reparandam ruinam peccati requirebatur infinita sanctitas et potentia 317. — originale contrahitur generatione 411, hominem e paradiso eicit et servum diaboli constituit 402, rebellem reddidit carnem spiritui 469. Triplex causa peccati 473; tria peccatori facienda sunt ut salvetur 303.

**Pegasus** equus alatus e sanguine Medusae ortus 77.

**Pentapolis** igne coelesti concremata 6, otium causa subversionis eius 76.

**Petrus S.** apostolus sic appellatus a Christo 423, liberatus de manu Herodis 226, eo loquente Spiritus S. descendit 110, christianos dicit participes divinae naturae 168, fortiter in fide resistendum diabolo 94, libenter mala mundi sustinenda 318, Christum appellat lapidem offensionis 212, sanguinem eius pretium magnum 422; de virtutibus loquitur 125, de necessitate bonorum operum 59, de proximo fine mundi 8. 170, de die iudicii 153. 172, vix iustos dicit salvari 179.

**Pharao** eduxit Ioseph de carcere et constituit principem Aegypti 310.

— Deum contempsit 489, persecutus Hebraeos 216, a Deo flagellatus 157.

**Philo Iudaeus** docet naturalem magiam dignam esse principe 438.

**Philosophia** Dei aeternitatem cognovit 356; — moralis virtutibus intellectum perficit 93; — peripatetica docet mundi aeternitatem 1. Quidam philosophus deridebat eos qui timebant mortem dum credebant immortalitatem 145.

**Plato** docet originem et finem mundi 2, solem appellat simulacrum Dei 142-143, sub figura equi animum designat 131, meminit catenae aureae Homeri 42, magiam definit divinorum scientiam 438, Aristotelem mulum appellat 4.

**Plinius** multas enumerat tetrarchias 293, describit mel silvestre et dicit Parthis locustas in deliciis fuisse 298, de virtute sinapis disserit 490, docet magiam continere physicam, metaphysicam et theologiam 438-439.

**Plutarchus** tradit sententiam philosophorum de origine et fine mundi 2.

**Poenitentia** initium est vitae christianae 56. 225, maxime necessaria 221, significat destructionem vitiorum et plantationem virtutum 55, est animi dolor cum proposito non amplius peccandi 336, comprehendit amaritudinem cordis et afflictationem corporis 301-302, tria requirit 301. 303. 306, sanctificat peccatorem 300. 303. 331, multi peribunt defectu poenitentiae 316.

**Pompeius** Iudaeam romanae ditioni subegit 291.

**Pontifex** unus tantum erat et de semine Aaron 294, portabat duodecim nomina tribuum Israel in pectore 188, sculpta in lapidibus onychinis 273. 352. 360.

**Praedicatio** magnum munus et superhumanum 288-289. 320-321. 327, coepit a Ioanne Bap. 320, est quodammodo finis incarnationis 320, eius finis salus animarum 111, a vanitate abhorrere debet 322; quivis praedicator est angelus Domini et Dei nuncius 344.

## R

**Raab** salvata ab excidio Iericho 127. 135. 309.

**Rachel** ovis interpretatur, mortua et sepulta in Bethlehem 368.

**Rebecca** videns Isaac de camelo descendit 383-384.

**Regina** Saba venit ad Salomonem cum muneribus 435. 446. 452, vehementer obstupuit cum cognovit gloriam et sapientiam illius 117. 119. 452.

**Ruth** mulier magnae virtutis 367.

## S

**Sacerdos** offert Corpus et Sanguinem Christi 446; sacerdotes convocabant populum ad tabernaculum 166. Vide *Pontifex*.

**Salomon** sapientissimus et felicissimus 52. 119. 258. 351. 357. 441, optione sibi data noluit divitias 139, sed sapientiam petiit et obtinuit 132, omnia secreta naturae calluit 438, sententiam tulit pro vera matre 1. 4, templum aedificavit 210. 333, et munificentissimum palatium regium 119, expendens immensos thesauros 398, vasa mensae suae erant omnia aurea 124; amisit iudicium rationis 244.

Dicitur *Ecclesiastes*, hebraice praedicatrix 49, quattuor sibi miranda dicit 418; loquitur de Ecclesia 10, quam hortum appellat 67, de sapientia Dei 420, quam dicit cunctis operibus pretiosiorem 95, infinitum thesaurum 236; legem lucem appellat 93, sermonem Domini clypeum ignitum 94, docet quomodo servandum sit in corde verbum Dei 111, semitam iustorum splendentem dicit 107; deflet vanitatem mundi 134, praefert fletum risui et mortem vitae 142; pigritiam detestabilem dicit 61, mittit pigrum ad formicam 82, describit agrum pigri 76, dormitanti pigro egestatem praenunciat 77, otiosum stultissimum appellat 87.

**Salus** aeterna requirit bonam voluntatem 102, et bona opera ex fide et caritate 59. 109 et

observantiam mandatorum 107; pauci salvantur 185. 193, vix quarta pars fidelium 102.

**Samuel** propheta magnus 351, praedicavit populo veram poenitentiam 53. 304, errore putavit primogenitum Isai electum a Deo in regem 171.

**Samson** nazaraeus 298, mirabili fortitudine praeditus 119, leonem superavit 340, inermis vicit Philisthaeos 351. 431, liberavit populum ab inimicis 367, dilexit Dalilam 361. 405 a qua traditus fuit 222. 473. 475.

**Sanhedrin** collegium scribarum tempore Moysi ex septuaginta senioribus constitutum 294.

**Saul** missus ad puniendos Amalecitas 11. 303, Davidem persecutus 218. 235. 471, occidit omnes magos, sed ipse postea magam consuluit 437.

**Scientia** unaquaeque sua habet principia 93, in humanis scientiis multi reperiuntur errores 94, omnes scientiae fidei ancillantur 463.

**Scriptura Sacra** agit de Deo, de Angelis et hominibus, de virtutibus et vitiis, de poena et gloria 478, certissima docet quia a Deo revelata 92, saepe admodum difficilis 478, loquitur de rebus ut apparent sensibus 101, dicit Deum Verbo suo omnia creasse 356, per spinas peccatores significat 18, per dexteram voluptates, per sinistram afflictionem 453, item per dexteram praedestinationem, per sinistram reprobationem 466, per benedictionem bonorum copiam, per sanctitatem ornamenta virtutum 70, per carnem hominem intelligit 356, tempus calamitatis mortem appellat 340, quod admirationem facit divinum dicit 90, requirit a nobis amorem et odium 86, saepe loquitur de caecitate cordis 125, saepissime docet facere iudicium et iustitiam 69. 84, semper praedicat necessitatem bonorum operum 87, loquitur de fine mundi 149-151, mundum nunc dicit desertum, nunc paradisum 42.

**Seneca** docet mundum finem habiturum 2.

**Seniores** septuaginta repleti spiritu Moysi 289, constituebant Sanhedrin 294.

**Sententiae** Ars imitatur naturam 490.
Asini narratur fabella 52.
Asinus ad lyram, sus ad tubam 51.
Conscientia laesa facit hominem timidum 10. 176.
Contraria contrariis curantur 374.
Cum caput dolet tota membra lanquent 325.
Emunctis naribus homo 128.
Felix quem faciunt aliena pericula cautum 187.
Indignus qui matulam porrigat 32.
In regno voluptatis non est virtuti locus 132.
Lavare aethiopem 285.
Mors omnia aequat 305.
Nemo repente fit summus 490.
Oleum et operam perdere 284.
Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae 220.
Veritas odium parit 219.

**Serpens** pellem pulcram habet, sed intus venenum 445, decepit hominem in paradiso 101. 342. — aeneus contra ignitos serpentes 180. 309. Figura Christi 352.

**Sibyllae** praedixerunt finem mundi 2.

**Simeon** senex iustus et timoratus 86, Messiam expectabat 16, de Christo vaticinatus 212.

**Socrates** de immortalitate disputans laetus mortem obiit 145.

**Sol** factus fuit posita prima luce in luminari vase 359, fons lucis, decor universi 142, eius lux nec augetur nec minuitur 74, omnia astra illuminat 358, motu pernicissimo fertur 488, in morte Domini eclipsatus 152; Christum designat 158.

**Sophonias** propheta diem iudicii terribilem describit 150. 190.

**Stella** crinita morbos et mortem portendit 452; — nova apparuit in Christi nativitate 441, quae Magos duxit ad praesepium 448, nescitur cuius naturae fuerit 442.

**Suetonius Tranquillus** de Tiberio agit 338.

**Suidas** refer Timaeum appellasse Aristotelem hominem non sapientem 4.

**Synagoga** magna eius fides, sed non cognovit Deum trinum 460, prius sancta 142. 461, figura Ecclesiae 20.

## T

**Tabernaculum** Moysi erat veluti tentorium 7, foris opertum pellibus animalium 220, tribus partibus constabat 106, in dedicatione repletum gloria Domini 333, principes populi obtulerunt munera 446. Figura mundi 5. 177.

**Templum** aedificatum propter arcam 44, septem annis completum 397, tribus partibus constabat 106. 177. 304, in dedicatione repletum gloria Domini 333. Figura mundi 5.
— Dianae inter mundi mirabilia 397.

**Terra** suapte natura obscura 314, fructificat si culta sit 97, profunda hieme nuda et sterilis est 380, in medio mundi sita 97, coelo comparata velut punctum est 314.

**Tertullianus** tenet Magos evangelicos malis artibus addictos fuisse 439.

**Thales Milesius** docet originem et finem mundi 2, dixit difficile esse nosse seipsum 35.

**Theodoretus** tenet Magos evangelicos sic appellatos propter sapientiam 439.

**Theologia** domina et regina scientiarum 487, ipsissima veritas est 94, Deum hominibus manifestat 90, in quattuor partes dividitur 430, mystica et symbolica 263-264. 459.

**Theophylactus** pro Bethania legit Bethabaram 276, per ἀκρίδες, Mt 3, 4, summitates herbarum intelligit 298.

**Tribulatio** via ad coelum est 115, merces infiniti valoris 237. 310, virtutem perficit 319.

**Tiberius** privignus Augusti 321, impius 307, biberius dictus 338.

## V

**Valentinus** haereticus dicit corpus Christi fuisse de coelo allatum 412.

**Valesius Franciscus** refert novam stellam apparuisse anno 1572 in Europa 442.

**Verbum** Dei praedicatum magnum Dei donum est 112, Dei quaedam imago 90-91, audiendum cum attentione 96. 103-104, servandum in corde 111, prompte exequendum 111, virtus eius supramodum mirabilis 110. 112. 491, dicitur mysterium regni Dei 110, multis metaphoris designatur 112, decem praecipue nominibus significatur 91-95; praedicandum est ad iuvandam salutem animarum 110.

**Virga** Moysi in serpentem versa 491. — Aaron floruit, arida cum esset 80. 372, servata in arca 166.

**Virgilius Maro** citatus 106. 131.

**Virtus** non praemiatur in terra 236, sed in coelo 226, in virtute datur processus 226, virtuti honor debetur 77, a templo Virtutis pergebatur ad templum Honoris 218.

**Vita** humana instabilis et brevissima est 133-134. — christiana consistit in fuga vitiorum et in exercitio virtutum 83, incipit a mortificatione carnis 225.

## Z

**Zacharias** sacerdos coarguit Ioas et ab eo occisus fuit 219. — propheta Christum regem appellat 20. 203. 256, librum magnum volantem vidit 193, lapidem cum septem oculis 363, hieroglyphice describit quattuor monarchias 292.

## CORRIGENDA

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Pag. | 172 | Linea | 25 | | loco | expediet — expediat |
| » | 178 | » | 4 | | » | praecique — praecipue |
| » | 181 | » | 15 | | » | convinctus — convictus |
| » | 183 | » | 31 | | » | eos — eis |
| » | 186 | » | 8 | (marg.) | » | et de misericordia — et misericordia |
| » | 203 | » | 20 | | » | habdomadas — hebdomadas |
| » | 212 | » | 21 | | » | consummat — consumat |
| » | 218 | » | 4 | | » | aeque — aequa |
| » | 224 | » | 13 | | » | ethymon — etymon |
| » | 460 | » | 30 | | » | quoad sit — quod sit |

*Finito di stampare il 15 Settembre 1942 - XX*